Bodleian Libraries
UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

35. 841.

FRANCISCI PASSOVII

# OPVSCVLA ACADEMICA.

BODLEIANA BIBLIOTHECA

DISPOSVIT

*NICOLAVS BACHIVS.*

LIPSIAE 1835. 841.

SVMTIBVS FR. CHR. GVIL. VOGELII.

# PRAEFATIO EDITORIS.

---

*Ludovico Wachlero*, venerabili seni, eiusque filiae, eximiae *Francisci Passovii* uxori, petentibus a me, ut programmata et prooemia, quae vir ingeniosissimus, philologiae et eloquentiae professor eruditissimus, ad natalitia optimi ac iustissimi regis in litterarum universitate Vratislaviensi celebranda atque ad lectiones academicas indicendas olim scripserat, colligerem in iustumque ordinem redigerem, eo libentius obsequutus sum, quo generosior atque promptior fuit humanitas qualiscunque quam *Passovius* meus statim a principio mihi obtulit, quum superiorum missu in Silesiam transvectus intimis amicitiae vinculis cum eo coniungerer. Qua in opera adornanda eam ingressus sum viam ut primum commentationes et animadversiones in scriptores Graecos atque Latinos

proponerentur, deinde coniectura de scorpio in gemma Augustea, tum *Kayssleri*, *Schneideri* Saxonis, *Mansonis* *) memoria, eamque exciperent *H. Stephani* et *P. Victorii* epistolae e codicibus Vratislaviensibus depromptae, postremo carmina Latine composita. Iam quum quadraginta foliorum numerus, quem vir probissimus qui haec opuscula typis suis exprimenda suscepit egredi noluit nondum esset expletus, addidimus *Alexandri* Aphrodisiensis de febribus libellum anno MDCCCXXII. a *Passovio* primum in Germania editum. Atqui erunt fortasse qui aliquot *Passovii* dissertationes academicas desideraverint. Omisimus sane varias lectiones in *Statii Silvas* et *Stephanum* Byzantium e codicibus *Rehdigeranis* anno MDCCCXVIII. et MDCCCXXIV. vulgatas atque specimen novae editionis evangelii *Ioannei* a *Nonno* versibus adstricti anno MDCCCXXVIII.

---

*) Notabis pag. 355. annum qui legitur in prototypo p. 6. *sexagesimum* cessisse vero *Mansonis* natali, id quod ipse quidem *Passovius* ex *Mansonis* epistola p. 385. comprobavit. Praeterea p. 362. nova editio suppeditat *post quinquennium*, quum antea scriptum fuerit *post quattuor annos*. Qua de re videsis ipsius *Passovii* annotationem p. 385.

exhibitum. Sed tria haec programmata commodiori loco repetita sunt, primum in *Marklandi* editione a *Sillig*io meo prudentissime instaurata, alterum in *Stephani* editione a *Dindorfio* parata, tertium in ea quam ipse postumam reliquit *Passovius* Metaphrasis recensione, de qua nuper suffragium tulit *God. Hermannus* in *Zimmermanni* diario antiquitatis scientiae num. 123 — 25. Praeterea exclusimus prooemium anni MDCCCXXI. quo continentur castigationes quaedam Lexici Graeci a *Riemero* conditi, quae quum repetitae legantur in *Seebodii* diario philologico a. MDCCCXXIV. pag. 59 — 64. atque summatim transierint in Lexicon *Passovianum*, integras huic opusculorum collectioni inserere a scriptoris mente alienum esse videbatur. Et quod in *Iahnii* annalibus philologicis Vol. XI. p. 451. *Chr. Baehrius* nuper *Passovio* assignavit prooemium de *Herodoti* loco VII, 127. id quidem iure meritoque vindicandum *Carolo Schneidero*, coniunctissimo eidemque acerrimo *Passovii* collegae. At paulo vehementius, ni fallor, flagitabis orationes die omnibus bonis civibus laetissimo, regis clementissimi natali, alternis cum *Schneidero* annorum vicibus a beato *Pas-*

*sovio* in aula Leopoldina publice recitatas, quas tamen quo minus typis describendas atque in vulgus emittendas curemus prohibet certissima ipsius oratoris voluntas et cum uxore et mecum aliquando, dum superstes esset amicus desideratissimus, familiariter communicata. Eaque nobis religiosissime custodienda esse videbatur. Have pia anima. Datum Vratislaviae extremo anno MDCCCXXXIV.

# INDEX OPVSCVLORVM.


I. Meletemata critica in Aeschyli Persas. Programma anni 1818. . . . . . . . p. 1
II. De primo Eumenidum Aeschylearum cantico. Commentatio praemissa indici lectionum in universitate Vratislaviensi per aestatem a. 1831 instituendarum. (Cum p. 93. versu 4. cf. p. 113.) . . . . . . . . . 86
III. Observationes in Parodum Aeschyleae septem contra Thebas fabulae. Prooem. a. 1832. 94
IV. Observationes criticae in Soph. Ant. v. 106. et hymn. Hom. Cer. v. 122. Prooemium a. 1829. . . . . . . . . . . . . 109
V. Vindiciae Sophocleae ad Ant. v. 781—790. Prooemium a. 1825. . . . . . . . 116
VI. Animadversiones in Sophoclis Trachin. v. 971—1004. Prooemium a. 1820. . . . 136
VII. Epiphyllides Aristophaneae. Prooemium a. 1826. . . . . . . . . . . . . 151
VIII. De Dicaearchi Tripolitico conjectura. Prooemium a. 1829. (cf. F. Osann. in Zimmermanni diario scholast. a. 1833. num. 138.) 166
IX. De vestigiis coronarum Meleagri et Philippi in anthologia Constantini Cephalae. Prooemium a. 1827. . . . . . . . . . 176
X. Notitia de Anthologio Orionis Thebani. Prooemium a. 1831. (cf. F. Ritschl. de Oro et Orione. Vratislaviae 1834. p. 7.) 198
XI. Variae lectiones in Oppiani Halieutica e codice Pragensi enotatae. Prooem. a. 1824. 203
XII. Aelianea. Prooemium a. 1819. . . . 215
XIII. Symbolae criticae in scriptores Graecos et Romanos e codd. Mss. Vratislaviensibus depromptae. Accedit tabula lithographica. Programma a. 1820. . . . . . . 225

XIV. De ordine temporum quo primi libri elegias scripsit Tibullus. Programma a. 1831. . . . . . . . . . . . p. 280
XV. Animadversiones in Propert. IV, 11, 23 sqq. Prooemium a. 1823. . . . 301
XVI. Variae lectiones ex duobus codicibus orationis Marcellianae. Prooemium a. 1828. 309
XVII. De scorpio in gemma Augustea coniectura. Prooemium supremum a. 1833. (cf. Passovii dissertatio quae inscribitur: *Ueber die sogenannte Apotheose des Augustus in der Antikensammlung zu Wien*, quam primum edendam curavimus in Zimmermanni diario antiquitatis scientiae a. 1834. num. 1. 2.) . . . . . . . . . 321
XVIII. A. B. Kayssleri et Io. Th. Schneideri memoria. Prooemium a. 1822. . . . 330
XIX. Narratio de Io. Casp. Frid. Mansone. Programma a. 1826. . . . . . . 351
XX. Henrici Stephani ad Io. Cratonem a Craftheim epistolae ex autographis nunc primum editae. Programma a. 1830. . 390
XXI. Petri Victorii ad Io. Cratonem, Th. Rehdigerum et Hieronymum Mercurialem epistolae ex autographis editae. Programma a. 1832. . . . . . . . 443
XXII. Carmina Latina.
1) Nuptiale a. 1823. . . . . . . 515
2) Saeculare a. 1824. . . . . . . 518
XXIII. Alexandri Aphrodisiensis de febribus libellus. Programma a. 1822. . . . . . 521
XXIV. Index scriptorum . . . . . . . 612

# I.

# MELETEMATA CRITICA
## IN
## AESCHYLI PERSAS *).

Tragoediarum Graecarum quotquot benignior quaedam fortuna superstites esse voluit nulla nec saepius virorum sagacissimorum judicia exercuit, nec magis in diversum egit sententias, quam *Persae*, Aeschylea fabula, si verborum sensuumque magnificentiam, si os grandia sonaturum, Cothurno unice dignum, si sublime erectumque poetae ingenium spectes, nulli nec antiquitatis, nec recentioris aevi secunda, si novitatem consilii felicemque in argumento et eligendo et percolendo audaciam, omnibus quas novimus facile anteponenda. Quamvis ipsius hujus praestantiae insolentia in causis exstiterit, cur dissensus de vera tragoediae nostrae natura et indole etiamnum gliscens tam parum sit compositus, ut sententiam aliquatenus certe novam depromere supervacaneum esse haud videatur.

*) Censuram hujus programmatis egit *G. Hermannus Ephem. litt.* Lips. a. 1818. num. 265.; cf. ejusdem *Hermanni opuscula* Vol. II. p. 87 sqq. *F. Iacobsii scripta miscell.* Vol. V. p. 545 sqq. imprimis p. 572 sqq. EDITOR.

Ac de tempore quidem, quo *Aeschylus* docuerit *Persas*, ne ulla superesset dubitatio, vetus hujus fabulae enarrator effecit: haec enim ille in summario e didascaliis prodidit: *ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ,* nempe *Πυρφόρῳ* satyrica, quod praeter *ἀποσπασμάτια* nonnulla argumentorum quoque inter se comparatio ac postremus in recensu Promothei locus arguunt. Meno vero Archon nomen dedit anno Olymp. 76, 4. ante Christum natum 472, post Salaminiam victoriam octavo. Nec cunctanter addimus, *Persas* fabularum Aeschylearum quae aetatem tulerunt tempore primam ideoque omnium Atticae Tragoediae reliquiarum antiquissimam habendam esse. Statim ab hac disceptatione removemus *Prometheum Vinctum* et *Orestiam*. Testimonia quidem externa partim admodum sunt debilia, ac plane nihili illud, quod ex argumento utriusque *Promethei* petitur. Hinc enim omnium minime probari potest, *Vinctum* post *Igniferum* scriptum esse: de *Sophocle* iam nemo dubitat, quin priorem *Antigonae* recensionem diu ante *Oedipum Coloneum* docuerit, et *Euripidem* quoque *Tauricam Iphigeniam* ante quam *Aulidensem* emisisse ex utriusque dramatis oeconomia evinci potest, quantumvis contrarium placuerit *Aug. Boeckhio*, *Graec. Trag. Princ.* p. 223. Idem fere de fabularum suarum ordine, temporibus haud quaquam adstricto, nuper confessus et *Goethius* in libro de vita sua T. 3. p. 316.

nec abhorret gemellum *Shakespearii* ingenium. At si ceteris quoque iisque solidioribus veterum testimoniis destitueremur, eximia tamen ac paene absoluta ars Tragica, quam cum in *Prometheo*, tum in *Orestia* agnovimus, firmissimo argumento foret, haec tanta subactissimi ingenii monumenta aliquanto post certamen cum *Sophocle* Ol. 77, 3. a. C. 469. parum felici successu initum edita, serioribusque *Aeschyli* temporibus assignanda esse. Conveniunt, quae de duplice Eumenidum recensione tradita sunt, et quae praeterea monuit *Boeckhius* l. l. p. 35 sq.

Restant igitur *Septem adversus Thebas et Supplices*, quarum mascula incomptaque pulchritudo, Gratiarum, sed rigidarum plena, diverbia rariora, carmina denique Chori et extentiora et frequentiora tam similia sunt *Persis*, eosdemque fere artis gradus designant, ut iis antiquitatis gloriam controversam reddere possint, nisi *Septem adversus Thebas Persis* juniorem facerent diserta Scholiorum verba ad *Aristoph. Ran.* 1021. 1026. nam locum Comici cum *Spanhemio* in alium sensum detorquere haud debebat *Frid. Theoph. Welckerus* ad interpr. vernac. p. 216. quum testimonium Scholiastae magni *Didascaliarum* auctoritati innitatur. Ac quum a *Plutarcho, Aristid.* 3. p. 320. C. et *Apophth. Reg.* p. 186. B. edoceamur, τοὺς Ἕπτα superstite adhuc et praesente Aristide in scenam productos esse, nec quicquam huic narrationi fidem deroget, nonnulla vel addant, is

vero ex accuratis rationibus *Dodwelli* in *Annal. Thucyd.* Ol. 79, $\frac{3}{4}$. a. C. 461. supremum diem obierit, tempora hujus fabulae intra undecim annorum spatium comprehenduntur, quod arctius definiri nequit. Quantum ad *Supplices* nihil habemus, quod aut apponamus aut detrahamus argumentis, quibus freti *Conr. Schneiderus* ac *Boeckhius* l. l. p. 54. 60 sq. haud ante placatas Atheniensium et Argivorum res circa eversionem Mycenarum et bellum Messenicum tertium, Ol. 78, $\frac{3}{4}$. a. C. 465. ortum, *Supplices* doctam esse contendant. Hinc si qua est dignitas in vetustate, manebit ea *Persis*.

Sed haec sunt expeditiora: longe majorem dissensum patefecerunt judicia de fabulae nostrae fine atque consilio, deque loco, qui inter reliqua dramata Graeca ei tribuendus esset: in quibus quidnam intactum reliquerunt! Quot enim de hac re libelli, tot fere sententiae.

Primus *Spanhemius* recte attenderat ad memorabilem illam *Persas* inter et reliquas Atheniensium Tragoedias differentiam: in hac enim una uberrimos Tragicae poeseos fontes, Mythologiam Graecam, spretos, ipsum Graeciae solum, moresque et instituta patria deserta videmus: Barbari scenam occuparunt, in terram barbaram abreptis res modo gestae, quibus plurimi vel pugnantes, vel spectantes interfuerant, praeter morem a pulpito recitantur, luditque animos praesentia rerum, ubi ante hunc diem prisci aevi recordatio

spectatores impleverat *). Quum igitur id, quod sane insolitum erat, nec tolerabile videretur ***Spanhemio***, commentum quoddam ***Eratosthenis***, ***Persas*** Hieronis causa scriptam Syracusisque doctam esse, cupide arripuerunt, quibus nuper accedere conatus est ***Aug. Guil. Schlegelius***, ***de arte dram.*** T. 1. p. 162. qui summum poetam hac ratione excusare scilicet posse sibi visus est. At pugnant tempora, quum ***Aeschylus*** a ***Sophocle*** demum victus Syracusas concesserit; pugnant verba ***Aristophanis*** in ***Ranis***, ubi de ingenti, quem Athenis ***Persae*** tulerint, applausu agitur; pugnat, quod *gravissimum*, Tragoedia ipsa. Quis enim unquam sibi persuadeat, in gratiam Tyranni, cujus hospitio et amicitia fruebatur poeta, conscriptum esse carmen, quo acrius vehementiusque nullum invehi posset in universam Tyrannidem, ut quae frangeret populi vires, praesentesque Deorum poenas irrogaret. Tacemus de singulis locis, quae, ut omnia ad civitatem Atheniensium felicissime excogitata civilisque sapientiae plena sunt, ita vix hic illic habent, quae conditioni Syracusanorum accommodata videri queant: et ut confidentius quid dicamus, quae nos in oeconomia fabulae maxime laudamus, suspicimus, admiramur, ea in

---

*) Tragoediarum Latinarum ex historia Romana petitarum tria novimus exempla, *Brutum L. Attii*, laudatum *Varroni de ling. Lat.* 4, 14. cujus insigne fragmentum servavit *Cic. de divinat.* 1, 22. *Catonem Curiatii Materni*, de quo v. *dial. de oratoribus* 2. et quae una pervenit ad nos, *Octaviam*, a nonnullis *Senecae*, ab aliis *Materno* temere adscriptam.

totidem vitia abibunt, simulac ἄωτον huncce ἀοιδᾶς a materna Athenarum sede aliorsum transtulerimus.

Viam plane novam instituit *C. G. Siebelisius*, qui in *Diatribe de Aeschyli Persis*, a. 1794. edita, hoc sibi demonstrandum sumpsit, voluisse *Aeschylum* hostes jam prostratos omni ludibriorum et contumeliarum genere adhibito communi Graeciae derisui propinare, ita ut non tam Tragoediam, quam Comoediam scriberet, salibus facetiisque plenam. Et profecto tantum eruditionis, tantum acuminis et ingenii impendit *Siebelisius*, ut evicisset, nisi causae omnium perditissimae patrocinatus sit; unde factum est, ut praeter *Car. Iac. Blomfieldum*, Anglum, in ed. Pers. 1814. p. XI. nullum, quantum quidem novimus, assensorem nactus sit. Singula excutere nolumus, ne injurii videamur erga meritissimum paradoxi auctorem, diu fortasse postliminii jure usum. Hoc tantum monuerimus, derisum adversarii, continua funestorum proeliorum serie victi et ad nihilum fere redacti, nec Atheniensibus satis dignum fuisse, strenuis tum divini humanique juris propugnatoribus, nec *Aeschylo*, perpetuo temperantiae, modestiae, aequabilitatis laudatori, nec scenae denique Tragicae, ultionis divinae templo intemerato. Quid? in hac potissimum fabula, quae in gravissimis insolentiae, superbiae, impietatis castigationibus ob oculos ponendis versatur, poetam insultasse aeternis legibus, ab ipso cum maxime com-

mendatis, atque in idem, quod modo exagitaverat, vitium incidisse? Lapsum tam ridiculum vix infimae poetarum plebeculae, qualis hodie regnat in tignis, condonaveris.

Ad justam viam dudum revocavit quaestionem *Frid. Iacobsius* in *Wielandi Museo Attico.* T. 4, 1. p. XXII. cf. *Supplem. ad Sulzeri Theor.* T. 2, 2. p. 405. ita ut sublimem *Aeschyli* spiritum et ab omni γελωτοποιίᾳ longe longeque abhorrentem non agnosceret tantum, sed agnitum egregie quoque illustraret. Quodsi omnis argumenti tractatio ei propius ad musicum illud poeseos genus accedere videtur, cui nostrates a cantando nomen indiderunt *), nihil eo detractum voluit dignitati tragicae; nec obstat sententia *Henr. Vossii* in Annal. litter. Heidelb. 1816. Iun. p. 600. prolata, conspici in alternis Xerxis et Chori querelis, in quas desinit fabula, venam Comicam benigne affluentem, posseque inde colligi, qualis etiam in Satyricis exstiterit noster. Tyranno sane par pari rependit, spretaque omni miseratione talem eum spectatoribus ostendit, qualis fuerit. Sed homo, ciconiae sannaeque vel dignissimus, jam non movebit cachinnos, si sublimi loco constitutus fastu, stupore et ignavia universas gentes praecipites dederit in perniciem. Concedamus igitur *Vossio*, effusas illas viroque

*) Nimio applausu et ita ut Aeschylo injuriam faceret hanc comparationem excepit *Blümnerus de fato in Trag. Aeschyl.* p. 83.

indignas lamentationes Xerxis risum excitare potuisse Democritis Atheniensibus, qui licet, hunc risum cum eo conferre, quem ciebat Comoedia? Hic enim fabulae exitus horroris indignationisque quam cachinnationis plenior est. Egregia tamen in eo conspicitur ars, quod Tyrannidem non invisam tantum et odiosam, sed extrema hac scena ridiculam quoque et despectam reddidit poeta.

Omnium vero accuratissime et plenissime de Tragoedia nostra egit *Godofr. Hermannus* in libello peculiari *de Aeschyli Persis* a. 1814. edito. Confirmavit novisque argumentis auxit ea, quae antehac a *Iacobsio* observata erant, ac singula recensens fabulae pristinam suam dignitatem tam strenue asseruit, ut contra surrecturo cavendum sit, ne haud satis dignoscere videatur, quantum aera distent lupinis *). Dum igitur ea, quae ad summam disputationis spectant, omnia pro concessis haberi velimus, unum superesse videmus, quod iterum in discrimen vocare placet, non ut sententias *Iacobsii* et *Hermanni*, de quarum veritate nobis persuasissimum est, labefactare conemur, sed ut eas, in quantum quidem fieri poterit, arctioribus limitibus circumscribamus.

Tria in hac fabula condenda spectasse *Aeschylum* veri simile visum est *Hermanno*, ut bonam faceret Tragoediam, quod cum omnibus omnium

*) Unus qui post *Hermannum* in naturam Tragoediae nostrae inquisivit, *Phil. Conzius*, interp. vern. p. 111. ab iisdem partibus stat.

temporum bonis poetis commune habebat, ut superaret *Phrynichum* aemulum, et ut Athenienses ad virtutem excitaret. Ex his tribus quum primum tantum persequutus sit *Hermannus*, de reliquis quae nostra sententia sit, paucis exponere liceat.

Aemulatio illa inter *Phrynichum*, *Polyphradmonis* filium, et *Aeschylum*, aetate multo minorem, ante Ol. 75, $\frac{3}{4}$. a. C. 477. nulla fuisse videtur. Hoc vero anno, *Adimanto Archonte*, quod ei brevi ante, quum daret primam historici argumenti Tragoediam, *Mileti expugnationem* male cesserat, v. *Herodot.* 6, 21. coll. *P. Kannegiesseri Scen. com. Athen.* p. 90. iterum et feliciori successu tentavit *Phrynichus*. Vincebat enim nova fabula, quam *Persas* seu *Phoenissas* inscripserat. In ea eandem materiem tractaverat, quam *Aeschylus* quinque annos post in nostra Tragoedia. Quod vero hanc victoriam claram et insignem faciebat, ingentes fuerunt sumptus, quibus Chorum de suo instruxerat *Themistocles*, jam tum nova consilia agitans, ad altiora tendens, auramque popularem immodice captans. De ipsa fabula, quod haud uno nomine dolemus, exiguae ad nos pervenerunt notitiae: certiora disposuit et illustravit *Guil. Schneiderus de origg. Trag. Graec.* p. 79 sq. Quum vero *Χορηγίαι* primum fere locum obtinerent inter inania ambitionis, admodum fit credibile, *Themistoclem*, hac occasione oblata, ad semet ipsum Atheniensibus commen-

dandum arte et ingenio *Phrynichi* abusum esse, quod magnificentius fieri vix poterat, quam si virtutes ejus bellicae, Tragicae poeseos grandiloquentia auctae, de pulpito renunciabantur Vrbi. Nec in eo substitit audacia *Themistoclis:* addebat enim victoriae, teste *Plut. Themist.* 5. p. 114. C. dedicationem publicam tabulae pictae, victoriam ipsam referentis, cui haec adscribenda curaverat: *Θεμιστοκλῆς Φρεάῤῥιος ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν.* Hoc artificio sibi ipse paraverat, quod populus Atheniensis nunquam dedisset, in honoribus publicis concedendis tunc parcissimus. Ita paullo ante *Miltiades*, quum pugna Marathonia in Poecile depingeretur, rogaretque, ut imagini nomen quoque suum apponeretur, non impetravit: praemio satis magno donatus videbatur liberator patriae, si inter decem imperatores primus, militesque exhortans pingebatur. v. *Aeschin. contra Ctesiph.* 62, 7. *Reiske. Corn. Nep. Milt.* 6. *Plin. hist. nat.* 35, 34. Et *Cimoni* quidem post res in Thracia praeclare gestas ut lapides inscripti ponerentur, indulsit populus, sed celato ducis nomine. *Plut. Cim.* 7. p. 482. E. Nec aliter senserunt Lacedaemonii, quum exsculperent epigramma, a *Pausania* in tripode, Delphico Apollini e manubiis Medicis dicato, post pugnam ad Plataeas jactantius scriptum, et aliud in ejus locum sufficerent ut par erat sine ipsius nomine, de qua re videndi sunt Interpp. *Thucyd.* 1, 132. *Plutarch. de malign.*

*Herod.* p. 873. C. et *Iacobs ad Anthol. Palat.* p. 168. 927. nec aliter Thebani, qui, quum Meneclides Charonti rogaret honorem nominis, picturae, quae pugnam contra Gerandam Lacedaemonium referebat, publice addendi, non recusabant tantum petitionem, institutis patriis adversantem, sed Meneclidem quoque pecunia mulctabant, teste *Plut. Pelopid.* p. 291. C. Et jure haec: *οὐδ᾽ ἐστὶν οὐδείς, ὅστις ἂν εἴποι τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν Θεμιστοκλέους, ἀλλ᾽ Ἀθηναίων, οὐδὲ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην Μιλτιάδου, ἀλλὰ τῆς πόλεως:* verba sunt *Demosthenis contra Aristocrat.* p. 687, 17. *Reiske*, ubi subjunguntur haec: *νῦν δὲ πολλοὶ τοῦτο λέγουσι, ὡς Κέρκυραν εἷλε Τιμόθεος, καὶ τὴν Μόραν κατέκοψεν Ἰφικράτης, καὶ τὴν περὶ Νάξον ναυμαχίαν ἐνίκα Χαβρίας· δοκεῖτε γὰρ αὐτοὶ τῶν ἔργων τούτων παραχωρεῖν τῶν τιμῶν ταῖς ὑπερβολαῖς, ἃς δεδώκατε ἐπ᾽ αὐτοῖς ἑκάστῳ τούτων.*

Id igitur quod legitime se adipisci non posse probe intelligebat Themistocles, callida hac fraude nactus est, poenam astute subterfugiens; in quam rem multum conferebat ambiguitas quaesita in verbis: *Θεμιστοκλῆς Φρεάῤῥιος ἐχορήγει*, quae, quum tabula haud dubio aeque ac fabula pugnam Salaminiam ante oculos posuerit, ad utramque victoriam et scenicam et navalem spectabant; ita tamen, ut Themistocles prius tantum voluisse videretur.

Huic vero *Phrynichi* Tragoediae, qua The-

mistocles haud optime usus esse videtur, nos *Aeschyli Persas* tales, quales nunc sunt, acceptam referimus: testis est satis idoneus *Glaucus Rheginus* in commentariis de fabulis Aeschyli, unde auctor summarii haec attulit: *Γλαῦκος ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων, ἐκ τῶν Φοινισσῶν φησὶ Φρυνίχου τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι, ἐκτίθησι δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ δράματος ταύτην·*

*Τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων,* *πλὴν ἐκεῖ εὐνοῦχός ἐστιν ἀγγέλλων ἐν ἀρχῇ τὴν τοῦ Ξέρξου ἧτταν, στρωννύς τε θρόνους τινὰς τοῖς τῆς ἀρχῆς παρέδροις:* ex quibus recte collegit *Hermannus*, scenam ac personas in utraque fabula easdem fuisse. Ac *Phrynichum* in plurimis *Aeschylum* successorem eundem et imitatorem habuisse, cum alia fidem faciunt, tum verbum ipsum, quo usus est *Glaucus*, *παραποιεῖσθαι*, quod de diligentissima imitatione dici solebat, observante *Valken. ad Eurip. Hippol.* 1115, praeterea frequentior tetrametrorum trochaicorum usus: hos enim *Phrynichum* potissimum adhibuisse nos edocuit *Hermannus ad Aristot. de poet.* 4, 15. p. 108.

Hinc sponte nascitur quaestio, quanam causa adactus *Aeschylus* sibi hanç maxime fabulam exprimendam sumpserit, et quale in iis, in quibus recesserit a *Phrynicho*, consilium sit sequutus. Nec ad haec responderi potest iis, quae *Aristoph. Ran.* 1298. facete objicit *Aeschylo*, compilasse eum hortulos *Phrynichi* musicos. Nam haec ad

carmina aliquot citharrhoedica spectant: *Persas* vero ex universo in similitudinem *Phoenissarum* conformavit, et hanc imitationem, quin obscuraret, tantum abfuit, ut ostentasse potius eam videatur. Nec vero si voluisset celare, valuisset. *Phrynichi*, poetae haud ignobilis, Tragoedia ingeniose inventa, sumptuose edita, tabula Themistoclis quotidie civium in memoriam revocata, intra breve spatium quinque annorum haud adeo poterat abire in oblivionem, ut in nova quadam fabula ejusdem argumenti simillimaeque tractationis frequens imitatio fugeret spectatores attentos *sane et bene* auritos. Haud igitur dubitamus, quin propositum fuerit *Aeschylo*, *Phoenissas Phrynichi* funditus evertere, earumque in locum substituere *Persas*.

Hactenus viam sequuti sumus ab *Hermanno* monstratam, a qua nunc aliquantisper recedendum erit. Statuit enim vir egregius, fontem discriminum omnium *Phoenissas* inter ac *Persas* in cultiore et sublimiore *Aeschyli* ingenio indagandum esse, ita ut certamen mere poeticum cum *Phrynicho* instituerit noster: quam sententiam haud omnino improbamus: nam certe evitasset comparationem *Aeschylus*, nisi sibi conscius fuisset, se victorem proditurum esse ex hac arena: lubenter igitur concedimus, *Aeschylum*, ubi in adumbranda fabula aliter sit versatus ac *Phrynichus*, praecipue in excludendo eunucho et in choro haud e Phoenissis mulieribus, sed ex senibus

*stidem* excipiebat *Cimon*, *Miltiadis* f. Hi omnes, ingenio optimates, quanquam nullum ex re sibi arrogaverant cognomen ambitiosum, viri erant vere populares, talesque esse uno consensu putabantur: testis est *Plutarch. Solone.* 16. p. 87. C. et 110. B. *Aristid.* 22. p. 332. C. *Cim.* 5. p. 481. E. Interpp. *Luciani Scyth.* 5. Adversus hos circa bellum Medicum exsurgebat *Themistocles*, divini ingenii vir, ita ut ipse *Thucydides*, quamvis in civitate consiliis *Themistoclis* adversatus, summis eum post mortem extulerit laudibus, histor. 1, 138; sed corruptissimis moribus, quorum memorabile exemplum ex *Heraclide* servavit *Athenaeus* 12. p. 533. D. pecuniae conquirendae ad sordes usque intentus, *Plut. Themist.* 5. p. 114. A. *Aristid.* 4. p. 320. D. honestum haud cunctanter posthabens utili, gloriaeque ultra modum cupidus. *Themistocles* igitur, *Pisistratum* imitatus, ut suam augeret auctoritatem, plebem popularis imperii spe lactans, sensim sensimque imminuit majestatem legum a *Solone* latarum, idque potissimum instauranda classe perfecit: quod consilium quantum infringeret priscum Atheniensium robur, averteret cives a communi patriae defendendae ardore, luxuriemque et vitia trans mare nata omnia importaret in Vrbem, paucis egregie exposuit *I. G. Woltmannus* in commentatione de Aristide, *Fuquetii Musis* a. 1813. fasc. 1. inserta*).

*) Contra disputat *Frid. Kortüm* zur Gesch. Hellen. Staatsverfassung p. 73.

Nec aliter visum erat Graecorum sapientissimis: unum audiamus *Platonem*, *de Legg.* 4, 2. p. 706. B. ἔτι γὰρ ἂν πλεονάκις ἑπτὰ ἀπολέσαι παῖδας αὐτοῖς (Atheniensibus) συνήνεγκε, πρὶν ἀντὶ πεζῶν ὁπλιτῶν μονίμων, (vulgo male, νομίμων: veram lectionem servavit duplex *Plutarchi* locus, *Themist.* 4. p. 115. E. *Philopoem.* 14. p. 363. F. expressit *Ficinus*, agnoverunt *Stephanus* et *Astius*. Digna est quae comparetur de utriusque vocabuli confusione nota *Valcken. ad Eur. Phoen.* 541. quamvis hoc loco minus certa sit lectio *Plutarchi*: cf. etiam *Iacobs. ad Anth. Palat.* p. 188.) ναυτικοὺς γενομένους, ἐθισθῆναι, πυκνὰ ἀποπηδῶντας δρομικῶς εἰς τὰς ναῦς, ταχὺ πάλιν ἀποχωρεῖν, καὶ δοκεῖν μηδὲν αἰσχρὸν ποιεῖν, μὴ τολμῶντας ἀποθνήσκειν, μένοντας ἐπιφερομένων πολεμίων, ἀλλ' εἰκαίας αὐτοῖς γίνεσθαι προφάσεις καὶ σφόδρα ἑτοίμας, ὅπλα τε ἀπολλῦσι καὶ φεύγουσι δή τινας οὐκ αἰσχρὰς, ὥς φασι, φυγάς κτλ. quae *Plutarchus* l. l. haud inepte sic comprehendit: Θεμιστοκλῆς τὸ δόρυ καὶ τὴν ἀσπίδα τῶν πολιτῶν παρελόμενος, εἰς ὑπηρέσιον καὶ κώπην συνέστειλε τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον. Cum *Platone* facit *Aristophanes Acharn.* 162. et alibi salse irridens in novos hos Athenarum sospitatores, in haec propugnacula, majoribus aut incognita aut nullo pretio habita. Sed quid confugere ad judicia virorum, quales haud quodvis saeculum profert? populus Atheniensis ipse probe norat, immensum turpissimorum hominum agmen ex rei navalis

studio natum esse Vrbi, ita ut in utraque lingua nautae nomen inter convicia detruderetur et a probatissimis scriptoribus hoc sensu usurparetur v. *Heindorf. ad Plat. Phaedr.* 45. p. 239. et ad *Hor. Sat.* 1, 5, 4. Nautas, fures et fugitivos sociavit *Iuvenal.* 8, 174.

Huic tabi statim ab initio se opposuerant *Aristides* et ejus amici: hac enim via cum virtute singulorum etiam libertatem universorum celeriter pessumdari, et populo torpente in licentiam paucorum converti *). Fabulae scenicae apud Athenienses nunquam non cohaerebant cum administranda re publica, cujus quodammodo pars erant: nolebant tunc poetae nugis delectare verborumve obscoenitate corrumpere: poterant enim et punire flagitia et excitare ad virtutem; et populus ad optima quaeque semper pronus est. Tragoediae plerumque optimates favisse, Comoediae, qui plebis gratiam captarent, quamvis haud raro contra hos ipsos tela dirigeret Soccus, jam recte monitum est a *P. Kanngiessero Scen. Com. Athen.* p. 82 sq. 95 sq. *Aeschylus*, nobili loco natus, proeliis ad Marathonem, Salaminem et Plataeas

---

*) In regnis contraria erat ratio atque in rebus publicis: ibi enim *οἱ ἀριστοκρατοῦντες*, quos dicunt, idem nocebant regibus, quod factio nomine popularis populo Atheniensi: sed rarescunt Themistocles. Itaque in regno regi fidissimi sunt, qui maxime defendunt libertatem populi, in republica populo, qui ejus vim certis legibus coercent: haec enim in quemvis impetum, illud in quietem et languorem proclivius esse solet. v. *Tacit. Germ.* 37. *Agric.* 11.

non sine honore interfuerat: quid mirum, talem virum ab ea parte stetisse, quae magno ejus ingenio unice responderet? Quae vero semel amplexus erat ea nec firmiter tenere, ultra promovere, pro virili defendere veritus est. Transtulit igitur in Tragoediam, quae totum viri pectus replebant, et inde praeco factus est reverentiae erga Deos ac leges, justitiae, fortitudinis, temperantiae, earumque virtutum omnium, quas antiqua *Solonis* disciplina fovebat: *Sophoclem* in his omnibus imitatorem et aemulum habuit, sed ita ut ille praesentem potissimum rei publicae Atheniensis statum respiceret, hic nulla fere temporum locorumque ratione habita divinam generis humani naturam informaret. Eodem igitur jure, quo veteres *Aeschylum* *πολιτικώτατον*, nos *Sophoclem* poetarum *ἠθικώτατον* dicemus. Nec hae sunt conjecturae temere jactitatae: quippe documento admodum certo pepercit aevum, *Eumenidibus Aeschyli*, quae fabula, Aeschylearum omnium maxime ad rem publicam pertinens, ab initio usque ad finem in Areopago, validissimo contra imperium plebis munimento, celebrando et commendando versatur. Nec hoc praeter rem, quanquam frustra, instituerat poeta: etenim circa id ipsum tempus, quo *Eumenides* primum docebantur, Ol. 79, 4. a. C. 460. *Cimone* cum exercitu in Asia occupato, maximum detrimentum cepit auctoritas Areopagi, *Ephialte* ac *Pericle* auctoribus, v. *Plutarch. Pericl.* 7. p. 155. F. *Cim.* 10.

15. p. 485. B. 488. A. ita ut judicia non tantum omnia a Senatu ad populum transirent, et id potissimum popularis imperii jam non amplius temperati initium haberetur. Factum erat hoc anno ante *Eumenidas* primum datas. Quantum inde malorum redundaverit in Athenienses exposuit *Frid. Christ. Schlosserus, hist. univ.* T. 1. p. 126. conf. *Boeckhius de oecon. polit. Athen.* T. 1. p. 250 sq.: nec *Aeschylo* obscurum esse poterat, quorsum immatura haec conamina spectabant, et quem in finem necessario debebant evadere, quae ab immutatione rerum tam subita exorsa erant. Id quod sibi persuasissimum erat, in *Eumenidibus* tam aperte ac tam graviter professus est, ut, si quid potuisset inhibere rotas rei publicae deorsum ruentes, contigisset hoc fabulae, a summa prudentia civili et ardentissimo patriae amore profectae.

Eandem poetae mentem in *Prometheo Vincto*, opere nescio an absolutissimo *Aeschyli*, deprehendisse nobis visi sumus: quod qui in universam contra certos imperii terminos scriptum putant, egregie falluntur: *novis* tantum dominis, potestatem suam contra leges nactis et, ut fieri solet ab hominibus novis, arroganter exercentibus apertum bellum indictum est, v. praecipue v. 35. 950. 963. 968. Hinc Prometheum ipsum Areopagitis ceterisque antiquae disciplinae defensoribus comparaverimus, Iovem Pericli, (et ipsi Olympio, *Plutarch. Pericl.* 8. 39. p. 156. B. 173. C. cf. *Aristoph.*

*Acharn.* 530.) totique Demagogorum turbae, Mercurium Sycophantis, quorum abhinc ingens proventus, homines, a Prometheo beneficiis cumulatos, a Iove oppressos, populo Atheniensi. Sed haec paucis absolvi nequeunt: sufficiat igitur, obiter significasse sententiam nostram, quae aliquantulum certe lucis affundet iis, quae de *Persis* addituri sumus.

In hac ergo Tragoediae antiquae natura nihil erat mirum, si *Phrynichus*, aut alteri factioni revera addictus, aut sublime Themistoclis ingenium suspiciens, et ut poeta minus curans interiorem civitatis conditionem, facile eo adduci poterat, ut victoriam Salaminiam, magnam in ea navium Graecarum utilitatem ac quod nullo modo separandum erat, sapiens consilium et praeclaras Themistoclis virtutes bellicas carmine Tragico celebraret. Praeterea bonum sibi poetam obstrinxerat Themistocles: dederat enim Chorum et admodum sumptuosum: sed nec hoc temere fecisse putandus est homo, rei familiari nimium quantum intentus et a curis ambitiosis nunquam requiescens. Quae quum ita sint, nobis non est dubium, quin eo inspirante et compellente *Phoenissas* conscripserit *Phrynichus;* quamvis nolimus, ulla inde in poetam, consiliorum quae promovere debebat fortasse ignarissimum, cadat culpa. Etiam hoc pro explorato habemus, nec Themistoclis nomen a scena auditum, nec ejus laudes aperte decantatas esse: pessime profecto

evenisset laudatori et laudato, nec id sibi expetebat vir in ambitione cautissimus. Maximam rem nactus erat, si in solenni hac pugnae Salaminiae adumbratione potissima Persarum ad internecionem redactorum laus, quod vel jure quodam facere licebat, ad naves Athenienses deferebatur; tunc enim victoria populo Graeco erepta et unius Themistoclis prudentiae vindicata erat: Tragoediam vero in eo occupatam haud injuria *τοῖς δημοκρατοῦσι* mirum in modum faventem atque ipsam minime quidem popularem, sed Democraticam vocaverimus. Quod ut statuamus inscriptio quoque ***Phoenissarum****) magnopere suadet. Quis non interroget, cur ex his potissimum mulieribus Chorum composuerit poeta? Hoc egregie instituit, siquidem summum fortunae et victoriae argumentum in classi optime instructa et excellenti imperatori commissa situm videbat. Nulla alia gens his temporibus sibi clarius ab arte navigatoria nomen comparaverat quam Phoenices, qui etiam ad hoc bellum longe maximam navium partem Xerxi suppeditaverant, v. ***Wessel. ad Diodor. Sic.*** 11, 3. et ***Valcken. ad Herodot.*** 7, 89. Clade igitur navali Phoenices prae ceteris Persici imperii nationibus affligebantur; et quum poeta sapienti consilio rem ita instituisset, ut magnitudinem facti non in gaudio ac tripudiis populi victoris,

*) *Persas* enim hanc fabulam unus nominavit *Suidas* v. *Φρύνιχος*, sublestae fidei testis, et hic eo quoque errans, quod diversas Tragoedias fecit Persas et Phoenissas Phrynichi.

sed in lamentationibus gentis victae ostenderet, nova laude dignus est quod Phoenissas sibi mulieres ad Chorum constituendum elegerat.

Prius recte ad Tragoediam suam transtulit *Aeschylus:* posterius eodem jure immutavit, nec hoc ea tantum de causa, quam indicavit *Hermannus* *). Nam ut haudquaquam dissimulavit, quantum ad liberandam patriam etiam naves contulerint, nec quicquam veris *Themistoclis* meritis

---

*) „Grande quiddam et admirabile animo conceperat, magnitudinem cladis a Persis acceptae eo depingere, quod universam eorum civitatem afflictum ostenderet. — Est enim *is* adhibitus personarum delectus, ut nihil ad imaginem universae civitatis deesse videatur. Populum Chorus, regiam majestatem Atossa, exercitum nuncius, ducem dux ipse idemque rex Xerxes, denique vatem Darius repraesentat: quos omnes quum afflictos lugentesque videmus, ecqua potest major fingi aut illustrior species moeroris per omnes universae civitatis partes diffusi? Igitur si detracta colloquentium personarum fictione rem ipsam spectamus, civitatem Persarum videmus initio de eventu belli sollicitam, mox re comperta consternatam, deinde ab Diis auxilium petentem, denique accepto Dei responso, adspectu redeuntium in effusum luctum erumpentem. A tali vero consilio Chorus, qui non ex Persis esset, ita abhorrebat, ut, si poeta Phrynichi exemplo Phoenissas mulieres introduxisset, omnis illa universae civitatis imago interitura fuisset. Quin sapienter ne Persicas quidem mulieres adhibendas putavit, quod civitatis vicem sustinere virorum potius est, quam mulierum." p. VIII. IX. Sed nec hoc plane praetermittendum est, apertius conspici infortunii magnitudinem, si virorum prudentissimorum animos, non mulierum tantum sensus molliores, attonitos et conturbatos ostendebat poeta: vide quae hac de re historiarum auctoribus intelligenter praecepit *Lucianus de conscrib. hist.* 8.

detractum voluit, ita eadem haec justitia ab eo exigebat, ut copiis pedestribus totique populo Atheniensi sua victoriae pars restituatur. His omnibus summum vigorem addebat ea, quam de patriae salute conceperat, sententia: huic adversata erat fabula *Phrynichi*, a populo cum applausu excepta; huic jam opitulatur poeta. Cave credas, obstare quinquennium inter *Phoenissas* et *Persas* elapsum: nunquam contra *Phrynichum* fabulam docuisset *Aeschylus*, nisi si quid ab illo effectum cognovisset Athenis, nec id in duos vel tres dies, sed in longius duraturum. Sed ut de hac ipsa re ei constaret, ante omnia tempore fuit opus. Quis vero contendet, sero prodiisse Tragoediam nostram, si consideraverit, quales per ipsum hoc quinquennium successus fecerit *Themistoclis* increscens auctoritas populique impotentia?

Quae hactenus in universum disputavimus, et ita quidem, ut ex consiliis ipsius *Aeschyli* de adversariorum moliminibus certius quid statuere conaremur, his novum fundamentum accedit, si singulas *Persarum* partes accuratius expendimus.

Res est notissima oraculum Delphicum, brevi ante exortum bellum Persicum Atheniensibus datum: in quo quum obscurius enunciarentur verba,

τεῖχος Τριτογονεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
μοῖνον ἀπόρθητον τελέθειν *),

*) *Herodot.* 7, 140. 143. *Plutarch. Themist.* 10. p. 116. E. *Schol. Aristoph. Equit.* 1037.

civibus suspensis et fluctuantibus murum ligneum de navibus callide interpretatus est *Themistocles*, quod judicium post felicem pugnae eventum ore omnium circumferebatur. Quid vero *Aeschylus?* alium noverat Athenarum murum eumque haud paulo fortiorem: accipe ipsum v. 346. ubi nuncium, e Graecia redeuntem, hcec dicentem facit:

> ἔστ᾽ ἄρ᾽ Ἀθηνῶν, ἔστ᾽ ἀπόρθητος πόλις,
> ἀνδρῶν γὰρ ὄντων ἕρκος ἐστὶν ἀσφαλές*).

Negat in navibus quaerendum esse praesidium Vrbis, quod unice virtuti civium insit, nec multum tribuerimus sententiae in universum verissimae et ab aliis antea pronunciatae: at negat hoc iisdem fere verbis, quibus Oraculum Delphicum usum erat, sed ita ut navibus, quas Dei verbis intulerat *Themistocles*, viros sufficeret: quod casu accidisse quis putet?

Iam ad ipsam pugnarum descriptionem attendamus. Magnifice sane narrantur res ad Salaminem gestae inde a v. 351. et ut par erat in primitiis victoriae, quibus hostium animus depri-

---

*) Dedimus verba *Aeschyli*, qualia leguntur in Aldina, optimo lectionis Aeschyleae fonte. Interpretatio nihil habet difficultatis: *Est sane, est sospes urbs Athenarum; viris enim superstitibus murus adest nunquam lapsurus.* Apophthegma inter Laconica refertur et Lycurgo tribuitur, *Plutarch. Lyc.* 19. p. 52. B. *οὐκ ἂν εἴη ἀτείχιστος πόλις, ἅτις ἀνδράσι καὶ οὐ πλίνθοις ἐστεφάνωται.* *Apophth. Lacon.* p. 228. E. Eandem sententiam suam fecit *Soph. O. Tyr.* 57. ubi ab *Erfurdtio* Themistocli tribuitur: quo jure, nescio. Similia *Alcaei* et *Demosthenis* loca habet Schol. Sophocl. *Plaut. Pers.* 4, 4, 6. *Si incolae bene sunt morati, pulchre munitum arbitror* (oppidum).

mebatur. Graecorum confidentia ac fortitudo crescebat. Sed ita persequutus est hanc narrationem, ut in ea nihil nisi ipsum hoc majoris fortunae initium nobis appareat, quod vel expressis verbis significavit v. 433 sq.

*εὖ νῦν τόδ' ἴσθι, μηδέπω μεσοῦν κακῶν·*
*τοιάδ' ἐπ' αὐτοῖς ἦλθε συμφορὰ πάθους,*
*ὡς τοῖσδε καὶ δὶς ἀντισηκῶσαι ῥοπῇ.*

His sibi transitum facit ad ea, quae eodem die in insula Psyttalea selecto Persarum exercitui, juvenibus nobilibus regi fidissimis, acciderant. Si fides habenda est *Herodoto* 8, 76. 95. multo minoris haec erant momenti: sed fiebant *Aristide* duce, nec a copiis navalibus, sed a gravis armaturae militibus perpetrabantur v. 454. Vulnus hinc Xerxi inflictum eo exaggerat noster, quod regem non post excidium navium, sed post cladem in insula Psyttalea acceptam in fugam dat v. 463.

At haec omnia tanquam praevia atque spectatorum animos ad majus quid praeparantia nobis apparebunt, si ad orationem Darii de pugna Plataeensi v. 797 sq. pergimus. Pondus gravissimarum sententiarum eximiumque verborum delectum auget persona Darii, qui ab inferis redux, summa cum veneratione a Choro exceptus, haec fatidico ore effatur, quum priora miles fugitivus narrasset, nec hic amplius duces necati, militum sanguis, armorum strepitus, excisi exercitus nobis ob oculos collocantur; sed impia totius gentis

facinora, jura divina humanaque pedibus protrita, ultio demum a supremo numini immissa, ex tumulis caesorum sera hominum genera monitura, ne superbia in se convertant poenas aeternae justitiae: v. 815 sq.

*θῖνες νεκρῶν δὲ καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ*
*ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασι βροτῶν,*
*ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα δεῖ φρονεῖν·*
*ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ᾽ ἐκάρπωσε στάχυν*
*ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος* *).

Hoc igitur proelium, omnium gravissimum, quo res Persarum in Graecia conficiebantur, navibus suppetias haud ferentibus, ab exercitu pedestri pugnatum erat, Atheniensibus vero, quorum gravis armatura laevum cornu tenebat, praeerat *Aristides. Herodot.* 9, 28. 29. Ordinem sane pugnarum monstraverat historia ipsa: ars vero ac consilium, quod sequutus est poeta, in praeclara hac gradatione conspicitur, qua rebus

---

*) v. 815. ordinem verborum, *θῖνες νεκρῶν δὲ*, restituimus ex *Aldina*, unde ne enotatus quidem est ab editoribus: consentiunt cod. Mosq. edd. Robort. et Turn. favet metrum, nec obstat positio particulae. v. *Seidler. ad Eur. Troad.* 831. *Poppo obss. crit. in Thucyd.* p. 30. — v. 816. *ὄμμασι* retinuimus, quod non magis erat corrigendum quam v. 779. *νέα φρονεῖ*, quae frustra tentata sunt ab *Erfurdtio ad Soph. Aj.* 1109. p. 625. et a *Monkio ad Eur. Hippol.* 1284. imposuerat viris egregiis *Porso ad Eur. Or.* 64.— v. 817. *δεῖ* pro vulgato *χρὴ* revocavimus ex Ald. — v. 819. errant recentiores, ad *ἐξαμᾷ* „*hominem*" supplentes. Superbia enim ipsa lacrymosam messem metit. Verum videt Scholiastes.

postremo loco gestis et earum quae anteacta erant mole paene obrutis tantam magnitudinem et tam insigne decus addidit, ut omnia, quae praecesserant, facile superarent.

Convenit cum eis, quae hactenus de fabulae conformatione disputavimus, additque eis cumulum haud exiguus numerus singulorum locorum, ad eandem rem spectantium: quae quum omnia illustrare nunc non vacet, monebimus certe de eis, quibus de variis armorum militiaeve generibus agitur. Ab hac enim parte immutationem status praesentis prudenter exorsus erat Themistocles, haec enim cum tota Atheniensium vita et publica et privata arctissimo vinculo cohaerebant. His semel conversis jugum quoque excussum erat, quod leges Solonis hominibus ambitiosis imponebant. Si igitur ulla res omnium civium animos exercebat, haec erat. Nec id cuiquam mirum videbitur, dummodo conditionem nostrorum, quos ipsi videmus, dierum consideraverit. Multa sibi invicem repugnantia peperit aevum: sed vix de ulla re acerbius litigatum est, quam de juventute nostra, utrum ad virilem priorum saeculorum disciplinam revocanda, an in posterum quoque mollitiei et inertiae permittenda sit, quae bonam aequalium partem deprimunt, ac semper altiores radices acturae sunt, nisi fortiter coerceantur vitia blandientia. Quae cura, quamvis pars tantum sit laborum, civium cuique pro patria suscipiendorum, eo usque agitare coepit hominum animos,

ut haec una, simulac de tempore nostro sermo injectus sit, vehementissimum nec raro stolidissimum controversiarum ardorem in semet convertere soleat, nec immerito. Sentiunt enim omnes, mali aeque atque honesti, maxima quaeque et nobilissima generis humani bona hinc suspensa esse. Tale momentum, minutum fortasse, si cum summa rerum comparatur, sed abs quo omnia debent ordiri, quovis tempore nobis datum existimamus, dummodo agnoscatur et pro gravitate sua foveatur a genio saeculi. Apud Athenienses duo potissimum hoc aevo exstabant, quae sancte observata *populi* libertatem et antiquam morum *dignitatem* sustentabant, neglecta vero ac prodita secum in ruinam trahebant fundamenta civitatis: honorem dicimus Areopago habitum ac priscas de re militari institutiones. Et Areopagi quidem auctoritatem nondum quisquam attrectare ausus erat: hoc sibi in tempus magis opportunum seposuerant novatores. Quo vero minus se abstinerent a gravissimis rei militaris immutationibus, ipsa victoria Salaminia occasionem praebuerat. Auxerat enim, ut par erat, Themistoclis potentiam, impensiusque promovebat rei navalis studium.

Quae inde metuenda essent civitati civiumque moribus, supra indicavimus. Vnum restat, ut videamus, quomodo de his rebus in *Persis* judicaverit *Aeschylus:* plurima enim hujus fabulae loca eo spectare et unice ex his curis publicis

*Persas* doceret *Aeschylus*, nondum dederat Themistocles: nec in ullum hominem Graecum invehitur poeta. Sed omnia, quae hostibus acciderant, mala non tam ad excellentiorem Graecorum fortitudinem, ad perfectiorem apud eos artem bellicam, ad ullam causam externam, quam ad iram Deorum refert, quorum numina gravissimis delictis contra se irritaverant Persae, v. 345. 400. 452. 495. 512. 742. 824. Atheniensibus contra meritus Deorum favor victoriam conciliaverat, qua persuasione nimiam singulorum fiduciam deprimere, populumque universum, ut Deos sibi praesentes etiam servaret, exhortari aggressus est noster: Si quidem verum est, quod conjicimus, ab hac parte paulo jactantius versatum esse *Phrynichum*, quod amico Themistoclis facile poterat accidere, eumque in nimias Atheniensium laudes excurrisse, jam non licet dubitari, quibusnam potissimum in rebus imitatio sive ut rectius dicamus aemulatio et oppositio *Aeschyli* constiterit: haec enim in arctissima imitatione optime cognoscebatur. Haud igitur *Phrynichum* poetam, sed *Phrynichum* de civitate populo male et perverse consulentem superare apud se constituerat. Fecit hoc eadem via, qua a vera justaque ratione aberraverat ille, Tragoediae ope et auxilio: nihil vero ab hac parte effici poterat, nisi victo antea et obscurato poeta, quod in scena jure potissimum habebatur. Nec minus recte monitum est, *Aeschylum* id quoque in *Persis* spectasse, ut Athe-

nienses ad fortitudinem compelleret, quae etiam *Aristophanis* erat sententia: quamvis hoc separare nolimus a ceteris. Nam ipsa haec virtus pendebat a disciplina antiqua, per totam fabulam vindicata.

Vt igitur paucis comprehendamus, quae nobis visa sint, unum revera ac simplex consilium obversatum est *Aeschylo* in condenda Tragoedia nostra, *Persas*que Themistocli ejusque conaminibus eodem modo opposuit, quo postea *Eumenidas* Ephialtae, rerum novarum cupidos ad saniorem mentem revocaturus relicturusque priscae virtutis monumentum posteris. Ac si *Phrynichi Phoenissis* fata pepercissent, idem argumentum a duobus poetis, altero a populi, altero a plebis parte stantibus, si quaerimus de conformatione externa similiter, si de ingenio ac consilio auctorum diversissime tractatum haberemus.

Ne vero, de universo fabulae sensu solliciti, singulas ejus difficultates negligere videamur, jam extremam eamque difficillimam *Persarum* partem accuratius examinabimus, eamque primum ex lectionibus optimorum librorum, cum manu scriptorum, tum impressorum integritati suae, in quantum fieri poterat, restitutam apponemus, de rationibus scripturarum a nobis adoptatarum postea disputaturi.

---

## Χ Ο Ρ Ο Σ.

### Στροφὴ α΄.

Ὦ πόποι, ἦ μεγάλης ἀγαθᾶς τε πο-
λισσονόμου βιοτᾶς ἐπεκύρσαμεν,
εὖθ᾽ ὁ γηραιὸς
πανταρκὴς, ἀκάκης, ἄμαχος βασιλεὺς,
ἰσόθεος Δαρεῖος ἆρχε χώρας.

### Ἀντιστροφὴ β΄.

Πρῶτα μὲν εὐδοκίμου στρατιᾶς ἀπε-
φαινόμεθ᾽, ἠδὲ νομίσματα πύργινα
πάντ᾽ ἐπεύθυνον·
νόστοι δ᾽ ἐκ πολέμων ἀπόνους, ἀπαθεῖς
ἡμέας εὖ πράσσοντας ἆγον ἐς οἴκους·

### Στροφὴ β΄.

ὅσας δ᾽ εἷλε πόλεις, πόρον οὐ δια-
βὰς Ἅλυος ποταμοῦ, οὐδ᾽ ἀφ᾽ ἑστίας συθείς·
οἷαι Στρυμονίου πελάγους Ἀχελωΐδος εἰσὶ πάροικοι,
Θρηκίων ἐπαύλων·

**Diversitas lectionis Schützianae. ed. maj. a. 1811. 849.** μεγάλας. **852.** ἀκάκας. **856. 7.** νόμιμα τὰ πύργινα. **859. 60.** ἡμᾶς εὐπράσσοντας ἆγον. **866.** Ἀχελωΐδες. **866. 67. nulla distinctio nec post** πάροικοι, **nec post** ἐπαύλων.

Ἀντιστροφὴ β΄.

Λίμνας τ' ἔκτοθεν αἱ κατὰ χέρσον ἐ-
ληλαμέναι πέρι τοῦδ' ἄνακτος ἄϊον,
Ἕλλας ἀμφὶ πόρον πλατὺν αὐχόμεναι, μυχία τε
Προποντίς,
καὶ στόμωμα Πόντου·

Στροφὴ γ΄.

νᾶσοί θ', αἳ κατὰ πρῶν' ἅλιον περίκλυστοι
τᾷδε γᾷ προςήμεναι,
οἵα Λέσβος, ἐλαιόφυτός τε Σάμος, Χίος,
ἠδὲ Πάρος, Νάξος, Μύκονος, Τήνῳ τε συνάπτουσ'
Ἄνδρος ἀγχιγείτων·

Ἀντιστροφὴ γ΄.

καὶ τας ἀγχιάλους ἐκράτυνε μεσάκτους,
Λῆμνον, Ἰκάρου θ' ἕδος,
Ῥόδον τ', ἠδὲ Κνίδον, Κυπρίας τε πόλεις, Πάφον,
ἠδὲ Σόλους, Σαλαμῖνά τε, τῆς νῦν ματρόπολις τῶνδ'
αἰτία στεναγμῶν·

Ἐπῳδός.

Str. ϛ'. v. 1. Anapaestum in trimetris diverbiorum diligenter evitatum in carminibus choricis defendunt *Erf. ad Soph. Ajac.* 697. et *Reisig. conject. Aristoph.* p. 37. Quae ut in universum verissime disputata sunt, variaque criticorum conamina coercent, ita in hunc locum et in str. 7. v. 1. nullam vim habent. Rectius enim cum *Herm. elem. metr.* p. 54. 122. *συνεκφώνησις* vocalium admittetur. — v. 2. In his multis fortasse nimis audacter rem gessisse videbor, versum enim strophicum antistrophicum, antistrophicum stro-

phicum fieri jussi. Sed qui attenderit ad insignem atque praeclaram artem, qua Aeschylus in hoc praecipue exordio non strophica solum verba strophicis, sententias sententiis opposuit, sed etiam in ipsius dialogi decursu sermonem iisdem verbis graviter repetitis nectit, is vix dubitabit, quin provocationi regis, *δίαινε πῆμα*, Chorus rectius respondeat:

διαίνομαι γοεδνὸς ὤν.

Firmant nostram sententiam plura hujus systematis loca, Antistr. 2, 4. Str. 4, 2. Antistr. 4, 2. Str. 5, 4. Str. 7, 5. — v. 3. *βόα νῦν*. Ald. Rob. Turn. — v. 4. Exempla hujus *φαρηχήσεως* praebet *Lobeck. ad Soph. Aj.* 865. — v. 6. *ὀτοτοτοῖ ὀτοττοῖ*, Ald. quod dedi, exhibet idem in antistr. idque numeris carminis aptissimum. — v. 7. *ἅδ' ἁ συμφ*. Ald. Rob. Vict. Cant. — v. 8. *οἴ μάλα*. Ald.

Antistr. ς'. v. 3. *βόα νῦν*, Ald. Rob. Turn. v. 4. *μέλλειν*, Ald. — v. 7. 8. Distinctionem personarum assumpsi ex Ald., ubi tamen *μεμίξεταί μοι*, omisso *οἴ μοι* in sequenti versu. Sed huic errori liquida verae lectionis vestigia insunt. Major fides accedit supplemento nostro e versu antithetico. *παλαγά*. Ald.

Str. et antistr. ζ'. v. 1046 — 1050. 1051 — 1056.

— —́ v — v —́ v — v —́ v —
[v v v v v v v v v]
— —́ v — — —́ v — v̄ —́ v —

v —́ v — v   v v́ v —́ v
v —́ —́ —   v   —́ v — —

Str. ζ'. v. 1. Prava conjectura affecit versum *Pors. post Eur. Hec.* p. 106. Nec minor error est *Burneji* et *Blomfieldi*, qui de antispastis cogitant. Eadem lege pronunciandus est versus, qua strophae sextae primus. Nec reliqua strophae et antistrophae pars quicquam a tempore aut a librariis perpessa est, ita ut nihil habeamus, quod addamus, praeter varias lectiones Aldinas ac Lipsienses. Str. v. 2. ἄνια ter, Ald. v. 3. ὕπερθε. Ald. ὕπερθος. cod. Lips. v. 4. prius ἄπριγδα deest in cod. Lips. v. 5. ἕξω. Ald. unde aspirationem retinui. — Antistr. v. 2. ἄνια ter, Ald. v. 5. διαίνου (supra scriptum δίαινε.) δ' ὅσα. cod. Lips.

Epodus. v. 1058 — 1068.

v —́ —́ —   v —́ v —
— —́ —́ —
— —́ v — v —́ v —
v —́ v —   —́ v — v —́ v —
v —́ —́ v —   v
v —́ —́ v —   —
v —́ v́ v v —
v —́ v —   —́ v — v —́ v —
— —́ —́ —   — —́ —́ v
— —́ —́ —   — v́ v́ v v v —
— —́ —́ v —   v —́ —́ v —

Epod. v. 1. *βόα νῦν ἀντίδουπαι.* Ald. v. 2. *οἶ* ter. Ald. v. 3. *αἴακτος* Ald. v. 4 et 8. *δύςβατος.* Ald. cum codd. et edd. vett. omn. Sed alter Paris. *δύςβακτος*, cum glossa *δυςθρήνητος*, unde *Brunckius* *δυςβάϋκτος* conjectura effecit, quod nunc regnat in edd., at Scholiastes quoque veterem lectionem servavit: *δύςβατόν φησι τὴν Περσίδα, οὐχ ὡς σκληρὰν καὶ δύςκολον εἰς ἔμβασιν, ἀλλ' ὡς ἐπὶ κακῷ καὶ δυςτυχίᾳ βαινομένην τῷ Ξέρξῃ.* Quae si diligentius expendisset *Schützius*, librorum lectionem absurdam dicere dubitasset. — v. 5. 6. *ἰὼ δὴ* et *ἰὼ δῆτα.* Ald. *ναὶ ναὶ* Xerxi tribuit cod. Lips. v. 8. alterum *ἰώ* omisit cod. Lips. Ceterum versum hic repetitum spurium censet *Blomf.*, qui totum locum sic constituit:

Xerx. *γοᾶσθ' ἁβροβάται.*
Chor. *ἰὴ, ἰὴ, ἰή.*
Xerx. *ἰὴ τρισκάλμοις βαρίσιν ὀλόμενοι.*

Quae quam sint arbitraria, quis non videt? Praeterea in prosodia vocabuli *βᾶρις* peccavit, quod recte *προπερισπομένως* edidit *Iacobs. Anthol. Palat.* 7, 365. conf. *Antiattic.* in *Bekkeri anecd.* T. 1. p. 84. et *Schaefer. ad Greg. Cor.* p. 522. *ὀλλόμενοι*, Ald. — v. 11. *πέμψω τοῖσε*, Ald. *πέμψω τοῖςδε*, cod. Lips. *πέμψω τοί σε*, cod. Medic. Barocc. Colb. 2. Guelf. quod recepi: *δυςθρόοισιν* vero pro *δυςθρόοις* est ex emendatione *Blomfieldi.* Absolvitur carmen totaque

Tragoedia rhythmis Dochmiacis, vehementissimis omnium ac maxime commotis, quod unus quantum quidem novimus Aeschylus ausus est. Sed ipsum fabulae argumentum hunc sibi exitum deposcebat, Tyrannum ad omnium rerum desperationem adductum, malaeque conscientiae *Furiis* traditum.

# II.

# DE PRIMO EVMENIDVM AESCHYLEARVM CANTICO COMMENTATIO.

---

Tragoedia Aeschylea, a Furiis inscripta, narratiunculis fabulosis sibique haud raro adversantibus adeo erat obscurata, ut non sit mirandum, recentiorum quoque judicia in varias partes discessisse. Nolumus repetere, quae post Petitum, Stanlejum, alios, a Boettigero, Ilgenio, Boeckhio, ut lucem affunderent inveteratae caligini, ingeniose et erudite sunt disputata. Etenim quae ad res in his quaestionibus gravissimas pertinebant, ad numerum chori, ex quinquaginta, ut ferebatur, Furiis compositi, et ad timorem, quem prodeuntes pueris mulieribusque gravidis incusserint Deae, ea nobis a *Godofr. Hermanno* in dissertationibus de choro Eumenidum Aeschyli duabus confecta fere videntur: in qua difficillimi argumenti tractatione si quid sit, quod reliquis magis placere posset, priores tamen deferremus partes iis, quae de choro σποράδην in scenam producto, quid vere significet adverbium, exponuntur.

Hoc vocabulo recte intellecto, quum alia illustrantur, tum maxime interior primi carminis chorici natura aperitur. „Totum istud carmen,“ ipsius Hermanni verba sunt, dissert. I. p. 14. „a „v. 140. ad v. 178. (138—169. Well.) tam omni „sententiarum nexu destitutum est, tamque mul- „tas continet ejusdem rei aliter atque aliter ex- „pressae repetitiones, ut non videatur dubitari „posse, quin, quod alibi quoque, eodem indicio „ducti, factum animadvertimus, non universus „chorus aut pro eo coryphaeus, sed singulae per- „sonae loquantur. Has enim deinceps accedentes „neque mirum est in pari indignatione omnes in „eandem sententiam loqui, et necessarium, nexu „talem orationem carere.“

Iacent enim Furiae in anteriore templi Delphici parte, Apollinis arte consopitae: accedit umbra Clytaemnestrae et oratione vehementissima eas excitare conatur: nec frustra. Audiuntur primo somniantium voces adhuc inconditae: tunc una, haud dubie coryphaeus, expergefacta, apertis jam portarum valvis, socias quoque somno excutere festinat his verbis, v. 135 sq. Well.

*ἔγειρ᾽, ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ᾽, ἐγὼ δὲ σέ·*
*εὕδεις; ἀνίστω κἀπολακτίσασ᾽ ὕπνον*
*ἰδώμεθ᾽, εἴ τι τοῦδε φροιμίου ματᾷ.*

Excitatis jam Furiarum compluribus, confestim prima illa foras se proripit, scenam vacuam videt Orestemque sibi subductum sentit. Sequuntur reliquae una post alteram, (*σποράδην*)

et singulae singula commata decantant. „Apertum vero est,“ observat Hermannus, „quantum talis ingressus terrorem excitare debuerit, „Furiis alia post aliam ex adyto egredientibus, „eaque re speciem praebentibus gregis finem non „habituri.“

Brevior vero fuit Hermannus in designandis personis: primo enim versu

ἰοὺ ἰοὺ πόπαξ, ἐπάθομεν, φίλαι.,

secundae Furiae, secundo,

ἦ πολλὰ δὴ παθοῦσα καὶ μάτην ἐγώ.,

tertiae, tertio et quarto,

ἐπάθομεν πάθος δυςαχὲς, ὢ πόποι,
ἄφερτον κακόν.,

quartae tributo, de reliquis tacet. Neque ultra progressus est Wellauerus, qui addit etiam, in reliquis personarum descriptionem magis in ambiguo omninoque mirum esse, in antistropha non iisdem locis novas personas poni, in qua re accuratam responsionem exspectaveris: nihil prorsus definierunt Lachmannus de chor. syst. p. 136. et Schwenckius in editione sua. Sed Hermannus post modo in Opusculis, T. II. p. 136. mutavit sententiam: quae enim antea quartae Furiae fecerat verba, ea nunc iterum secundae adscribenda censet, ut orationem a tertia interpellatam ad finem producat: quarta deinceps habet, quod legitur:

ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν, οἴχεται δ' ὁ θήρ.,

quam excipit quinta:

ὕπνῳ κρατηθεῖσ' ἄγραν ὤλεσα.

At si ad eundem modum distribui jubet Hermannus versus antistrophae, haec equidem, quo modo fieri possint, non intelligo: quacunque enim te vertas ratione, versui antistrophico secundo, tertio, quarto haud convenit cum strophico. Praeterea nulla apparet necessitas orationis in stropha interruptae et rursus inchoatae, quod eo magis displicet, quum versus primus sententiam suam prorsus absolvat, neque ullum aliud per totum carmen interpellationis indicium deprehendatur: mirum profecto, hoc uno loco tale quid praeter necessitatem esse admissum. Offendit etiam alia res: coryphaeus Orestem indagatura post trimetros prosilit in scenam, et nunc demum omnium venit in conspectum: consentaneum igitur, ubi singulae cantantes inducuntur, coryphaeo quoque partes suas et in initio quidem carminis fuisse. His positis novam eamque per quindecim personas descriptionem fecimus hanc:

Στρ. ά.

*Α.* ἰοὺ ἰοὺ πόπαξ, ἐπάθομεν, φίλαι.
*Β.* ἦ πολλὰ δὴ παθοῦσα καὶ μάτην ἐγώ.
*Γ.* ἐπάθομεν πάθος δυςαχὲς, ὦ πόποι,
ἄφερτον κακόν.
*Δ.* ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν, οἴχεται δ' ὁ θήρ.
*Ε.* ὕπνῳ κρατηθεῖσ' ἄγραν ὤλεσα.

Ἀντιστρ. ά.

*Ζ.* ἰώ, παῖ Διός, ἐπίκλοπος πέλῃ.

*H.* νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω,
τὸν ἱκέταν σέβων, ἄθεον ἄνδρα καὶ
τοκεῦσιν πικρόν.
*Θ.* τὸν μητραλοίαν δ' ἐξέκλεψας, ὢν θεός.
*I.* τί τῶνδ' ἐρεῖ τίς δικαίως ἔχειν;

Στρ. β'.

*K.* ἐμοὶ δ' ὄνειδος ἐξ ὀνειράτων μολὸν
ἔτυψεν δίκαν διφρηλάτου
μεσολαβεῖ κέντρῳ ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν.
*Λ.* πάρεστι μαστίκτορος δαΐου δαμίου
βαρύ τι, περίβαρυ κρύος ἔχειν.

Ἀντιστρ. β'.

*M.* τοιαῦτα δρῶσιν οἱ νεώτεροι θεοὶ
κρατοῦντες τὸ πᾶν δίκας πλέον.
*N.* φονολιβῆ θρόνον περὶ πόδα, περὶ κάρα
πάρεστι, γᾶς ὄμφαλον, προςδρακεῖν αἱμάτων
βλοσυρὸν ἀράμενον ἄγος ἔχειν.

Στρ. γ'.

*Ξ.* ἐφεστίῳ δὲ, μάντις ὢν, μιάσματι
μυχὸν ἔχρανας αὐτόσσυτος, αὐτόκλητος,
παρὰ νόμον θεῶν βρότεα μὲν τίων,
παλαιγενεῖς δὲ Μοίρας φθίσας.

Ἀντιστρ. γ'.

*O.* κἀμοί τε λυπρός, καὶ τὸν οὐκ ἐκλύσεται,
ὑπό τε γᾶν φυγὼν οὔποτ' ἐλευθεροῦται·
ποτιτρόπαιος ὢν δ' ἕτερον ἐν κάρᾳ
μιάστορ' αὖτ' ἐκεῖ πάσεται.

Sic puto non posse tantum describi locum, sed etiam debere: nulla enim alia ratione quindecim, qui desideratur, commatum numerus concinniorque personarum divisio elicietur. Id prae-

cipue sapienter instituisse videtur poëta, quod a brevioribus sensim ad longiora membra progredientem fecerit orationem, ita ut stropha et antistropha prima inter quinque et quattuor Furias, secunda inter duas divisae sint, tertia vero et stropha et antistropha integris personis choricis absolvatur. Defervescentis hoc est impetus, qui quum ab initio in exclamationes acerbas effundatur, in sententias gravitate et pondere plenas desinat.

De singulis locis quicquam annotare haud opus esse videtur, ultimo tamen versu excepto, quem et sensu et metro laborare magnus inter editores est consensus. Librorum omnium haec est lectio:

*ποτιτρόπαιος δ' ὢν ἕτερον ἐν κάρᾳ*
*μιάστορ' ἐκείνου πάσεται.*

Quae versu extremo dedi, sunt ex conjectura juvenis optimae spei, ***Aemilii Dirlami***, Sem. Reg. philol. sod., videturque haec emendatio ex priore parte vero haud absimilis esse, altera extra omnem fere dubitationem posita. Haud infrequens apud Tragicos praesertim est usus vocabuli ἐκεῖ de inferis: conf. ***Blomf. ad Aesch. Choeph.*** 353. ***Eum.*** 259. si h. l. lectio satis certa, ***Soph. Ant.*** 76. ***Aj.*** 854. 1372. ***El.*** 358. ***Elmsl. ad Eurip. Med.*** 1041. ***Monk. et Wuestem. ad Alcest.*** 754. ***Iph. Taur.*** 481. ex emendatione ***Elmsl.***, ***Aristoph. Ran.*** 82. ***Plat. Phaedon.*** p. 64. A. et plene, ἐκεῖ δ' ἐν Ἅιδου, ***Eur. Hec.*** 418, neque aliter apud

Latinos *illic* et *illuc*, v. *Burm. Sec. ad Propert.* I, 19, 13. *Ovid. metam.* XIII, 25. Sententia vero aliquoties repetita est in fabula nostra: *matricidam, dum vivit, persequentur Furiae; post fata alium rursus nanciscetur punitorem apud inferos, Orci regem.* Sic. v. 263 sq.

μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθεν χθονός,
δελτογράφῳ δὲ πάντ᾽ ἐπωπᾷ φρενί.

et v. 320 sq.

τοῦτο γὰρ λάχος διανταίᾳ
Μοῖρ᾽ ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν, θνατῶν
τοῖσιν αὐτουργίαι ξυμπέσωσιν μάταιοι,
τοῖς ὁμαρτεῖν, ὄφρ᾽ ἂν
γᾶν ὑπέλθῃ· θανὼν δ᾽ οὐκ ἄγαν ἐλεύθερος.

Vnum oblata occasione addere juvat. Per totam tragoediam ab indice personarum usque ad finem invaluit mos Furias in partium commutationibus Εὐμενίδας nuncupandi. Sed Εὐμενίδες extrema demum fabula fiunt: hactenus Ἐριννύες sunt, et a semet ipsis et ab aliis sine ulla contumeliae nota vocantur, v. 318. 327. 911. neque aliter in personarum notationibus vocandae. Fluxit error ex antiqua fabulae inscriptione: in hac vero servandum Εὐμενίδων nomen, a magno quoque testium numero agnitum: optime enim poëtae in conscribenda tragoedia finem et consilium innuit, unoque hoc loco aptum erat, quod nullo alio non ineptum esset.

Finem hic imponere possem libello, nisi obstaret religio. Meministis fortasse, Commilitones

humanissimi, quum ante hos sex menses huic lectionum catalogo itidem praeluderem, me emendationem quandam in Sophoclis Antigonam proposuisse, ut tunc putabam a me primo factam: sed actum egeram. Nunc nuperrime enim a ***Godofr. Hermanno*** in praefatione ad novissimam Antigonae editionem, ubi eandem hanc emendationem impugnat, humaniter edoceor, eam decem jam annis ante me a ***Ludov. Doederlino*** in Symbolis Helveticis prolatam esse. Quod sive ignoraveram, sive memoria exciderat, eodem, quo insciens peccaveram, loco deprecandum erat, ne manus meas in bona viri optimi mihique diuturna amicitia conjunctissimi immittere velle viderer; quamvis quid de falsa ejusmodi fraudis furtique specie inter viros honestos statuendum sit, egregius ille humanitatis magister, ***Frider. Iacobsius***, in lect. Stobens. p. XI. sq. luculenter docuerit, et Doederlinus ipse etiam sine monitore satis habeat perspectum.

# III.

# OBSERVATIONES IN PARODVM AESCHYLEAE SEPTEM CONTRA THEBAS FABVLAE.

---

Praeteriit biennium, quum eadem hac scribendi opportunitate adductus, meam de conformatione metrica cantici sententiam exponerem, quod in Aeschyli Eumenidibus est primum. Etenim praeclare erat animadversum a Godofr. Hermanno, totum istud carmen non ab universo choro aut pro eo a coryphaeo decantari, sed a singulis chori personis, quae *σποράδην* prodeuntes in scenam deinceps quindecim commatum numerum expleant. Ipsam personarum descriptionem, qualis debeat fieri, per quattuor tantum versus priores indicaverat vir eximius, neque in his ita erat versatus, ut ab omni parte assentiri ei liceret. Quum igitur de nonnullis paullo mihi probabilius disputare posse viderer, quin de toto cantico opinionem meam promerem non dubitavi.

Ac descriptionis quidem tunc a me propositae neque nunc me poenitet: sed rem latius patere nondum perspiciebam. Quamquam enim haud

ignorabam, etiam alibi neque admodum raro et trimetros et systemata melica tragoediarum per singulas chori personas seorsum canentes esse distributa, de quo pluribus egit *Hermannus* adnotatione in *Soph. Oed. Colon.* 208. 510. 833. in *Eurip. Herc. fur.* p. XVII. 870. 1011. *Suppl.* p. XIX. 614. 824. 1143. et *Elem. doctr. metr.* p. 719. 735. existimabam tamen, praeter Eumenidas Aeschyleas fabulam nobis superstitem esse nullam, cujus parodus a cantoribus fiat non, ut solitum est, instructis ordinibus, sed σποράδην ingredientibus versusque singulos singulatim canentibus: quod in Sophoclis Euripidisque reliquiis etiamnum mihi videtur certissimum, non item in Aeschylo.

Eadem enim quam in Eumenidibus observavimus ratio est in cantico primo Septem contra Thebas fabulae, etsi de vera ejus descriptione mirus inter criticos obtineat dissensus. Quot parodi strophae, unde singularum initia, quae partes antistrophicis comprehensae, quae liberioribus systematis decurrentes, a multis est quaesitum, a singulis diverse responsum, a nemine ita ut persuadeatur alii praeter inventori. Sufficit varia judicia metricorum vel in transcursu lustrasse, Hermanni, Seidleri, Blomfieldi, Wellaueri, Lachmanni, Hauptii, Bothii: plerumque aut mutationum temeritate ac violentia deterremur, aut nimia quadam modestia, ne dicam ignavia, offendimur: certe in dubitatione relinquitur, cur haec illave locorum tractatio alteri praelata sit, cur

postposita. Sed in eo omnes peccasse videntur, quod satis quidem fuerint attenti ad syllabarum, metrorum, rhythmorum congruentiam aut discrepantiam, sententiarum vero seriei atque cohaerentiae nullam fere rationem habuerint: cujus rei quamvis non in omnibus aeque carminibus, in hoc tamen nostro momentum est haud exiguum ad judicium de strophis antistrophisque et de universa hujus parodi natura metrica ferendum.

Tantum enim statim appareat necesse est ei, qui longum illum exclamationum, imprecationum, dirarum, lamentorum complexum a versu 78. usque ad v. 160. Well. paullo accuratius examinaverit, ex duabus eum partibus constare, rhythmis non admodum discrepantibus, longitudine imparibus, dictione et argumento diversissimis, quarum posterior initium capit a versu 104. Et de hoc primum nobis erit dicendum.

A toto virginum choro haec decantari affatim nos edocent verba consulto in principio posita v. 106.

> ἴδετε παρθένων ἱκέσιον λόχον
> δουλοσύνας ὕπερ,

et postea v. 155.

> κλύετε παρθένων, κλύετε πανδίκους
> χειροτόνους λιτάς.

Continent vero precationes ad tutelares Thebarum deos, a cunctis rite incipientes, tunc ad singulos ex ordine transeuntes, ad Iovem., v. 111. ad Palladem, v. 120. ad Neptunum, v. 123. ad

Martem, v. 125. ad Venerem, v. 127. ad Apollinem, v. 132. ad Dianam, v. 133. et ad Iunonem, v. 137. unde reversus ad omne Deorum concilium repetitis precationibus votisque susceptis carmen transigit chorus. Quae omnia ab initio ad finem aptissime defluunt, neque quidquam ad sensuum aut orationis perpetuitatem desideratur. Quicunque igitur nihil nisi sexaginta hos noverit versus, facile sibi persuadeat, iis totum canticum esse absolutum et consummatum. Nec obstant metra: commode enim haec in tres strophas totidemque antistrophas rediguntur, v. 104 — 119. et v. 120 — 133., (nisi hanc stropham cum Theoph. Ern. Klausenio, Ephem. scholast. Darmst. 1830. nr. 145. in duas dirimere malis, me tamen non probante.) v. 134 — 142. et 143 — 149., atque v. 150 — 156. et 157 — 163., ad quam descriptionem neque transpositionibus neque lacunarum suspicionibus neque ullis omnino violentioribus auxiliis opus est: ex contrario optimorum codicum lectiones dudum oblitteratae restituendae sunt poetae, et unus tantum in antistropha secunda manet locus si quid video omnem medelam respuens, v. 145. seq.

*κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων,*
*καὶ Διόθεν πολεμόκραντον ἁ-*
*γνὸν τέλος· ἐν μάχαισι τε μάκαιρ' ἄνασσ'*
*Ὄγκα πρὸ πόλεως*
*ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιῤῥύου.*

rhythmis an sententiis corruptius vix dicas: prae-

terea duo priores ejusdem antistrophae versus desunt, quorum secundum invocationem dei alicujus continuisse ex antistrophico fit verisimile. Possis de Baccho cogitare, nisi hujus mentionem per totam fabulam consulto neglexisse videatur Aeschylus, tanquam a nostrae tragoediae severitate nimis alienam.

Ab his mirum quantum distant ea quae praecedunt v. 78 — 103. dochmiaca pleraque exceptis trimetris iambicis tribus sub fine. Primum enim nullum satis certum est vestigium, etiam haec ad universum chorum pertinere, sed ubicunque cantantium numerus innuitur, ibi singularis reperitur, v. 78.

*θρεῦμαι φοβερὰ, μεγάλ' ἄχη,*

et v. 81.

*αἰθερία κόνις με πείθει,*

et v. 91. 92.

*πότερα δῆτ' ἐγὼ*
*ποτιπέσω βρέτη δαιμόνων;*

et v. 99.

*κτύπον δέδορκα κτλ.*

Sed huic non multum tribuerim: fluctuat adeo in melicis numerorum usus, ut saepissime singularis pro plurali, pluralis pro singulari adhibitus inveniatur. Spectamus potius orationis conformationem. In strophicis, de quibus diximus, accurate nexa et copulata videmus omnia, nulla asyndeta, nulla male hiantia. Hic contra nihil

non dissolutum, dissectum, abruptum, ita ut nova semper ordiatur notio, ubi majore distinguendi signo incidi jubet sententia, neque usquam duo cola aliqua comprehendantur et copulentur particula. Evadunt igitur quattuordecim segmina, singula sententiam plenam atque perfectam complexa, sed nullum cum reliquis junctum. Hunc vero chori esse numerum in omnibus fabulis Aeschyleis, quae res Thebanas tractant, recte sensisse videtur *Welckerus de trilog. Prometh.* p. 374. et in *Supplem. ad trilog.* p. 346. Aeschyleis dico, nam quae de *Euripidis Supplicibus* contra *Hermannum* nuper disputavit *Maurit. Axtius*, libello scholastico a. 1826. Cliviae edito, partim non sunt certiora reprehensis, neque pertinent ad *Aeschylum*.

Difficultates istae sponte evanescunt, si quattuordecim quae nobis se obtulerunt cola virginibus Thebanis ita assignamus, ut singula singulae, dum prodeant in scenam, iis succlamant, quae jam sunt congregatae: undique accurrentes ex variis urbis partibus novos afferunt nuntios, augent terrorem, quaerunt praesidia, tandem non aliud jam superesse persuasae praeter deos sollennem constituunt supplicationem, ad quam se convertunt, postquam chori numerum plenum esse animadverterint. De mulieribus inter se colloquentibus uno certe loco monuit etiam Scholiastes ad v. 95. *τί μέλλομεν ἀγάστονοι; — ταῦτα δέ τινες τῶν τοῦ χοροῦ γυναικῶν πρὸς τὰς ἑτέρας φασίν,*

in eo tamen falsus, quod haec a compluribus ad ceteras dicta autumet, quum ab una ad reliquas omnes sint cantata.

Sententiae nostrae admodum favet ipsum fabulae exordium. Incipit actio prima luce, v. 29. 66. hostis Argivus ab septem portis simul appropinquat urbi, tollit clamorem bellicum, civium corda pavore percellit, maxime virginum, quae ex somno matutino exterritae in altissimam Thebarum partem Cadmeam se proripiunt: in arce enim, inter deorum simulacra salutem sperant. Quis jam existimet, instructis ordinibus eo progressas esse mulierculas trepidas? Debebant necessario *σποράδην* unaque post alteram advolare, ut pedes quamque ferebant. Prima igitur, quae reliquis antevertit, qui totam explet sensum secum loquuta enunciat: *θρεῦμαι φοβερὰ, μεγάλ' ἄχη.* Quae secunda advenit, priori jam acclamat: *μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών*, et sic porro. Sexta demum auxilii divini mentionem facit, sed a septima statim interpellatur. Revocat sermonem ad deos octava, quem proximae continuant, quamvis a decima et duodecima breviter rursus interruptae, donec omnes a v. 104. uno vocum concentu hymnum inchoant.

Quanto vero simplicior ordo horum monostrophicorum, tanto foret insolentior artificiosa talis systematum implicatio, qualem *Seidlerus* vel *Hauptius* instituerunt, ut priorem quoque

carminis partem responsionibus adstringerent. Haec ratio tam est difficilis et violens, ut haud parum conferre videatur ad commendandam eam quam nos inivimus viam. Etenim si hanc sequi placuerit, habemus proodum, non tam monostrophicam, quam paromoeostrophicam, in duas rursus particulas ita solutam, ut secunda tribus versiculis longior a virgine octava incipiat, id est ab altero chori dimidio, suffragante sententiarum quoque nexu.

Sic igitur describendus videtur locus *):

---

*) *In* margine haec non Passovii manu adscripta:
„*Ritschl.*

θρεῦμαι, φοβερὰ μεγάλ' ἄχη.

μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπὼν, — στρ. ά.
ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας.

αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ'
ἄναυδος, σαφὴς, ἔτυμος ἄγγελος ποτᾶται.

ἐλασιδέμνιον πεδί' ὁπλόκτυπ' ὠ-
τὶ χρίμπτει βοὰν, βρέμει δ' ἀμαχέτου
δίκαν ὕδατος ὀροκτύπου.

ἰὼ, ἰὼ, ἰὼ, ἰὼ, ἰὼ θεοὶ — ἀντίστρ. ά.
θεαί τ' ὀρόμενον κακὸν ἀλεύσατε.

βοᾷ ὑπὲρ τειχέων ὁ λεύκασπις ὄρ-
νυται λαὸς εὐτρεπὴς ἐπὶ πόλιν διώκων.

τίς ἄρα ῥύσεται; τίς ἄρ' ἐπαρκέσει
θεῶν ἢ θεᾶν; πότερα δῆτ' ἐγὼ
ποτιπέσω βρέτη δαιμόνων;

ἰὼ, μάκαρες εὔεδροι, — στρ. β'.
ἀκμάζει βρετέων
ἔχεσθαι· τί μέλ-
λομεν ἀγάστονοι;

α΄.

θρεῦμαι φοβερὰ, μεγάλ' ἄχη.

β΄.

μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών.

γ΄.

ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας.

δ΄.

αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ',
ἄναυδος, σαφὴς, ἔτυμος ἄγγελος.

ε΄.

ἐλασιδέμνιος, πεδιοπλόκτυπος
βοὰ χρίμπτεται, ποτᾶται, βρέμει δ'
ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος ὀροτύπου.

ϛ΄.

ἰὼ θεοὶ θεαί τ',
ὀρόμενον βίᾳ κακὸν ἀλεύσατε.

ζ΄.

ὑπὲρ τειχέων ὁ λεύκασπις ὄρ-
νυται λαὸς εὐτρεπὴς, ἐπὶ πόλιν διώκων.

η΄.

τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει

---

ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον; στρ. γ΄.
πέπλων καὶ στεφέων
πότ' εἰ μὴ νῦν, ἀμ-
φὶ λίταν' ἕξομεν;

κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός. ἀντίστρ. γ΄.
τί ῥέξεις; προδώ-
σεις σὺ, παλαίχθων Ἄ-
ρης, γᾶν τὰν τεάν;
ἰὼ ἀντίστρ. β΄.

δὲ πόλιν, ἄν ποτ' εὐ-
φιλήταν ἔθου."

θεῶν ἢ θεᾶν; πότερα δῆτ᾽ ἐγὼ
ποτιπέσω βρέτη δαιμόνων;

θ'.

ἰὼ μάκαρες εὔεδροι, ἀκμάζει βρετέων
ἔχεσθαι· τί μέλλομεν ἀγάστονοι;

ι'.

ἀκούετ᾽ ἢ οὐκ ἀκούετ᾽ ἀσπίδων κτύπον;

ια'.

πέπλων καὶ στεφέων
πότ᾽, εἰ μὴ νῦν, ἀμφὶ λίταν᾽ ἕξομεν;

ιβ'.

κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός.

ιγ'.

τί ῥέξεις; προδώσεις, παλαίχθων
Ἄρης, τὰν σὰν γᾶν;

ιδ'.

ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ᾽, ἔπιδε πόλιν,
ἅν ποτ᾽ εὐφιλήταν ἔθου.

Quorum conspectus metricus hic fere erit:

— — v v́ v v́ v v —
v —́ —́ v — v v́ v —́ v —
— v́ v́ v v — v v́ v —́ v —
— v́ v —́ v — v —́ —́ v —
v —́ —́ v — v v́ v —́ v —
v v́ v —́ v — v v́ v —́ v —
v —́ —́ v — v —́ —́ v —
v v́ v —́ v — v v́ v v́ v v —
v —́ —́ v —
v v́ v —́ v — v v́ v —́ v —

v —́ —́ v —   v —́ —́ v —
v —́ —́ v —   v —́ v́ v v —   v —́ —́
v v́ v —́ v —   v v́ v —́ v —
v —́ —́ v —   v v́ v —́ v —
v v́ v —́ v —   —́ v —
v —́ v v́ v —   v —́ —́ — —   v v —
v —́ —́ —   v v́ v —́ v —
v —́ v —   v —́ v —   v —́ v —
v —́ —́ v —
v —́ —́ — —   v v́ v —́ v —
v —́ v —   v v́ v v —́   v —́ v —
v —́ —́ v —   —́ v — —
v —́ —́ — —
+ —́ v —   — —́ v v v   v v́ v v —

(nisi fortasse maluerit quis:

— —́ v — —   —́ v v v v   v́ v v —)
—́ v — v —   —́ v —

De singulis quas in ordinem recepi lectionibus dicere hic nihil attinet: unde venerint in contextum et quibus de causis, neminem latebit, qui verborum Aeschyleorum gnarus. Ipse duos locos mutare ausus sum; prior est v. 83.

ἐλασιδέμνιος, πεδιοπλόκτυπος
βοᾷ χρίμπεται, —

ἐλεδεμνὰς codices, quod Graecum esse jure negat *Hermannus:* quod ipse proposuit, ἐλέδεμας, minus bene congruit cum rhythmis dochmiacis,

neque satis est aptum ad substantivum *βοά*. Equidem scholia sequutus sum: habet A. ὁ ἐλαύνων καὶ διεγείρων ἀπὸ τῶν δεμνίων. et B. ἐλαύνων ἐμὲ ἐκ τῶν δεμνίων καὶ οὐκ ἐῶν καθεύδειν, φόβον ἐμβαλών. Grammaticus certe uterque ἐλασιδέμνιος legisse videtur, bene ad versum, egregie ad sensum: hic flagitat fere clamorem hostium, virgines e cubilibus excitantem: praeterea ὡσὶ deest in multis libris, βοὰ χρίμπτεται transposuit etiam *Blomfieldus*.

Alterius loci a v. 86. haec est scriptura vulgaris:

ἰὼ ἰὼ ἰὼ ἰὼ θεοὶ
θεαί τ' ὀρόμενον κακὸν ἀλεύσατε.
βοᾷ ὑπὲρ τειχέων ὁ λεύκασπις κτλ.

quorum aeque manifesta est depravatio, emendatio longe etiam difficilior. Si quis carere nolit vocula βοᾷ, suo certe non posita loco, possit etiam

ὀρόμενον — βοᾷ — κακὸν ἀλεύσατε.

Verum enim vero tota haec concideret disputatio per *Fred. Godof. Schoenium*, siquidem ab omni parte essent vera, quae in libello de *Euripidis Bacchabus* p. 74. sq. proposuit vir eruditus et ingeniosus. Contendit scilicet, XIII vel XIV personarum numerum a tragoediae consuetudine prorsus fuisse alienum, quod evinci putat levi eorum recordatione, quae de τετραγώνῳ σχήματι chori scripta exstent in scholiis ad *Dionys. Thrac. gramm. apud Villois. anecd.* T. II. p. 178. (melius laudasset *Bekkeri anecd.* T. II. p. 746, 27.)

nam in *Etym. M.* p. 164. 4., quem locum praeterea laudat *Schoenius*, nihil ejusmodi reperi, neque in Etymologico omnino. Grammaticus quidem iste (nempe Scholiastes Dionysii, non Dionysius ipse, quae *Schoenii* est opinio) inter varias tragoediae nominis originationes hanc quoque tradit: — *ἢ οἱονεὶ τετραγωνῳδία· οἱ γὰρ χορευταὶ αὐτῶν ἐν τετραγώνῳ σχήματι ἱστάμενοι τὰ τῶν τραγικῶν ἐπεδείκνυντο· ἦσαν δὲ τῶν μὲν τραγικῶν χορευταὶ δέκα τέσσαρες, τῶν δὲ κωμικῶν εἴκοσι τέσσαρες.* Sed addit *Schoenius*, ex XIII. Personis nunquam effici quadrati formam, (quod neque veterum cuiquam venit in mentem, et nos lubenter concedimus) ex XIV. tum demum, quum aut binae quaecunque aut septimae sint compositae, quod vel iccirco aspernati sint Graeci, quod ad Aeschyli famosum illud *σποράδην* proxime accederet: quapropter miram esse verborum inter se repugnantiam, *ἐν τετραγώνῳ σχήματι* et *χορευταὶ δεκατέσσαρες:* hujus vero culpam non scriptorem ipsum contraxisse, sed librarium, qui propter vicinum *κδ'* pro *ιέ* *) prave rescripserit *δεκατέσσερες.*

---

*) Habet quidem libellus *Schoenii* *τέ* pro *ιέ*, sed aperto vitio typographico, quod supra tacite emendavi. Nihil frequentius quam errores in numeris Graecis commissi: unum, sed satis inveteratum, hic corrigam: in scholiis metricis ad *Aesch. Sept. c. Theb.* 1. editiones omnes exhibent: *οἱ δὲ στίχοι εἰσὶν ἰαμβικοὶ τρίμετροι ἀκατάληκτοι οἵ, ὧν τελευταῖος·*

*πόλις γὰρ εὖ πράσσουσα δαίμονας τίει.*

Inepte: tu scribe *οζ'*, sunt enim trimetri LXXVII.

Ac primum non intelligo, quid hic sibi velit famosum illud σποράδην, quod ad ordinem prorsus dissolutum et conturbatum pertinet, neque poterat damnari nisi si Furiae essent σποράδην prodeuntes. Tum argumentatio ex verbis grammatici petenda, neque ex contrario grammatici verba ad argumentationis arbitrium erant refingenda. Nemo denique facile videbit, quid sit inficeti in ea XIV. personarum statione, quam in *Euripidis Supplicibus* excogitavit *Hermannus*, neque in ea ullius neglectionis est occultatio, sed consulto inductus quattuordenarius numerus, neque alia de causa, quam quae moverit *Aeschylum*, ut eum per totam *Thebaïdem* admitteret, et duodenarium in Prometheo soluto, flagitantibus id duodecim, qui chorum constituebant, Titanibus, v. *Welck. tril. Prom.* p. 39. et *append.* p. 67. Saltationum vero apud Graecos usitatarum scientia tam adhuc est imperfecta, ut ex ea de ordinandis aut variandis chororum figuris nihil dum neque negari neque affirmari possit. Quum jam accesserit Scholiastae ad Dionysium haud spernenda auctoritas, statio virginum apud *Aeschylum* eadem poterat esse, quam *Hermannus de Supplicibus* indicavit:

| | | |
|---|---|---|
| ά. | β'. | γ'. |
| δ'. | έ. | ς'. |
| ζ'. | | ή. |
| ϑ'. | ί. | ιά. |
| ιβ'. | ιγ'. | ιδ'. |

poterat etiam haec:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ά. | β'. | γ'. | δ'. | έ. |
| ς'. | ζ'. | | ή. | θ'. |
| ί. | ιά. | ιβ'. | ιγ'. | ιδ'. |

ut de aliis rationibus magis artificiosis taceam: *τετράγωνον* enim esse neutrum *σχῆμα* desiit.

# IV.

## OBSERVATIONES CRITICAE IN SOPHOCLIS ANTIGONAE V. 106. ET HYMN. HOM. CER. V. 122.

Pervulgata est criticorum observatio, nomina propria tunc saepissime in scriptoribus antiquis aliquam labem traxisse, ubi aut ipsa sint ex rarioribus, aut insolentiam quandam singulorum locorum habeat usus. Interdum adeo sunt corrupti, ut vix ullum verae scripturae indicium supersit audacioremque medici ut in re desperata manum provocent: interdum etiam leniorem medelam haud respuunt facilemque invenit persuasionem, quod ibi maxime obvenire solet, ubi sententia loci salva et integra metrorum rationes *ἕλκος* aliquod *ὕπουλον* subesse arguunt.

Ex horum locorum numero is est, qui legitur in ***Sophoclis Antigona***, v. 103. sq. satis ille notus variis, sed non admodum felicibus editorum tentaminibus:

*ἐφάνθης πότ᾽, ὦ χρυσέας*
*ἁμέρας βλέφαρον,*
*Διρκαίων ὑπὲρ ῥεέθρων μολοῦσα,*

τὸν λεύκασπιν Ἀργόθεν
φῶτα βάντα πανσαγίᾳ
φυγάδα πρόδρομον ὀξυτέρῳ
κινήσασα χαλινῷ.

In his si sensum solum verborum sententiarumque nexum respicias, nihil non aptum et concinnum, nihil non elegans et ab omni parte perfectum dicas. Iam vero contendas versum strophicum,

τὸν λεύκασπιν Ἀργόθεν,

cum antistrophico, qui est v. 123.

πευκάενθ᾽ Ἥφαιστον ἑλεῖν,

nec te in illius exitu fugiet longae syllabae defectus. Nec Demetrium Triclinium fugit, haud aliam ob causam τὸν λεύκασπιν Ἀργόθε πρὶν φ. β. inepte interpolantem, quod in pejus etiam verterunt *Henr. Stephanus* et *Guil. Canterus*, τ. λ. Ἀργόθεν πρὶν φ. β. rescribentes. Alii alia tentarunt: *Brunckius* τ. λ. ἐξ Ἀργόθεν, *Erfurdtius* τ. λ. ἀπ᾽ Ἀργόθεν, *Hermannus* τ. λ. Ἀργόθεν ἔξ, *Guil. Schneiderus* τ. λ. Ἀργόθεν ἐν φῶτα βάντα, pro ἐμβάντα, partim contra rhythmos, partim contra Atticorum poetarum consuetudinem, quae non minus ab anastropha *Hermanni*, post adverbia loci ne in Homericis quidem carminibus neque in ullo alio scriptore usitata, quam ab tmesi ista *Schneideri* recedere videtur: ut ii rem suam optime administrasse videantur, qui syllabae defectum asterisco in versus fine collocato indicare satis habuerint.

Sed quum idem, quod illi ausi sunt, aliis quoque tentare liceat, eo magis quod ipse de hoc loco sentiam significabo, quia novam prorsus et a prioribus diversam emendandi viam ingressus, siquidem ego quoque a vera ratione aberrarim, aliis fortasse meo quamvis errore rectiorem viam monstraverim, cui insistentes ad certam denique atque indubitatam emendationem adduci possint.

Ac primum quidem de glossemate mihi cogitari posse videbatur; suborta enim erat suspicio, adverbium *Ἀργόϑεν* nemini non notissimum exquisitioris cujusdam ac doctioris, quae sub illo lateat, lectionis esse interpretamentum: nec defuit vocabulum cum sensui, tum versui accommodatissimum,

> *τὸν λεύκασπιν Ἰασόϑεν*
> *φῶτα βάντα πανσαγίᾳ κ. τ. λ.*

*Ἴασον Ἄργος*, ***Odyss.*** XVIII, 246. ibique ***Eustath.*** p. 1845, 11. conf. p. 1465, 60. ***Strab.*** VIII, 6, 5. T. III. p. 217. ***Pausan.*** II, 16, 1. ***Apollod.*** II, 6, 1. ***Steph. Byz.*** v. *Ἄργος*, p. 73. et *Ἰασσός*, p. 213. ***Diod.*** ***virgo Iasia***, Io, i. e. Argiva, ***Val. Flacc.*** IV, 553. ***dux Iasides***, Adrastus, i. e. Argivus, ***Stat. Theb.*** VI, 911., quod nomen cum derivatis suis frequentissima corruptione vexatum esse observavit ***Sturzius ad Pherecyd. fragm.*** p. 120. ut non adeo sit mirum, idem ei *in Sophocle* accidisse.

At quamvis in revocanda lectione antiqua, quam interpretamentum prorsus oblitteraverit,

similitudo litterarum haud perinde sit exigenda, fatendum tamen, at tale emendationum genus, nisi reliqua auxilia omnia defecerint, non esse confugiendum. Probabilior igitur videatur necesse est conjectura, quae grammaticis fulta argumentis intactam fere relinquit scripturam librorum, qualem admittit locus noster.

Etenim de adverbiis Graecis in θεν, quae technicis ἐπιῤῥήματα ἐκ τόπου vocantur, quamvis alia multa incerta adhuc fluctuent, id tamen constat, ubicunque a nominibus descendant, a genitivis ea esse formata, ultima littera abjecta, neque aliter in adverbiorum plurimis terminationem θεν litterae finalis locum occupasse, ita Ἴδη, Ἴδης, Ἴδηθεν, ἀρχή, ἀρχῆς, ἀρχῆθεν, γῆ, γῆς, γῆθεν, Λέσβος, Λέσβου, Λεσβόθεν, παῖς, παιδός, παιδόθεν, πατήρ, πατρός, πατρόθεν, Ἐλευσίς, Ἐλευσῖνος, Ἐλευσινόθεν, Μαραθών, Μαραθῶνος, Μαραθωνόθεν, Σικυών, Σικυῶνος, Σικυωνόθεν, (Σικυωνόθε, *Pind.*) Τίτρας, Τίτραντος, Τιτραντόθεν, Τίρυνς, Τίρυντος, Τιρυντόθεν, Ἁλιμοῦς, Ἁλιμοῦντος, Ἁλιμουντόθεν, Ἀναγυροῦς, Ἀναγυροῦντος, Ἀναγυρουντόθεν, Ῥαμνοῦς, Ῥαμνοῦντος, Ῥαμνουντόθεν, ἐμεῦ, σεῦ, ἐμέθεν, σέθεν, ἕο, ἕθεν, τηλοῦ, ἀγχοῦ, τηλόθεν, ἀγχόθεν, ἔνδον, σχεδόν, ἔνδοθεν, σχεδόθεν, ἐγγύς, ἐγγύθεν etc. de quibus videndus *Apollon. Dysc. de adv.*, *Anecd. Bekk.* T. II. p. 596 sq. *Goettling. ad Theodos.*

*Gramm.* pag. 231. Quae si recte animadversa sunt, substantiva tertiae declinationis in ος exeuntia adverbia ἐκ τόπου habebunt in εοθεν, non in οθεν, igitur Ἄργος, Ἄργεος, Ἀργεόθεν, quo lacuna loci Sophoclei absque aliis machinis criticis explebitur. Nec quo minus ita scribamus obstat constans adverbii Ἀργόθεν usus, cujus plura exempla congesserunt *Henr. Stephani* editores Britanni, Vol. II. p. 2222. D. Haec scilicet forma, juxta alteram illam Ἀργεόθεν ex speciosa quidem, sed falsa secundae declinationis analogia orta, tanquam brevior commodiorque magis placuit populo, alteramque nisi meliorem, magis tamen ad artis praecepta cusam sensim dedit in oblivionem, ita ut aliud ejus exemplum jam non supersit. In universum vero Graecos adverbia ἐκ τόπου a nominibus tertiae declinationis in ος rarissime deduxisse patet: mihi certe praeter Ἀργόθεν unum tantum in promptu est, μηκόθεν, sed vocabulum infimae fere Graecitatis, neque profecto ita comparatum, ut sententiam nostram infringere queat: vide exempla apud editores Britannos *Henr. Stephani*, T. V. p. 6127. A. et apud *Lobeck. ad Phrynich.* p. 93. Dum igitur probabilius quid proferatur in medium, videatur num ita legendum sit:

τὸν λεύκασπιν Ἀργεόθεν
φῶτα βάντα πανσαγίᾳ —.

Sed alium locum prorsus gemellum huic

comitem adjungamus, mendae aeque apertae, quippe quam metrum ipsum indicet, nomini itidem proprio inhaerescenti varioque modo frustra tractatae medicinam si possimus lenissimam adhibituri.

Hymno Homerico in Cererem Dea sub aniculae specie latens Celei Eleusiniorum principis filiabus quaenam sit sciscitantibus v. 122. respondet:

*Δὼς ἐμοί γ' ὄνομ' ἐστί· τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ.*

Et deficiente ad primi pedis integritatem syllaba una, certatim conjecerunt ***Ruhnkenius*** *Δωρίς*, ***Fonteinius*** *Δηώ*, ***Brunckius***, cui adstipulati sunt ***Wolfius***, ***Ilgenius***, ***Matthiae***, *Δὼς μὲν ἐμοί γ' ὄνομ' ἐστί*, ***Mitscherlichius*** *Δμωΐς*, ***Hermannus*** *Δωΐς* vel *Δωάς*, eadem, ut ait, probabilitate, id est, ***Frid. Frankio*** interprete, nulla: ***Vossius*** tamen *Δωΐς* in ordinem recipere non dubitavit, potuisset eodem jure *Δωτώ*, ex ***Hesiod. Theog.*** 248. et ***Apollod.*** I, 2, 7.

At de nominibus *Δωρίς*, *Δηώ*, *Δωτώ*, ideo non cogitandum, quia haec nota erant Dearum nomina, Ceres autem fictitio conditionique simulatae congruo fallere vult puellas, sed tali, quo tecte simul alludatur ad benignam largamque deae naturam, quam Eleusiniis brevi erat manifestatura: alia aut analogia carent, aut nimis recedunt a litterarum ductibus. Quae vero vox harum difficultatum nulla premitur, ea optime haud

dubie succurrit loco, neque ea admodum est recondita.

Etenim haud exiguus exstat numerus nominum muliebrium in ῶ desinentium, quae formam futuri activi referunt, accentu tantum in syllabam postremam retracto, et quum inveniebantur, significationem quoque cognatam habuerint necesse est. Pertinent huc Ἀναξώ, *Diotim. epigr.* 6, 3. *Apollod.* II, 4, 5. *Plutarch. Thes.* 13. *Wessel. ad Diod. Sic.* 4, 8. Ἡγησώ, *Theaet. epigr.* 1, 4. Ἰασώ, Aesculapii filia, *Aristoph. Plut.* 701. *Pausan.* I, 34, 2. ibique *Siebel.*, Καλυψώ, Κλησώ seu rectius Κλῃσώ, *Pausan.* I, 42, 7. Πρηξώ, *Leonid. Tarent. epigr.* 71, 2. *Antip. Sidon.* 85, 2. 86, 1. *Antip. Thess.* 22, 2. Σωσώ, *Simonid. epigr.* 79. Anal. Br. Quae quemadmodum ducta sunt a verbis ἀνάσσω, ἩΓΕΩ, (ἡγέομαι,) ἸΑΩ, (ἰάομαι,) καλύπτω, κλῄω, πρήσσω, σώζω, ita verbum δίδωμι dabit nomen Δωσώ, *daturiens* quasi, comparandum illud cum infami Antigoni secundi nomine Δώσων, de cujus flexione recte nuper praecepit *Schaefer. Appar. Demosth.* T. IV. p. 521. et *ad Plut. vit.* T. IV. p. 386., neque aliud aut facilius aut aptius hymno nostro reddi posse existimo.

# V.

# VINDICIAE SOPHOCLEAE
## AD
## ANTIGONAE V. 781 — 790.

---

Quanto quis arctiorem cum antiquis scriptoribus familiaritatem contraxerit, quantoque sibi perfectiorem virtutum, quibus excellunt, informaverit imaginem, tanto impensius eorum nobiscum levitatem miretur necesse est, qui si locum aliquem post lectionem ejus bis terve repetitam haud satis perspexisse sibi videantur, non tam de judicii sui acie ad intelligendum hebetiore, quam de ulcere quodam in textu cogitantes, sanissima quaeque in mendi suspicionem vocant, et quae subtiliter explicare nequeant, emendando scilicet quantocius ad captuum suorum debilitatem adcommodant. Huic equidem temeritati nescio an in nullo alio scriptore aut gravius aut frequentius succensendum habuerim quam in *Sophocle*, quem quum nunquam fere de manibus deponere consueverim, plurima in superstitibus ejus fabulis propter divinam sententiarum

profunditatem recondita ac perobscura, haud adeo multa corrupta et salutari criticorum manu indigentia esse, viginti me annorum experientia perdocuit. At quamquam ingens exemplorum huc facientium ad manus est farrago, quibus in medio collocatis sententiae meae haud difficulter fidem conquirere possim, hac tamen scribendi opportunitate in uno loco, sed illustri eo multumque tentato subsistam, quem non solum ab emendatorum incursionibus vindicem, sed etiam a reprehensoris criminationibus tutum salvumque praestem.

Ac primum quidem ipsa adscribamus poetae verba, quae leguntur in *Antigonae* vv. 781 — 790., ubi post gravem Haemonis cum Creonte patre altercationem et utriusque de scena discessum tertium stasimum his exorditur Thebanorum senum chorus:

> Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
> Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,
> ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
> νεάνιδος ἐννυχεύεις·
> φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος, ἔν τ'
> ἀγρονόμοις αὐλαῖς,
> καί σ' οὔτ' ἀθανάτων φύξιμος οὐδεὶς,
> οὔθ' ἁμερίων ἐπ' ἀν-
> θρώπων· ὁ δ' ἔχων μέμηνεν.

Quae de hoc loco inde ab *Hugone Grotio* senserint interpretes, quae cum emendando, tum explicando peccaverint, singula enumerare, enumerata examinare atque refellere, non longus

tantum, sed otiosus quoque et parum utilis foret labor. Omnia enim diligenter, ut solebat, congessit *Erfurdtius* in majore Antigonae editione, neque fugit virum optimum, decessorum partim frustra, partim inepte insumptam esse operam. Id tamen magnopere dolemus, *Erfurdtium* ipsum, virum alioquin indefatigabilem neque ullam inquirendi molestiam detrectantem, in *Wyttenbachii* non tam modestiam, quam ignaviam incidisse: huic enim in Biblioth. crit. vol. II. part. III. p. 100. medicina exspectanda videbatur vel ab integriore codice, vel a vetere scriptore aut grammatico, qui veram lectionem servaverit, quo judicio vix perversius quid excogitari potest in loco, qui nulla prorsus scripturae varietate suspiciosus, aperta sanitatis indicia in fronte quasi gerit: mirabilius etiam, tale Batavi commentum fucum facere potuisse critico Germanico.

Post *Erfurdtium* unus *Pistoth. Frid. Benedictus* in observationibus suis in Sophoclis tragoedias, p. 128. novam primo versui admovit conjecturam hancce:

Ἔρως, ἀνίκατε μάχᾳ, —

de qua post *Hermanni* de ea judicium haud est quod moneam. Proprias vero ex eo tempore interpretationis vias ingressi sunt viri ingenio et doctrina insignes, *Frid. Theoph. Welckerus* in *Ephem. Litterar. Jenens.* anni 1812. nr. 103. p. 303. *Nicol. Godofr. Christianus Eckermannus* in *Commentatt. Gedanens.* p. 47. *Carol. Phil.*

*Conzius* in *observatt. philoll. in Sophoclis Ajacem*, p. 47. *Ludov. Doederlinus* in *specim. nov. edit. Sophoclis*, p. 32. *J. C. W. Petiscus* in *Seebodii biblioth. crit.* anni 1822. fasc. XI. et XII. p. 1155. et nuperrime civis noster, *Gustavus Pinzgerus*, tragoediarum Sophoclearum ab *Hermanno* editarum censuram agens in *Ephem. Litter. Jenens.* anni 1824. nr. 117. p. 451. *), quos laudavi, ne forte quae illis placuerint ignorasse videar. His igitur, quae ad historiam nostri loci criticam pertinent, praemissis, meam ita exponam sententiam, ut aliorum rationes ibi tantum enumerem, ubi in singulis certe cum iis consentiam: in universum enim ab omnibus longe longeque discedendi necessitatem mihi impositam video.

Id primo loco monendum habeo, carmen in Amoris potentiam decantandum a *Sophoclis* consilio procul dubio alienum fuisse: neque enim tam durus vereque ferreus erat Haemo, ut e victoria de eo reportata vel aliquam sibi gloriolam invenire potuerit deus, neque satis intelligo, quid huc conducat nocturnum ejus in mollicellis puellae genis deverticulum. Quodsi tamen tale quid voluisset poeta sapientissimus, ab imaginibus meram suavitatem et dulcedinem spirantibus prorsus ei fuisset abstinendum, grandibus ex contra-

*) *Pinzgeri*, κτήματα de Amoris mancipiis capientis, rationem occupavere *Steinbrychelius* in *Museo Turic.* Vol. I. Tom. I. p. 33. et *Henr. Vossius* in *Ephem. Litter. Jenens.* anni 1804. nr. 257. p. 179. sed v. *Erfurdt.* p. 319. ed. maj.

rio ac fortibus sententiis studendum, iisque per totum carmen adhaerendum. Molestam quandam abundantiam in iterata sine idonea causa hominum mentione, initium, si nonnullos interpretes sequimur, ab armentis gregibusque factum, et horum parum decoram, nedum elegantem atque venustam cum virginibus consociationem, qualia sublimi Sophoclis ingenio plane indigna, silentio praeterire licebit: haec enim lectorem aliquanto oculatiorem, qualem suo sibi jure deposcit Tragicorum princeps, vel nemine monstrante haud effugient, praecipue si ad concinnam oppositorum artem adtenderit, a qua in versibus proxime sequentibus belluae marinae cum feris sylvestribus, dii immortales cum mortalibus hominibus contenduntur.

Priusquam vero ad loci cujusdam difficultates removendas adgrediamur, ipsa difficultatis sedes accurate erit circumspicienda, neque ea in nostris Tragici verbis cuiquam ambigua esse potest. Nemo enim, qui singula diligentius exploraverit, infitiabitur, omnem sententiarum obscuritatem a secundo pendere versu,

Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις. —

In haec verba cunctos fere, quotquot locum adtigerunt, et merito quidem impegisse videmus: ac profecto, si quis ea recte illustraverit et apte cum reliquis connexuerit, nihil, opinor, in toto loco caliginis residebit. Nunc a singulis voca-

bulis incipiamus, quibus pertractatis deinceps in sententiarum inquiremus cohaerentiam.

Maximas semper turbas ambigua nominis κτήματα potestas concitavit, neque id injuria: tam late ejus apud probatissimos auctores patet usus. Mihi, quod diligentiori Sophoclis interpreti nusquam non respiciendum, hic quoque ad Homerici sermonis consuetudinem redeundum esse, universa carminis persuasit ratio. In antiquissimo enim carmine Epico κτήματα contra arctiorem recentiorum usum haud unice de agrorum et aedium possessionibus, sed latiore ubique sensu de quibusvis opibus atque divitiis ad περιουσίαν pertinentibus usurpantur, observante *Eustathio ad Iliad.* p. 685, 31. et 999, 17. ed. Rom., ita ut nihil fere differant inter sese κτήματα et πλοῦτος, quod certo testimonio confirmat glossa apud *Hesych.* T. II. p. 360. κτῆσις, πλοῦτος. Idem de *Sophoclis* loco statuerunt *Steinbrychelius* in *Museo Turic.*, Vol. I. Tom. I. p. 33. *Huschkius* in *Annall. critt.* p. 48. s. et *Doederlinus* in *spec. edit.* p. 33., qui unus sententiam suam idoneis exemplis munivit. *Huschkius* tamen, quae post *Steinbrychelium* ex parte recte viderat, pessumdedit omnia, *adversum amorem* ex *Propert. eleg.* I, 14, 15. seq. subabsurde inferens in Sophoclea, quod, quum eodem nomine ab aliis quoque vapularit, a me minus, ut spero quidem, gravate accipiet criticus elegantissimus ad Varnam. *Doederlinus* vero divitiarum notionem ad

divites ipsos transtulit, qua in re viro amicissimo glossa ad hunc ipsum locum manuscripta codicis Parisiensis nr. 2712. in *Faehsii sylloge*, p. 257. κτήμασι, πλουσίοις, aperte suffragatur: accessit postea auctoritas *Hermanni*, cui non dubium videtur, quin κτήματα pro opulentis et potentibus dixerit Tragicus. Equidem neque affirmaverim, neque vero negarim, quum nihil fere referat, utrum de re cogitemus an de persona: sed hanc ipsam ob causam a propria nominis significatione haud recesserim: nam nisi necessitate quadam adigamur, a talibus interpretationis machinis utique abstinendum.

Iam vero consulto quaesita constructionis similitudo inter verba ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις et ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις, pro certo nobis est argumento, voluisse poetam res quoque consimiles arctoque cognationis vinculo invicem junctas repetito pronomine relativo et eadem praepositione geminata copulare: et quum in altero membro absque ulla controversia molles puellae genae tenerrimae nobis et delicatissimae pulchritudinis imaginem ob oculos ponant, facile perspicitur, quid in hoc sententiarum nexu divitiarum sibi velit mentio. Nempe matura rerum humanarum observatio jam antiquissimas gentes edocuerat, luxuriosiorem vitae cultum victumque ad exquisitiores delicias compositum non acriorem tantum pulchri sensum et artes huic inservientes, sed ut quodvis intemperantia-

rum voluptatumque genus, ita immodicos praecipue et effrenatos amores excitare, nutrire, impotentissimumque iis in animos hominum imperium conciliare: hinc factum est, ut divitiis et pulchritudine nihil ad amores focillandos efficacius existimarent. Atqui id ipsum, quod ab experientia inventum quotidianus vitae usus magis magisque confirmabat, non poterat non in proverbium abire. Quod etsi aliunde minus constaret, expresso tamen *Scholiastae Romani* ad nostrum locum testimonio satis evinceretur: habet enim ille haec: *Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις] τὸ δὲ ἐρᾶν πλουσίους, ἔχει καὶ ἡ παροιμία.* Egregia sane, ut multae aliae in hac scholiorum collectione, observatio. Ne tamen insignis verborum brevitas novas iis offunderet tenebras, interpretationis causa peropportune adjectus est trimeter iambicus,

*ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶσι δ' οὔ,*

quem ex deperdita quadam *Euripidis* fabula petitum esse, patet ex *Athen.* VI. p. 270. C., ubi ita scriptus legitur:

*ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' οὔ,*

cui lectioni adstipulantur *Liban.* T. II. p. 509. et *Eustath. ad Odyss.* pag. 1596, 46. ed. Rom., plurali tamen aliquantulum favet imitatio *Antiphanis* comici apud *Athen.* I. p. 28. F., conf. *Eurip. fragm. inc.* CLXIV. et *Porsoni advers.* p. 90. ed. Brit. Hic igitur versus *Euripideus* ita

est comparatus, ut nullam amplius de vero eoque optimo Scholiastae sensu dubitationem nobis reliquam faciat.

Quantopere vero in ipso hoc apophthegmate variando sibi placuerint poetae Graeci, ne leviter quidem eorum lectione tincti ignorant. Ex immensa exemplorum copia aptissima quaedam delibavit *Iacobsius ad Anthol. Graec.* T. V. p. 378. T. VI. p. 270. T. VIII. p. 285., adde *fragmentum Eurip. e Danae*, V. ex emendatione *Valckenarii in diatr.* p. 7. B. et versificatorem *Christianum* sub *Phocylidis* nomine delitescentem, v. 54. 55. 56.

*οὐκ ἀγαθὸν πλεονάζον ἔφυ θνητοῖσιν ὄνειαρ·*
*ἡ πολλὴ δὲ τροφὴ πρὸς ἀμέτρους ἕλκει ἔρωτας·*
*ὑψαυχεῖ δ' ὁ πολὺς πλοῦτος καὶ ἐς ὕβριν ἀέξει.*

Alia ejusmodi a *Stobaeo* collecta *e Florileg. serm.* XCI. et XCII. decerpere licet. Neque qui eandem sententiam exprimerent apud Romanos defuerunt poetae. Ducat agmen callidus amoris magister, qui in *Remediis amoris*, v. 745. scite monet:

Gnossida fecisses inopem, sapienter amasset:
Divitiis alitur luxuriosus amor.

Hunc presse sequutus est personatus iste *Seneca in Octaviae* v. 562. seq.

Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor est: juventa gignitur, luxu, otio
Nutritur inter laeta Fortunae bona:
Quem si fovere atque alere desistas, cadit,
Brevique vires perdit exstinctus suas.

Multa similia cum apud *Ovidium in Amatoriis* passim, tum apud *Propertium* et in *Virgilii Gallo* dispersa inveniuntur. Et quid dicam de notissimo illo proverbio: *Sine Cerere et Baccho friget Venus*, cujus sensum non esse alium post *Desid. Erasm. adag.* II, 3, 97. recte vidit *Io. Brodaeus*, *miscell.* VII, 30. in *Gruteri Thes. crit.* T. IV. p. 26. At quid pluribus testimoniis opus in re per se clara satis atque manifesta!

Aliquanto minorem nobis facesset operam verbum motus *πίπτειν* cum praepositione *ἐν* constructum, quod ex frequentissimo Homeridarum usu factum esse nemo nescit, neque ego quicquam addiderim, nisi intellexissem, nuper demum esse exortum, qui confidenter pronunciarit, sexcenties repetitum illud *ἐν κονίῃσι πεσεῖν* haud significare, quod plurimis ad nostrum usque diem visum sit, *in pulverem procumbere*, sed potius *in pulvere* (pugnae) *esse atque in eo concidere*, eandemque in omnibus ejusdem commatis locis obtinere rationem. Novo huic Graecitatis magistro primum obstat eruditissimorum interpretum veterum auctoritas, quamvis hanc non ita magni facere videatur: sed obstant quoque loci haud pauci ex Homericis, quibus praeceptum istud prorsus convellitur atque evertitur: nonnullos e plurimis apposuisse sufficiet: *Iliad.* IX, 235.

*οὐδ' ἔτι φασὶν*
*σχήσεσθ', ἀλλ' ἐν νηυσὶ μελαίνῃσιν πεσέεσθαι.* —

in quibus versibus sermo est de Trojanis, irru-

ptionem in Achivorum stationem navalem minantibus: vertamusne igitur, *dicunt prolapsuros se esse in navibus*, an non *irrupturos se esse in naves?* conf. *Il.* XI, 823. XIII, 742. XV, 63. *Heyne obss. in Il.* T. VII. p. 774. — *Il.* XIII, 288.

*εἴπερ γάρ κε βλεῖο πονεύμενος ἠὲ τυπείης,*
*οὐκ ἂν ἐν αὐχέν᾽ ὄπισθε πέσοι βέλος, οὐδ᾽ ἐνὶ νώτῳ.*

Quis quaeso tulerit hastam, *in cervice aut tergo collapsam?* at miles iste *in pulvere prolapsus* Graecis nihil fuisset tolerabilior. — Aliam quidem rationem inierunt *Henr. Stephanus in Thes. Graec. ling.* T. III. p. 310. F. 316. B. (p. 7598. et 7606. ed. Londin.) et *Dammius*, *πίπτειν ἐν κονίῃσιν* sejuncta praepositione pro *ἐμπίπτειν κονίῃσιν* usurpari contendentes: sed universa hac tmeseos doctrina parum delectatus, neque duumviris illis egregiis concesserim, quamvis nihil protulerint, quod contra sensum dictionis peccaret: hunc enim ita ut par erat acceperunt. Praepositio potius ex peculiari utriusque linguae licentia propriae verbi actioni secundariam quandam admiscet, quae ex primaria necessario erat consequutura: quam legem si praepositioni *ἐν* adhibemus, infert ea in verba motus secundariam notionem quietis et mansionis in eo loco, in quem motum illum paulo ante factum esse videramus, neque igitur mirum, cur non nisi de mortuis aut graviter sauciatis *πίπτειν* illud *ἐν κονίῃσι* dixerint Graeci: plane vero eadem est ratio verborum Latinorum

***ponendi***, ***locandi*** et ***statuendi***, praepositioni ***in*** et sexto casui junctorum. Quum igitur nihil impediret, quo minus praepositionem ἐν verbo πίπτειν adderent, solum dativum sine praepositione eidem verbo comitem dare haud magis reformidarunt, v. ***Seidler. ad Eurip. Electr.*** 424. ***Eurip. Or.*** 88. ***Schaefer. ad Dionys. Halic. de comp. verb.*** pag. 306., nam quod de uno verbo πίπτειν disputavimus, ad omnia aeque motus verba pertinere, vix est quod moneamus. Invertit rem exquisitius istud κεῖσθαι εἰς —, cujus aliquot exempla protuli in ***Lexici Graeci*** T. I. p. 834. a., alia similia dabit ***Hemsterh. ad Aristoph. Plut.*** 1169. p. 456.

Si igitur revera demonstravi, quod demonstrasse mihi videor, in prioribus carminis nostri versibus ea recenseri, in quibus maxime luxuriari soleat Amor, divitias et pulchritudinem, unicuique statim adparebit, verborum quoque aptiorem delectum a ***Sophocle*** institui vix potuisse. Vbi enim de vehementissimo Amoris in aliquem irrumpentis adsultu agitur, in solennem fere usum transiit verbum πίπτειν cum compositis suis ἐμπίπτειν et προςπίπτειν. Paucis, sed luculentis exemplis defungamur: ***Eurip. Hippol.*** 1429.

οὐκ ἀνώνυμος πεσὼν
ἔρως ὁ Φαίδρας εἰς σὲ σιγηθήσεται.

***Aeschyl. Agam.*** 348. (332. ***Wellauer.***)

ἔρως δὲ μή τις πρότερον ἐμπίπτῃ στρατῷ
πορθεῖν ἃ μὴ χρή.

*Achill. Tat.* I, 9. init. ὅλος ἐμοὶ προςέπεσεν ὁ Ἔρως. Si quis plura desideret, adeat is *Valckenarium ad Eurip. Hippol.* 443. et *Mitscherlichium ad Horat. carm.* I, 19, 9. p. 205. Neque vero insolens harum loquutionum est inversio quaedam, πίπτειν εἰς ἔρωτα vel ἐμπίπτειν ἔρωτι. *Eurip. Bacch.* 811. (804. *Herm.*)

τί δ' εἰς ἔρωτα τοῦδε πέπτωκας μέγαν;

similitudine ab iis desumpta, qui se in voragines vel in profundas aquas praecipitant, quod nemo significantius expressit *Theocrito*, *idyll.* III, 42.

ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα.

*Nonn. Dionys.* XV, 209.

εἰς βαθὺν ἦλθεν ἔρωτα.

*Appulej. metam.* VIII. p. 509. *Oudend. in profundam ruinam lubidinis sese paulatim nescius praecipitaverat.* Vtrumque dicendi genus de aliis quoque vehementioribus animi affectionibus deque ineluctabilibus adversae fortunae casibus satis est usitatum: eadem structurae variatione dicebatur ἡ νόσος ἐμπίπτει εἰς ἐμέ et ἐμπίπτω εἰς τὴν νόσον, v. *Iacobs. ad Achill. Tat.* p. 812.

Quae quum ita sint, hic jam e versibus nostris evadet sensus: *Amor, pugna invicte, Amor, qui in divitias ruis,* (qui te in divitias immergis seu ingurgitas) *qui in molliculis puellae genis pernoctas, tu super maria quoque incedis et per deserta ferarum lustra, neque te immortalium quisquam valet effugere, neque*

*mortalium hominum: qui te vero conceperit, insanit.*

Vnum tamen adhuc superesse videtur, ut scilicet juncturam enunciationum relativarum, ὃς πίπτεις et ὃς ἐννυχεύεις, cum primaria totius loci enunciatione, φοιτᾷς δέ, explanem. Hic enim particula δέ minus exspectabatur, adeoque offensionis aliquid creare queat, quia quae praecesserant verba a relativo pronomine pendent, ita ut φοιτᾷς non habere videatur, cui recte subjungatur per particulam sive adversativam eam sive conjunctivam dixeris. Difficultatem inde natam tollit vocativi in exclamationibus vel invocationibus aut adloquiis indoles ac natura. Nimirum vocativis hisce semper enunciatio inest tam plena atque perfecta, ut vocativum statim aut relativum pronomen aut participium excipere possit, reliquam vero periodi partem ita ad finem perducat auctor, ac si enunciatio primaria revera praecessisset: haec vero, ab ipso vocativo quasi absorpta, sed mente et cogitatione haud difficulter supplenda, aut — quod brevissimum — imperativo aliquo, ἄκουε, κλῦθι, ὅρα, vel si vocativus pluralis praegressus sit, ἀκούετε, κλῦτε, ὁρᾶτε, absolvitur, aut ipsa invocandi vel compellandi notione continetur, quae vario modo exprimi potest, εὔχομαι σοί sive ὑμῖν, καλῶ σὲ sive ὑμᾶς, ἱκετεύω σέ, σέ φημι et similiter. En Vobis aliquot exempla *Homerica*, *Iliad.* II, 344. 345.

*Ἀτρείδη, σὺ δ' ἔθ', ὡς πρὶν, ἔχων ἀστεμφέα βουλὴν,*
*ἄρχευ' Ἀργείοισι κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.*

Plenius:

*Ἀτρείδη, σὲ προςφωνῶ, σὺ δὲ κτλ.* Iliad. II, 802.
*Ἕκτορ, σοὶ δὲ μάλιστ' ἐπιτέλλομαι ὧδέ γε ῥέξαι.*

i. e. *Ἕκτορ, σοὶ λέγω, ἐπιτέλλομαι δὲ μάλιστα κτλ.* nec differunt haec ex *Theognide, eleg.* 15. 16.

*Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διὸς, αἵ ποτε Κάδμου*
*ἐς γάμον ἐλθοῦσαι καλὸν ἀείσατ' ἔπος.*

et v. 1087. seqq.

*Κάστορ καὶ Πολύθευκες, οἳ ἐν Λακεδαίμονι δίῃ*
*ναίετ' ἐπ' Εὐρώτᾳ καλλιρόῳ ποταμῷ,*
*εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακὸν, αὐτὸς ἔχοιμι,*
*εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοὶ, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.*

Vtrobique supplendum: *κλῦτέ μοι εὐχομένῳ.* Gemella ex Atticorum poesi congesserunt *Porson.* et *Schaefer. ad Eurip. Orest.* 614. ex epigrammatum scriptoribus *Iacobsius ad Anthol. Palat.* p. 853. Eandem legem sequitur enunciatio causalis cum particula *γάρ* vocativo adnexa, cujus exempla in *Homericis* haud ita raro inveniuntur: *Iliad.* VII, 327. 328.

*Ἀτρείδη τε καὶ ἄλλοι ἀριστῆες Παναχαιῶν,*
*πολλοὶ γὰρ τεθνᾶσι κτλ.*

*Odyss.* X, 174.

*ὦ φίλοι, οὐ γάρ τ' ἴδμεν ὅπῃ ζόφος, οὐδ' ὅπῃ Ἠώς.*

*Odyss.* XXII, 70. *Leisn. ad Lamb. Bos. ell. Graec.* p. 810. *Schaefer. Wyttenb. sel. princ.*

*histor.* p. 352., quamvis hic diversissima miscuerit: similiter *Horat. carm.* .III, 11, 1.

> Mercuri, nam te docilis magistro
> movit Amphion lapides canendo.

Supple: Mercuri, te invoco, —. Plene vero loquutus est *Archiloch. fragm.* XXXV. pag. 117. *Liebel.*

> Γλαῦχ', ὅρα, βαθὺς γὰρ ἤδη κύμασιν ταράσσεται πόντος.

Neque talium exclamationum seu compellationum destituimur exemplis, ad quas in sequentibus haud amplius respicit oratio, vid. *Seidler. ad Eurip. Electr.* 1. 55. 430. et *Doederl. in Soph. Oed. Col.* edit. ab ipso et *Ludov. Hellero* curata, v. 588.

Exemplis primo loco positis nostrum adcensemus locum, cujus structuram circumscribendo explicatiorem reddere juvabit: *Amor invicte, qui in divitiis et in pulchritudine luxuriaris, te invocamus: at tu non mollitiei tantum et voluptatibus indulges, sed domas quoque belluas marinas et feras, imperas diis atque hominibus.* Innuit Tragicus duplicem in Amore naturam: quem enim deum tenerum et imbellem, deum, ut cum *Propertio* loquar, pacis certatim poetae et artifices fingebant, eundem hunc, indole sua in contrarium mutata, summa interdum usum audentia gravissima quaeque moliri strenueque perseverando adsequi, haud inepta veterum erat persuasio, ex ipsa amoris natura petita,

quam sublimiori sensu pertractavit ***Plato*** in ***Convivio.*** Idem de duplice Veneris indole, imbelli altera, altera forti ac bellicosa, traditum fuisse testantur loci apud ***Iacobsium ad Anthol. Graec.*** T. VIII. p. 298. T. XII. p. 30. deque ***Baccho Horat. carm.*** II, 19, 21 — 28.

Nunc id quoque patet, quum poeta, omissis relativis, ita potuisset exordiri:

*Ἔρως, σὺ μὲν κτήμασι πίπτεις,*
*σὺ δ' ἐν μαλακαῖς παρειαῖς*
*νεάνιδος ἐννυχεύεις,*
*φοιτᾷς δ' ὑ. —*

cur tamen, vulgatiore hoc struendi genere posthabito, aliud idque paulo difficilius praetulerit. Quae enim per relativa pronomina invocato deo arctius adnectuntur, adeo ei sunt propria ac necessaria, ut iis detractis ipsum dei numen aut everteretur, aut in aliam prorsus formam detorqueretur. Ita quae Sophocles relativa comprehendit enunciatione, ea perpetua sunt in Amore atque ab ejus natura inseparabilia, vehemens divitiarum et pulchritudinis adpetentia: quae vero sequuntur, irruptiones in feras belluasque factae, ea nunc fiunt, nunc non fiunt, neque necessario imperium suum in deos hominesque semper exercebat Amor, neque in utrosque simul: quae est causa, cur haec, liberiore sermonis conformatione usus, subdiderit relativis, temporaria perennibus, transeuntia duraturis. Recto vero ab adversativa particula incipiunt actiones in enun-

ciationibus autonomis memoratae, quum revera consuetae Amoris mollitiei ita sint oppositae ut quae maxime. Apparet tandem, utrumque membrum relativum haud imprudenter ab iisdem vocabulis inchoari, ut scilicet externa statim dispositionis aequalitate ad interiorem sententiarum consensionem auditorum advertantur animi, ac ne quemquam oppositorum fugiat ratio, ubi a rebus suavibus et gratis ad ardua et aspera transitus paratur, id praeter adversativam particulam constructionis quoque et numerorum indicatur mutatione.

His ita expositis disputationi nostrae jam colophonem addere liceret, nisi, quod ab initio monuimus, reprehensori aliquid esset respondendum. Est vero hic non unus de multis, cujus

mox Eurusque Notusque
Iactat odoratos verba per Armenios,

sed vir in his rebus facile princeps, ***Godofr. Hermannus***, cujus ea quoque, quae minus recte dixisse videatur, propter summam quam merito apud omnes eruditos nactus est auctoritatem silentio praetermittere nefas habetur. Accipite igitur ipsam praeclari viri ad v. 782. adnotationem: „*Non videtur mihi dubitari posse, quin* „*κτήματα pro opulentis ac potentibus dixerit.* „*— Non puto tamen laudandum esse Sophoclem, quod κτήματα teneris virginum genis* „*opposuit. Neque injuria haeserunt critici*

„*in nomine minus apto: quamquam cavere* „*debebant, ne librariis imputarent, quae poe*„*tae culpa fuit.*“ Huic *Hermanni* judicio meum quoque nomen subscriberem, siquidem, quod statuit ille, κτήματα mollibus puellae genis revera opposuisset *Sophocles*. At quum κτήματα παρειαῖς omnium minime adversentur, sed ἐκ παραλλήλου potius dicta sint verba, sponte haec concidit objectatio, et ab omni culpa liber discedit poeta: nam quod praeterea de nomine minus apto profert *Hermannus*, ex nostro magis quam e Graecorum loquendi usu disputatum videtur.

Ac profecto, quamvis a communi humanitatis sorte unum *Sophoclem* eximere haud ausim, ingenue tamen confiteor, artem quam exercemus criticam, cujus debitis honoribus ne tantillum quidem detractum velim, ad vitia divini poetae indaganda sufficere mihi nondum videri, quod vix praestantissimis in eadem arte Tragica ingeniis concessum existimem. Lubentius igitur illius, quam idem *Hermannus* in praefat. ad Trachinias, p. XII. dixit, superstitionis ipse me quodammodo reum postulem: nam etsi me nondum coeca quadam antiquitatis admiratione abreptum senserim, de eo tamen mihi est persuasissimum, accuratiorem fabularum *Sophoclearum* interpretationem multum etiamnum ab iis perfectionis fastigiis abesse, in quibus demum con-

stituto absque temeritatis crimine de poetae vitiis virtutibusque dijudicare liceat, eorumque, quae hodie ab aliis in eo vituperentur, — absit enim tale quid de *Hermanno* vel cogitasse — plurima ex manca Tragici cognitione esse nata, quod idoneis alibi exemplis confirmabo.

# VI.

## ANIMADVERSIONES IN SOPHOCLIS TRACHIN. V. 971 — 1004.

---

Mira quadam aut fatorum iniquitate aut *ingeniorum* perversitate accidit, ut in praestantissimos quosdam minusque corruptos scriptores Graecos Romanosve criticae recentiorum manus saevius grassatae sint ac majora commiserint piacula, quam livor temporum et priorum saeculorum barbaries, quum iidem homines intempestive audaces ab auctoribus ope nostra revera egentibus siccum pedem caute retrahere satius ducerent. Ita factum est, ut id, quod nuper, propriorum ut videtur facinorum conscientia admonitus, impavidus ceteroquin antiquorum scriptorum adulterator de Tibullo pronunciavit, rem eo esse deductam, ut jam Tibullum in Tibullo quaerere possis, non de hoc uno tantum poeta verissime dictum sit: sive mera linguae, metrorum, rerum ignorantia turbas istas concitaverit, sive sani certique judicii defectus, sive iners quaedam ingenii levitas, cui commodius visum est, loco ἐξ ἐπιδρομῆς inspecto suos qualescunque

sensus obtrusisse, quam reconditam interdum auctoris sententiam ex ipsius verbis extricasse, sive, quod turpissimum, vana eruditionis aut sagacitatis ostentandae affectatio.

Pejoribus vero ab hac parte vix ullus veterum astris usus est *Sophocle*, in cujus reliquias inde a ***Demetrio Triclinio*** usque ad nostri aevi Atticistas, rhythmicos et elegantiarum poeticarum venatores nihil non tentavit editorum libido. Bonam quidem hujus proluviei partem viri egregii, ***Brunckius***, ***Erfurdtius***, ***Hermannus***, ***Schaeferus***, ***Lobeckius***, ***Seidlerus***, alii eluerunt, sed hi quoque damnis subinde damna resarcientes. Tot hinc tantique naevi etiamnum Phidiacis divini poetae operibus inhaerent, ut operae pretium facturos nos esse speremus, si hac quoque scribendi occasione non ad aliud quid uti maluerimus, quam ad unam alteramve maculam editionibus vulgatis eximendam. Elegimus nobis aliquot ***Trachiniarum*** versus, quum post ***Erfurdtii*** curas admodum juveniles, quae huic fabulae plura vulnera inflixerunt, quam persanarunt, plane neglecta jacuerit.

Hujus igitur tragoediae partem eam, quam ἔξοδον vocat *Aristoteles* in arte poetica, 12, 6. ab ἐπεισοδίῳ separant chorica, v. 948 — 1043. ed. Br., quorum constructio metrica triplex haud facile quemquam lateat, quum medium inter rhythmos haud dubie lyricos teneant anapaesti, v. 991 — 1004., qui utrum systematici sint, an

liberius defluant, ambigitur. Et *Erfurdtius* quidem totum locum strophis antistrophisque adstrinxit, sed tam parum feliciter, tot tamque violenter mutatis versibus, interiore praeterea colloquii vinculo tam parum perspecto, ut his commentis immorari eo lubentius supersedeamus, quanto praeclarius *Seidlerus* in libro de *vers. dochm.* p. 311. sq. postremam carminis partem, quae anapaestos excipit, rhythmis suis adaptavit: utut enim de singulis lectionibus disceptari possit, universa quam iniit ratio tam simplex est et elegans, ut omnem de hoc loco litem praecidisse videatur. Anapaestos vero — nam initium chorici jam a *Brunckio* in suas strophas redactum erat — post irrita *Erfurdtii* conamina nemo pertractavit, *Seidlerus* in epistola critica post *Lobeckii* Ajacem attigit tantum et ita, ut cum eo facere nequeamus, *Ahlwardtus* denique in *Eph. litt. Jen.* 1814. nr. 167. p. 386. e systematicorum numero excludi jussit. Huic postremo judicio statim repugnant licentiae quaedam in compositione anapaestorum, praecipue v. 972. 980. 985. 987. 990. 994. intolerabiles eae in anapaestis liberis cultroque critico commendandae, ad unam vero omnes excusatae, si systema anapaesticum constituimus, cui major quoque fides accedet, siquidem absque ulla scripturae antiquae mutatione, saepius quoque quam a *Brunckio* et *Erfurdtio* factum est librorum auctoritate asserta, e lectione Aldina poterit elici.

Nam quod duobus in locis correctiones *Brunckianas* admisimus, id non ut systema assequeremur, sed aliis de causis, quas deinceps exponemus, necessarium erat. Nunc totum carmen, e proodo, stropha cum antistropha sua et epodo compositum, e nostra descriptione apponemus. Est vero e genere eorum, quae *ἀπὸ σκηνῆς* dicebantur veteribus.

*ΠΡΟΩΙΔΟΣ.*

*ΥΛΛΟΣ.*

*ὤ μοι ἐγὼ σοῦ, πάτερ, ὤ μοι ἐγὼ*
*σοῦ μέλεος, τί πάθω; τί δὲ μήσομαι;*
*οἴ μοι.*

*ΣΤΡΟΦΗ.*

*ΠΡΕΣΒΥΣ.*

*σίγα, τέκνον, μὴ κινήσῃς*
*ἀγρίαν ὀδύνην πατρὸς ὠμόφρονος·*
*ζῇ γὰρ προπετής· ἀλλ' ἴσχε δακὼν*
*στόμα σόν.*

*ΥΛΛΟΣ.*

*πῶς φῄς, γέρον; ἦ ζῇ;*

*ΠΡΕΣΒΥΣ.*

*οὐ μὴ 'ξεγερεῖς τὸν ὕπνῳ κάτοχον,*
*κἀκκινήσεις κἀναστήσεις*
*φοιτάδα δεινὴν νόσον, ὦ τέκνον.*

*ΥΛΛΟΣ.*

*ἀλλ' ἐπί μοι μελέῳ βάρος ἄπλετον ἐμμέμονε φρήν.*

*ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ.*

*ΗΡΑΚΛΗΣ.*

*ὦ Ζεῦ,*
*ποῖ γᾶς ἥκω; παρὰ τοῖσι βροτῶν*

κεῖμαι πεπονημένος ἀλλήκτοις
ὀδύναις; οἴ μοί μοι ἐγὼ τλάμων·
ἥδ' αὖ μιαρὰ βρύκει. φεῦ.

ΠΡΕΣΒΥΣ.

ἆρ' ἐξήδεις ὅσον ἦν κέρδος
σιγῇ κεύθειν καὶ μὴ σκεδάσαι
τῷδ' ἀπὸ κρατὸς βλεφάρων θ' ὕπνον;

ΥΛΛΟΣ.

οὐ γὰρ ἔχω πῶς ἂν στέρξαιμι, κακὸν τόδε λεύσσων.

ΕΠΩΙΔΟΣ.

ΗΡΑΚΛΗΣ.

ὦ Κηναία κρηπὶς βωμῶν
ἱερῶν, οἵαν ἀνθ' οἵων
θυμάτων ἐπί μοι
μελέῳ χάριν ἠνύσω, ὦ Ζεῦ·
οἵαν μ' ἄρ' ἔθου λώβαν, οἵαν,
ἣν μή ποτ' ἐγὼ προςιδεῖν ὁ τάλας
ὤφελον ὄσσοις, τόδ' ἀκήλητον
μανίας ἄνθος καταδερχθῆναι·
τίς γὰρ ἀοιδὸς, τίς ὁ χειροτέχνης
ἰατορίας, ὃς τήνδ' ἄτην
χωρὶς Ζηνὸς κατακηλήσει;
θαῦμ' ἂν πόῤῥωθεν ἰδοίμην *).

Iam de singulis videamus. V. 971. *ὤ μοι* ipse reposui: recentiores omnes cum lexicorum conditoribus inde ab *Henr. Stephano, thes. app.* T. II. p. 204. 13. *ῷ μοι*, qui unde habeant litterulam istam furtivam me expiscari non posse libenter confiteor: caveant certe, ne exclamationem *οἴ μοι* nobis objiciant: at dudum veram scribendi rationem praeivit *Wolfius* in recensione

*) *Schaef. Dion. comp.* p. 292. s.

*Homerica.* *Seidlerus* ut monometrum anapaesticum, ὤ μοι ἐγὼ σοῦ, qui *Erfurdtio* et *Lobeckio ad Aj.* 134. placuerat, ab exordio carminis amoliretur, in *epist. crit.* p. 433. ita conformavit verba Hylli:

ᾤ μοι ἐγὼ σοῦ, πάτερ, ᾤ μοι ἐγὼ
μέλεος. τί πάθω; τί δὲ μήσωμαι;

quibus omnibus haud erat opus: caesura in secundo versu neglecta systematicos anapaestos significat, v. *Herm. elem. metr.* p. 380., μέλεος genitivo exquisitius quam pro interpolatoris ingenio jungitur, nec quicquam offensionis habet transitus paulo insolentior ex aoristi subjunctivo in futurum, quum utroque modo recte interrogent Graeci. De correctionibus *Erfurdtii* nihil addimus.

Idem in versu strophico 976. temere sequutus est hariolationem *Wakef.* omnium ineptissimam,

ζεῖ γὰρ προπετής,

quamvis ipsa Hylli responsio: πῶς φῄς, γέρον; ἦ ζῇ; vulgatam abunde tueatur. Fluxisse videtur depravatio *Wakefieldiana* e male intellecto adjectivo ὠμόφρων, cujus veram explicationem habes infra v. 1035. 1115. 1118. 1241. Nec ideo Hyllum a clamoribus arcet senex, ut filium a patris feritate tutum praestet, sed, quod totus locus docet, ne Hercules praeter rem expergefactus in vehementissimos rursus cruciatus conjiciatur. Admonet igitur juvenem, ne impia ejulatione proturbet quietem patris, in ultimo jam vitae

*Seidlerus* postea suasit, *de vers. dochm.* p. 194. — V. 986. geminatum μοι debetur *Brunckio:* in libris semel tantum exstat, versu ruente. — V. 987. ἦδ' αὖ restituimus ex Aldina: *Brunckius,* celata mutatione, ἡ δ' αὖ, quod egregie languet, nec *Erfurdtius* fraudem sensit, nec *Schaeferus,* cui tam certa visa est lectio *Brunckiana*, ut vel alium locum, cui *Brunckii* inconstantia pepercerat, v. 1010. ἦδ' αὖϑ' ἕρπει, ex hoc commento corrigi posse opinatus sit: e contrario tu mecum v. 1082. 83. ὅδ' αὖ διῇξε πλευρῶν, quod similiter tacite corruptum est a *Brunckio*, ex Aldina in textum revoces. Male vero, si quid video, supplent interpretes νόσον ad τὴν μιαράν, peculiari vocabuli μιαρός usu renitente, ex quo de iis tantum rebus hoc adjectivum usurpatur, quae natura quidem purae, sed labi atque inquinationi obnoxiae sunt, de hominibus, urbibus, regionibus, templis, nunquam de morbis, quos ipsos inter μιάσματα referebant veteres: accedit durities omissionis, quum nusquam antea τῆς νόσου mentionem fecerit Hercules: hinc nullus dubito, quin μιαρά ipsa sit Deianira, quam mali originem esse noverat, v. 775. et quam rursus ἄϑεον vocat v. 1036. βρύκει με, facit ut mordear, excrucier, quod ne a pedestrium quidem scriptorum usu abhorret; sic *Tacit. Germ.* 20. inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec *aetas separet* ingenuos, *virtus agnoscat.* 27. Sepulcrum *caespes erigit.*

In restituendo Atticismo ἐξῄδης v. 988. operam perdidit *Erfurdtius*: melius consuluit v. 990., ubi a mutatione *Brunckiana*, τῷδ' ἀπὸ κρατὸς καὶ βλεφάρων ὕ. primus ad lectionem librorum rediit: toleravit vero pessimam hanc versuum descriptionem,

τῷδ' ἀπὸ κρατὸς βλεφάρων θ' ὕπνον. ΥΛ. οὐ
γάρ ἔχω πῶς ἂν
στέξαιμι κακὸν τόδε λεύσσων *),

de quibus v. quae supra ad ultimum strophae versum disputavimus. In extremis verbis apud *Brunckium* et *Erfurdtium* elegans, sed inutilis *Valckenarii* conjectura στέξαιμι lectionem antiquam στέρξαιμι expulit, quod factum nolim: στέργειν, quod Scholiastes recte per καρτερεῖν, Zonaras per ἐμμένειν explicat, proprio hic et primitivo sustinendi, obdurandi, permanendi significatu positum est, quo arcte cohaeret cum adjectivis στερεός, στεῤῥός vernaculoque *starr*: idonea exempla praeter ipsum *Sophoclem*, *Oed. Col.* 7. praebent *Valcken. ad Eur. Phoen.* 1679. *Hermann. ad Orph. Arg.* 774. *Tittmann. ad Zonar. lex.* T. II. p. 1679. Simillimus nostro est versus *Lycophr.* 525., ubi deteriores aliquot Codd. στέξαι pro στέρξαι praebent, cui lectioni justum pretium statuit *Muellerus* p. 95. Liber *Rehdigeranus*, ab editoribus *Lycophronis* nondum inspectus, sed qui inspiciatur haud indignus,

*) cf. *Doederl. spec.* p. 19. s.

etiam hic a parte meliorum stat. Apud *Sophoclem* liceret quidem, *στέρξαιμι κακὸν τόδε* junxisse, quam structuram extra dubium posuit *Locella ad Xen. Eph.* p. 178., sed quum *Aldus* virgulam interposuerit, ab eo temere recedere nolui.

Accedimus jam ad epodum, quae imprimis editorum audaciam experta est. Statim ab initio duplex invocatio, *ὦ Κηναία κρηπίς* et *ὦ Ζεῦ*, interpretum crux facta est, quamvis res ipsa non adeo rara sit: videas modo quae attulit *Reisigius* in *conject. Aristoph.* T. I. p. 314. Eadem est ratio *Trach.* 96. sq. *Aristoph. Ran.* 494. sq. *Odyss.* 13, 389. sq. Nostro loco de eo potissimum dubitatum est, utrum ad Cenaeum promontorium spectent alloquutiones *ἠνύσω* et *ἔθου*, an ad Iovem: consenserunt nunc de promontorio, quod satis mirari nequeo. Heroum *Homericorum* more graviter conqueritur Hercules de oblivione, in quam opima sacra a se oblata apud Iovem, innumera beneficia apud mortales inciderint, v. 1010. sq., quum ab omni se auxilio et divino et humano destitutum videat: a promontorio vero nec gratiam repetere, nec damnum accipere poterat: nihilosecius recte ejus mentionem facit, quia primum inter sacrificia ibi Iovi pro victoria consecrata a peste correptus aversumque a se patris animum expertus erat: hinc tristis loci recordatio sponte provocabat ad querelas de Deorum hominumque ingrato animo. Nec inconsulto verbum *ἠνύσω* maximo spatio a

priore invocatione diremtum, ipsa verborum collocatione arctissime cum vocativo ὦ Ζεῦ copulavit poeta, attentis scilicet auditoribus scripturus.

V. 995. θυσιῶν pro θυμάτων ut continuos efficeret anapaestos ex ingenio dederat *Brunckius*, in quo nunc neminem assentientem habebit: egregie enim observavit *Hermannus elem. metr.* p. 380. in systematis anapaesticis rhythmorum perpetuitatem haud infrequenter aliis numeris interpellari, quod ipsum inter indicia systematum referendum. Hic tamen in universum ambigi potest de mensura vocabuli θῦμα, utrum primam syllabam necessario longam habeat, necne *). Nam quod *Brunckius* ad *Aristoph. Acharn.* 792. dixit, verbi θύειν primam apud Atticos constanter produci, id ne de praesente quidem verum esse, arguit locus *Eurip. Electr.* 1141. ex usu *Homerico*, *Odyss.* 15, 260. ac, quod huc pertinet, in perfecto utroque et in aoristo passivo Ypsilon nunquam non corripiebatur, conf. *Aeschyl. Eum.* 321. 336. *Choeph.* 240. *Aristoph. Lysistr.* 1062. Accedit quod in his substantivis a perfecto passivo descendentibus saepius fluctuat prosodia, cujus memorabili argumento est vocabulum χρίμα, quod non solum ab *Henr. Stephano Thes.* T. II. p. 425. F. ejusque successoribus semper et ubique παροξυτονεῖται, sed ab accuratissimis quoque editoribus veterum, v. c.

*) Sed v. *Herm. ann. Orph. hymn.* 10, 22.

a *Griesbachio* in *Evang. Lucae* 24. 20. accessit disertum *Draconis Stratonicensis* testimonium, *de metr.* p. 60, 8. et *Nonni* quidam versus apud *Morell. lex. prosod.* p. 558. b. *) Attamen haud dubitare licet, quin sanissimus sit versus *Aesch. Suppl.* 409.

οὐκ εὔκριτον τὸ κρῖμα. μή μ' αἱροῦ κριτήν.

Quamvis nostro loco versum θυμάτων ἐπί μοι pro choriambo cum basi accipere malim, cui simillimos habes apud *Seidlerum* ad *Eurip. Electr.* 445.

Sequenti statim v. 996. rursus offendimur in invento *Brunckiano* ἤνυσας. Libri omnes ἠνύσω, quod contra linguae indolem esse contendit *Erfurdtius*, nos revocavimus cum *Heindorfio* ad *Plat. Phaedon.* pag. 62. se enim ipse damno afficiebat Iuppiter, pio munificoque cultore prodito: hic nihil antiqua lectione sanius. Nec plus tribuerim *Erfurdtio*, v. 1000. καταδερχθείς pro καταδερχθῆναι rescribenti, etsi non negaverim, inesse aliquid difficultatis duplici huic infinitivo, quorum prior ad pronomen relativum pertinet, alter ad demonstrativum ἐκ παραλλήλου positum, quum uterque revocandus sit ad commune verbum finitum ὤφελον. Bene vero monitum est a *Seidlero de vers. dochm.* pag. 352. cumulari interdum sine copula verba

*) Sic δέμα, σχέμα pro δῆμα, σχῆμα. v. *Lobeck. Phryn.* p. 765.

ejusdem vel cognatae significationis, ubi concitatior animi motus exprimitur, nec nostri ibi loci immemor fuit. *Valckenarianum* illud ἀνίας ἄνθος pro μανίας refutet *Sophocles Antig.* 959. *Philoct.* 259. *Trach.* 1089. *fragm. Dionys.* apud *Bekker. Anecd. Graec.* T. I. p. 385. et *Valckenarius* ipse *diatr. Eurip.* p. 179.

Gravius contra Tragicum nostrum et contra sermonem Graecum peccavit *Erfurdtius* v. 1001. articulum ante χειροτέχνης ejiciens, qui propter insequens pronomen relativum abesse non poterat. Id male habuerat virum eruditum, quod prius *substantivum* sine articulo posuerit poeta, quae ratio quam sit infirma per se patet docetque observatio *Seidleri* ad *Eurip. Electr.* 429. Compares longe frequentiorem praepositionum secundo demum nomini additarum usum, quale hoc *Odyss.* 12, 27.

ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς,

conf. *Bentl. ad Hor. carm.* 3, 25, 3. *Ruhnk. ep. crit.* p. 130. *Valck. fragm. Callim.* p. 178. *Erf.* ad *Soph. Ant.* 364. *O. T.* 637. 727. etc. Ceterum τοὺς χειροτέχνας ἰατορίας chirurgos esse voluit Scholiastes, accedentibus interpretibus omnibus. Sed quis non videat, quam perversus in hoc Herculis malo chirurgiae sit usus, quam mira chirurgi juxta incantatorem mentio, ne quid dicam de verbo κατακηλεῖν, quod de quovis alio rectius adhibueris, quam — ut cum *Plinio hist.*

*nat.* 29, 1. loquar — de carnificibus. Omnia apta erunt et perspicua, si locum de magicis illis aut si malis magneticis palpationibus ac frictionibus interpretamur, quarum praecipuum in antiquissima medendi arte usum fuisse constat, v. *Sprengelii hist. art. med.* T. I. p. 126. et *Ennemoseri hist. magnet.* p. 270. 573., quae quam notae fuerint etiam poetis edocet nos memorabilis locus *Solonis* in *Poet. gnom. Graec.* 5, 61.

τὸν δὲ κακαῖς νούσοισι κυκώμενον ἀργαλέαις τε,
ἁψάμενος χειροῖν, αἶψα τίθησ' ὑγιῆ,

in quo jam ante hos triginta et sex annos magnetismum animalem agnovit *Brunckius.*

Superest ultimus epodi versus, aeque contra *Erfurdtii* crisin defendendus, qui, quum votum per optativum addita particula ἄν recte exprimi negaret, ἄν in ὅν convertit. Sed quid quaeso de voto cogitare nos adigit, et quale hoc votum? nam miraculum tam salutare in proximo, non πόῤῥωθεν conspicere gestias, ita ut jam ad omissum κἄν confugiendum sit. Vulgatae hic est sensus: talem medicum tanquam miraculum e longinquo suspicerem: possis quoque θαῦμα πόῤῥωθεν jungere, miraculum divinitus immissum, sed prior ratio praestat, „*major e longinquo reverentia.*“ *Tiber.* ap. *Tacit. Annal.* 1, 47. Hactenus. —

# VII.

## EPIPHYLLIDES ARISTOPHANEAE.

Acerbum Aristophanis judicium de carminibus e ditiore aliorum poetarum penu corrogatis et in novam quandam formam rursus conglutinatis, quae in Ranarum prologo racemulis post vindemiam relictis facete comparavit, neque Vos, Commilitones humanissimi, ignoratis, neque quisquam, qui quidem noverit, improbabit. Quantum vero critica ars distat a versibus pangendis, tantum et latius quoque cernitur discrimen inter artificium illud haud admodum liberale ac tessellario homine quam poeta dignius et inter sedulam critici operam, quae sensim junctisque multorum virorum conatibus et ne levissimis quidem veritatis indiciis neglectis, antiquorum scriptorum reliquias pristino suo nitori restituit. Ita demum spes est fore, ut sordibus, quas longa aetas superinduxerit, diligenter ablutis, ulceribus facili manu amputatis, lacunis denique caute expletis, certior tandem aliquando ad universam antiquitatem illustrandam via sterni queat.

Haec et talia reputanti mihi neque indignum, neque prorsus inutile visum est, quod ante tria

saecula ***Iacobum Nicolaum Loensem*** *) fecisse constat, his nostris diebus, sed intra fines angustiores, imitari, epiphyllidumque Aristophanearum fasciculum e scriniis depromere, si forte uni alterive poetae loco vel tantillum inde utilitatis afferri possit. Quamvis enim post ***Brunckium*** grammatici omni eruditionis et acuminis laude vel maxime florentes, in Britannia ***Ricardus Porsonus***, ***Petrus Paulus Dobreus*** et ***Petrus Elmslejus***, *οἱ μακαρῖται*, apud nos ***Godofredus Hermannus***, ***Augustus Seidlerus***, ***Carolus Reisigius***, ***Guilelmus Dindorfius***, alii, praeclarum laborem in perpoliendis summi comici fabulis collocarint, variae tamen ejus et multiplices, quibus aemulos suos ad unum omnes superabat, virtutes effecerunt, ut etiamnum reliqua essent aut esse certe viderentur, quibus emaculandis post tot tantosque viros novum studium insumpsisse haud facile quemquam poeniteret.

Nunc vero non agimus id, ut, *ὅλῳ τῷ θυλάκῳ*, quod ajunt, *σπείροντες*, quaecunque ad ***Aristophanis*** verba aut illustranda aut vindicanda aut emendanda adnotavimus, — sunt enim haud pauca — in chartas conjiciamus. Maluimus ex una ***Pace*** fabula eos tantum locos seligere, quibus absque ulla litterarum mutatione, sive interpunctione sive accentus ratione sive versuum transpositione succurri posse suspicaremur. Tria

*) In *Iani Gruteri fact crit.* T. V. *supplem.* p. 255. sqq.

enim haec emendationum genera, quibus in poesi scenica quartum, personarum mutationem addimus, ut omnium facillima, ita prae ceteris commendanda et exercenda esse critico saepius nos in scholis publicis monere audivistis, quam quod pluribus nunc persequeremur. Sunt igitur loci *Aristophanici* in *Pace*, quibus horum remediorum unum adhiberi possit, fere hi.

v. 54 — 57. ed. *Dind.*

ὁ δεσπότης μου μαίνεται καινὸν τρόπον,
οὐχ ὅνπερ ὑμεῖς, ἀλλ' ἕτερον καινὸν πάνυ·
δι' ἡμέρας γὰρ εἰς τὸν οὐρανὸν βλέπων,
ὡδὶ κεχηνὼς λοιδορεῖται τῷ Διί.

Haec omnia, ut obiter intuenti satis Graeca et ceteroquin sana videri posse haud prorsus negem, ita neque admodum accurate et minus *Aristophanice* dicta esse confidenter pronuncio. De hoc consentientem me habiturum esse spero, quicunque locos, quos statim apponam, vere *Aristophanicos* cum nostro contenderit: *Avv.* 264.

καί τοι κέχηνά γ' εἰς τὸν οὐρανὸν βλέπων.

ibid. v. 307. sq.

ἆρ' ἀπειλοῦσίν γε νῷν; οἴμοι, κεχήνασίν γέ τοι
καὶ βλέπουσιν εἰς σὲ κἀμέ. —

ibid. v. 1671.

τί δῆτ' ἄνω κέχηνας αἰκίαν βλέπων;

*Acharn.* v. 30. sqq.

στένω, κέχηνα, σκορδινῶμαι, πέρδομαι,
ἀπορῶ, γράφω, παρατίλλομαι, λογίζομαι,
ἀποβλέπων εἰς τὸν ἀγρόν.

*Lysistr.* v. 426. sq.

τί κέχηνας, ὦ δύστηνε; ποῖ δ' αὖ σὺ βλέπεις
οὐδὲν ποιῶν —;

Iam velim proferat mihi quis vel unum ex *Aristophane* exemplum perfecti κέχηνα cum verbis clamandi vociferandive conjuncti: at neque ex hoc, neque ex alio scriptore poterit. Non enim verba facientis est rictum apertum tenere, sed sursum vorsum spectantis et otiose hiantis: neque, quem ***Ilgenius*** ad ***hymn. Hom. in Cer.*** 479. p. 568. illius usus testem excitat, ***Beckius*** ad ***Aristoph. Avv.*** 165. tale quid probatum irit, neque ea, quae ipse in ***Lexici Graeci*** T. II. p. 1046. a. e ***Sophocle*** et ***Callimacho*** attuli, huc trahere licet. Hinc ita distinguendum videtur:

δι' ἡμέρας γὰρ εἰς τὸν οὐρανὸν βλέπων
ὡδὶ κεχηνώς, λοιδορεῖται τῷ Διί.

v. 82 — 86.

ἥσυχος, ἥσυχος, ἠρέμα κάνθων·
μή μοι σοβαρῶς χώρει λίαν,
εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς ῥώμῃ πίσυνος,
πρὶν ἂν ἰδίῃς καὶ διαλύσῃς
ἄρθρων ἶνας πτερύγων ῥύμῃ.

Lepide cum hippocantharo suo pilulario tanquam cum generosae originis equo agens inducitur Trygaeus: equum vero, quo minus statim ab initio robori suo confisus incedat, nemo sanus impediet: ne vero statim in concitatiorem cursum se immittat equus viribus fretus utique videndum esse equiti, quis ignorat? neque de hac

re aliter sensisse veteres, abunde docet *Xenophon de arte equit.* 7, 10. *ὅταν δὲ προχωρεῖν σημήνῃ τῷ ἵππῳ, βάδην μὲν ἀρχέσθω· τοῦτο γὰρ ἀταρακτότατον.* — et 9, 3. *εὐθὺς οὖν χρὴ ἐν τῇ ἀναβάσει ἐπιμελεῖσθαι, ὡς ἂν ἥκιστ᾽ ἀναβαίνων λυποῖ· ἐπειδὰν δ᾽ ἀναβῇ ἠρεμήσαντα πλείω χρόνον ἢ τὸν ἐπιτυχόντα, οὕτω προκινεῖν αὐτὸν ὡς πρᾳοτάτοις σημείοις· ἔπειτα δ᾽ ἐκ τοῦ βραδυτάτου ἀρχόμενον, οὕτως αὖ εἰς τὸ θᾶττον προάγειν* —, ad quem locum vide peritissimum elegantis libelli interpretem, ***Fridericum Iacobsium***, ***Friderici*** f., p. 177. Rectius igitur, nisi fallor, hunc in modum disponentur verba comici:

μή μοι σοβαρῶς χώρει λίαν
εὐθὺς ἀπ᾽ ἀρχῆς, ῥώμῃ πίσυνος, —.

v. 224 — 227.

*ΕΡΜΗΣ.*

— κἄπειθ᾽ ὁρᾷς,
ὅσους ἄνωθεν ἐπεφόρησε τῶν λίθων,
ἵνα μὴ λάβητε μηδέποτ᾽ αὐτήν;

*ΤΡΥΓΑΙΟΣ.*

εἰπέ μοι,
ἡμᾶς δὲ δὴ τί δρᾶν παρασκευάζεται;

Tolle interrogandi signum post *αὐτήν*, quod ab hoc loco prorsus alienum esse proxima ostendunt Trygaei verba, quibus non responsio inest, sed transitus ad aliud quid. Ac si quis existimet, secundae personae *ὁρᾷς* necessario adhaerescere interrogationem, contendat is nostrum in ***Pace***

ipsa, 193. 264. *Acharn.* 450. *Eqq.* 852. *Vesp.* 532. 1345. *Avv.* 1616. *Thesmoph.* 496. 556. *Eccles.* 104. *Rann.* 1234. Ex contrario interrogandi signum restituendum erit *Eqq.* 163. propter sequens ὁρῶ, quemadmodum eadem de causa jam factum est in *Nubb.* 92. neque minus *Rann.* 1136. desideratur interrogatio, quam gemello *Eqq.* loco, v. 1195., dudum agnitam videmus.

v. 238. 239.

ὦ 'ναξ Ἄπολλον, τῆς θυείας τοῦ πλάτους·
ὅσον κακὸν καὶ τοῦ Πολέμου τοῦ βλέμματος.

Vtrumque versum quantum ad vocabula emendarunt ex conjectura *Bentlejus,* ex codicibus *Dindorfius:* de interpunctione nondum adsentior. Adeo enim offendor in versu secundo, cum priore per conjunctionem *καί (etiam)* turpiter nexo, ut vix languidius quid legere me meminerim: *quale malum inest* e t i a m *Belli vultui!* Majore post *πλάτους* distinctione deleta, nihil jam remanet inconcinni, modo hunc instituas verborum ordinem: *ὦ 'ναξ Ἄπολλον, ὅσον κακὸν τοῦ πλάτους τῆς θυείας καὶ τοῦ βλέμματος τοῦ Πολέμου.*

v. 268 — 270.

τὸ δεῖνα γάρ,
ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν ἁ 'λετρίβανος,
ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Tumultus, Bello Cleonis mortem nunciaturus, ipsum coriarii nomen reformidans, pistillum eum vocat, quod afferre jussus erat a domino.

At quum prae metu atque festinatione ab hoc quoque vocabulo primum aberret, ea utitur dictione, qua solent Attici, si certam quandam rem nominatim tangere aut nequeunt aut nolunt. Quae quum ita sint, distinctione post *τὸ δεῖνα γάρ* sublata, suadente etiam scholiasta rescribendum:

τὸ δεῖνα γὰρ
ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν, ὁ 'λετρίβανος,
ὁ βυρσοπώλης, —.

Ita recte in *Thesmoph.* 620.

τὸν δεῖνα γιγνώσκεις, τὸν ἐκ Κοθωκιδῶν;

vide etiam *Lysistr.* 1168. Neque ab hac interpungendi ratione recedendum, nisi verbo in extrema enunciatione post utrumque nomen collocato, quod fecit noster *Lysistr.* 921.

καίτοι τὸ δεῖνα, ψιαθός ἐστ' ἐξοιστέα.

et 926.

καίτοι τὸ δεῖνα, προσκεφάλαιον οὐκ ἔχεις.

v. 366. 367.

ΕΡΜΗΣ.

ἀπόλωλας, ὦ κακόδαιμον.

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

οὐκοῦν, ἢν λάχω.
Ἑρμῆς γὰρ ὢν κλήρῳ ποιήσεις οἶδ' ὅτι.

Quae Mercurii minis confidenter reponit Trygaeus, sensum quidem habent, sed tam perversum, ut singula sibi invicem repugnent. Priora illa, *οὐκοῦν ἢν λάχω*, recte interpretatus est *Florens Christianus*, *siquidem sors id jusserit*,

*τοῖσιν πατρῴοις, εἰςίδω δ' ἐσθήματα*
*φοροῦντ' ἐκείνῳ ταὐτά κτλ.*

ibid. v. 475 sq.

*εἶσιν ἁ πρόμαντις*
*Δίκα, δίκαια φερομένα χεροῖν κράτη,*
*μέτεισιν, ὦ τέκνον, οὐ μακροῦ χρόνου.*

*Soph. Trach.* 335 sq.

*ὅπως*
*μάθῃς ἄνευ τῶνδ', οὓς τινάς τ' ἄγεις ἔσω,*
*ὧν τ' οὐδὲν εἰςήκουσας, ἐκμάθῃς γ' ἃ δεῖ.*

ibid. v. 449. 450.

*εἰ μὲν ἐκ κείνου μαθὼν*
*ψεύδῃ, μάθησιν οὐ καλὴν ἐκμανθάνεις.*

*Eurip. Tro.* 902.

*αἱρεῖ γὰρ ἀνδρῶν ὄμματ', ἐξαιρεῖ πόλεις.*

*Eurip. Iphig. Taur.* 954.

*σῶσον πατρῷον οἶκον, ἔκσωσον δ' ἐμέ.*

et inverso ordine *Soph. Oed. Tyr.* 133. 134.

*ἐπαξίως γὰρ Φοῖβος, ἀξίως δὲ σύ,*
*πρὸ τοῦ θανόντος τήνδ' ἔθεσθ' ἐπιστροφήν.*

*Eurip. Med.* 1247. 48.

*κατίδετ',*
*ἴδετε τὰν ὀλομέναν —.*

Quanto vero uberior corruptelarum fons haec vocum iteraturum neglectio, tanto certior inde iis potissimum poetarum locis repetenda erit medela, in quibus metrorum tantum defectus lacunam prodit. Ita pro conclamato fere habitus est *Euripidis* versus in *Oresta*, v. 1263. 64.

*ὅδε τίς ἐν τρίβῳ ... τίς ὅδ' ἄρ' ἀμ-*
*φὶ μέλαθρον πολεῖ σὸν ἀγρότας ἀνήρ;*

Quod *Porsonus*, *Brunckii* judicium sequutus, audacter intulit in textum, ὅδε τίς ἐν τρίβῳ φαντάζεται; adversatur dochmiacorum numero, et jure expulerunt *Seidlerus de vers. dochm.* p. 320. *Matthiaeus* et *Ludov. Dindorfius* in editionibus suis, quamvis ipsi nihil aut certe nihil probabilius afferentes. Veram mihi loci sanandi rationem perspexisse videtur optimae spei juvenis, *Franciscus Heinisch*, Glacensis, qui hanc nuper mecum communicavit emendationem perelegantem et in sola duorum vocabulorum repetitione subsistentem:

ὅδε τίς ἐν τρίβῳ; τίς ὅδε, τίς ὅδ' ἄρ' ἀμ-
φὶ μέλαθρον πολεῖ σὸν ἀγρότας ἀνήρ; —

Ceterum de nostro *Aristophanis* loco monendum adhuc, ipsum illud, quod inserui verbum, ἀνελκύσαι, paulo ante, v. 307. de eadem re usurpatum esse.

v. 490 — 493.

ΕΡΜ. ὢ εἶα. ΤΡΥΓ. εἶα μάλα. ΕΡΜ. ὢ εἶα. ΤΡΥΓ.
εἶα νὴ Δία.

et in strophicis, v. 463 — 467.

ΕΡΜ. ἆ εἶα. ΧΟΡ. εἶα μάλα. ΕΡΜ. ὢ εἶα. ΧΟΡ.
εἶα ἔτι μάλα.

Patet in his personarum vices haud satis inter sese congruere, qua in re *Aristophanem* aliunde accuratissimum esse novimus. Hic vero, quae in stropha habebat Chorus, in antistropha Trygaeo tributa sunt, quod alia quoque de causa male factum. Signum enim, quo dato rursus

trahere incipiunt, non ad unum Trygaeum, sed ad totum Chorum pertinet, qui uno igitur ore respondere debebat Mercurio ad redintegrandum laborem excitanti. Vtrique difficultati difficillime subvenitur, dummodo ea, quae in antistrophicis Trygaei esse nequeunt, Choro adscribamus. Ita igitur refingamus locum:

*ΕΡΜ. ὢ εἶα. ΧΟΡ. εἶα μάλα. ΕΡΜ. ὢ εἶα. ΧΟΡ. εἶα νὴ Δία.*

v. 684 — 693.

*ΕΡΜΗΣ.*

*ἀποστρέφεται τὸν δῆμον, ἀχθεσθεῖσ', ὅτι*
*αὑτῷ πονηρὸν προστάτην ἐπεγράψατο.*

*ΤΡΥΓΑΙΟΣ.*

*ἀλλ' οὐκέτ' αὐτῷ χρησόμεθ' οὐδέν· ἀλλὰ νῦν*
*ἀπορῶν ὁ δῆμος ἐπιτρόπου καὶ γυμνὸς ὢν*
*τοῦτον τέως τὸν ἄνδρα περιεζώσατο.*

*ΕΡΜΗΣ.*

*πῶς οὖν ξυνοίσει ταῦτ', ἐρωτᾷ, τῇ πόλει.*

*ΤΡΥΓΑΙΟΣ.*

*εὐβουλότεροι γενησόμεσθα.*

*ΕΡΜΗΣ.*

*τίνι τρόπῳ;*

*ΤΡΥΓΑΙΟΣ.*

*ὅτι τυγχάνει λυχνοποιὸς ὤν. προτοῦ μὲν οὖν*
*ἐψηλαφῶμεν ἐν σκότῳ τὰ πράγματα·*
*νυνὶ δ' ἅπαντα πρὸς λύχνον βουλεύσομεν.*

Apposui haec, sed haesitabundus: quippe verendum mihi, ne in hac oratione tractanda humani quid sim perpessus. Quae enim prioribus interpretibus, quantum quidem ex eorum

silentio conjicere fas est, adeo fuerunt perspicua, ut nihil monendum repererint, mihi, ut verum fatear, omnia spissis caliginibus obducta sunt, neque me singulorum vocabulorum difficultates impediunt, sed sententiarum cohaerentia adeo abscondita, ut auxilium non tam ab interpretationis subtilitate, quam ab emendationis facilitate exspectandum videatur. Sed judicetis ipsi.

Pax per Mercurium ex Trygaeo quaesiverat, quisnam rhetorum circa istud tempus in concionibus primas teneret, acceptoque responso, maxima jam apud populum gratia florere Hyperbolum, demagogorum post Cleonis mortem *omnium* perditissimum, extemplo vultum avertit *Dea.* Trygaeum mirantem edocet Mercurius, aversari eam tutorem, cui populus se tradiderit, spurcissimum, et hactenus omnia sana sunt et expedita. Ea quoque, quae statim sequuntur, defendi possint. ***Si haec est causa Deae a nobis aversae***, respondet Trygaeus, ***haud amplius utemur Hyperbolo: hac vero, qua vivimus, tempestate ad hunc tutorem interim*** (*νῦν — τέως*) ***confugere necessitate quadam coactus erat populus***, quae excusationis causa ab eodem Trygaeo adduntur. Neque inepte pergit Mercurius: ***quaenam inde*** (ex hac tutela) ***in Vrbem utilitas? quidnam vobis praesidii esse poterat in homine adeo flagitioso?*** — At jam quaeso attendatis ad responsionem Trygaei: ***melius deinceps rebus nostris prospiciemus.*** Num quid

ineptius reponi poterat? Et quum rursus interrogasset Mercurius: *quonam modo?* (melius vobis prospicietis) Trygaeus haud profecto aptius: *quippe*, inquit, *lucernarum confector est Hyperbolus: antea scilicet in tenebris oberrabamus, nunc vero cuncta ad lucernas agere in animo erat.* Iam si singula accuratius intuemur, in aperto est, omnem natam esse difficultatem e versu sede non sua collocato

εὐβουλότεροι γενησόμεσθα κτλ.

quod ad correctionem ducit certissimam: haud enim majore opus est molimine, quam hujus versus post versum 685. trajectione. Sic igitur informandum est colloquium:

ΕΡΜΗΣ.

ἀποστρέφεται τὸν δῆμον, ἀχθεσθεῖσ', ὅτι
αὑτῷ πονηρὸν προστάτην ἐπεγράψατο

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

εὐβουλότεροι γενησόμεσθα

ΕΡΜΗΣ.

τίνι τρόπῳ;

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

ἀλλ' οὐκέτ' αὐτῷ χρησόμεθ' οὐδέν· ἀλλὰ νῦν
ἀπορῶν ὁ δῆμος ἐπιτρόπου καὶ γυμνὸς ὢν
τοῦτον τέως τὸν ἄνδρα περιεζώσατο.

ΕΡΜΗΣ.

πῶς οὖν ξυνοίσει ταῦτ', ἐρωτᾷ, τῇ πόλει.

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

ὅτι τυγχάνει λυχνοποιὸς ὤν. κτλ.

Qua mutatione admissa omnia recte cohaerent. Causa, cur civibus indignata esset Pax,

per Mercurium comperta, nunc meliora spondet Trygaeus, ad saniora consilia transitum, quem in eo primum Dea sit conspectura, quod ipsi jam non usuri sint consiliis Hyperboli. Et quaestionem Mercurii, quomodo boni quid ab Hyperbolo sperare potuerint Athenae? hanc igitur quaestionem recte excipit responsum Trygaei: *quia lucernarum est confector* etc.

At ne sensim in audaciora quoque conamina delabamur, hic pedem figere satius erit. Quae periclitati sumus, si haud omnino displicuerint viris, quibus sua probare judicia aeque est honorificum atque ab iis meliora doceri, alio tempore racemationes nostras continuabimus, ad quas latius extendendas aliquanto plus nunc suppetit materiei quam otii.

# VIII.

## DE DICAEARCHI TRIPOLITICO CONIECTVRA.

---

Inter reconditiores Graecorum vocabulorum thesauros, qui usque ad hunc diem lexicographorum adeo latuerunt diligentiam, ut neque *Edm. Henr. Barkerus*, vir doctissimus, cui novam eamque exquisitae eruditionis apparatu adornatam *Stephaniani* thesauri editionem debemus, attentiorem quandam eorum curam habuisse videatur, inter hos igitur nescio an nullus uberiore supplementorum farragine lexicorum nostrorum defectus sit expleturus quam inscriptionum, quas operibus suis praefixerint scriptores Graeci, accurata collectio. Qua in re quantumvis sit operosum, ingentem illum variarum inscriptionum numerum undique neque raro ex inamoenis grammaticorum et scholiastarum latibulis ita congessisse, ut nihil ad perfectam indicis absolutionem desideretur, mera tamen titulorum coacervatione ne dimidiam quidem operae partem confectam diceres. Duplex enim longeque id difficilius restat negotium: videndum primum est critico, labemne traxerint

aliquam inscriptiones singulae, librariorum modo incuriam, modo ignorantiam nimis saepe expertae; videndum postea interpreti, quaenam earum sint causae, quaeve inter titulum libri ejusque argumentum intercedat ratio. Quantis vero subinde difficultatibus impeditae sint ejusmodi quaestiones, quantaque ad illas feliciter superandas non litterariae tantum, sed universae historiae antiquae opus sit cognitione, vix aliunde melius pleniusque ediscas quam ex fabularum scenicarum, in primis comoediarum indicibus, consulto interdum ad obscuritatem quandam artificiosam compositis, sive consilium suum callide occultare placuerit poetis, sive mirabili ac portentoso nomine allicere et invitare, sive eventu necopinato delectare voluerint spectatores: cujus generis multa praeclare explanavit *Aug. Meinekius* in quaestionibus scenicis, plura suo aliorumve acumini enucleanda reliquit.

In operibus historicis haud paullo quidem rarius in tales tricas incidimus, quippe quae materiem suam propositumque, quod in ea pertractanda sequuti sint scriptores, aperte simpliciterque profiteri et in ipsa adeo fronte prae se ferre soleant. Sed neque in his omnia omnino esse in enumeratis, uno exemplo, sed illustri, ostendemus.

*Athenaeus* compilationis suae libro IV. p. 141. A. ex *Dicaearcho* Messenio, Siculo, *Aristotelis* discipulo, hanc nobis phiditiorum apud

Lacedaemonios descriptionem servavit: *τὸ δεῖπνον πρῶτον μὲν ἑκάστῳ χωρὶς παρατιθέμενον καὶ πρὸς ἕτερον κοινωνίαν οὐδεμίαν ἔχον· εἶτα μᾶζαν μὲν ὅσην ἂν ἕκαστος ᾖ βουλόμενος, καὶ πιεῖν πάλιν, ὅταν ᾖ θυμὸς ἑκάστῳ, κώθων παρακείμενός ἐστιν. Ὄψον δὲ ταὐτὸν ἀεί ποτε πᾶσίν ἐστιν, ὕειον κρέας ἑφθὸν, ἐνίοτε δ' οὐδ' ὁτιμενοῦν πλὴν ὄψον τι μικρὸν ἔχον σταθμὸν ὡς τέταρτον μάλιστα, καὶ παρὰ τοῦτο ἕτερον οὐδὲν πλὴν ὅ γε ἀπὸ τούτων ζωμὸς, ἱκανὸς ὢν παρὰ πᾶν τὸ δεῖπνον ἅπαντας αὐτοὺς παραπέμπειν, κἂν ἄρα ἐλάα τις ἢ τυρὸς ἢ σῦκον· ἀλλὰ κἄν τι λάβωσιν ἐπιδόσιμον, ἰχθὺν ἢ λαγὼν ἢ φάτταν ἤ τι τοιοῦτον· εἶτ' ὀξέως ἤδη δεδειπνηκόσιν ὕστερα περιφέρεται ταῦτα τὰ ἐπάϊκλα καλούμενα. Συμφέρει δ' ἕκαστος εἰς τὸ φειδίτιον ἀλφίτων μὲν ὡς τρία μάλιστα ἡμιμέδιμνα Ἀττικὰ, οἴνου δὲ χόας ἕνδεκά τινας ἢ δώδεκα, παρὰ δὲ ταῦτα τυροῦ σταθμόν τινα καὶ σύκων, ἔτι δὲ εἰς ὀψωνίαν περὶ δέκα τινὰς Αἰγιναίους ὀβολούς.* Libri, ex quo haec desumpsit Athenaeus, epigraphe fuit *Τριπολιτικός*. Ejusdem iterum, sed in transcursu tantum mentio facta est a *Cicerone*, *Dicaearchi* in primis studioso, *epist. ad Att.* XIII, 32. *Dicaearchi περὶ ψυχῆς utrosque velim mittas et καταβάσεως. Τριπολιτικὸν non invenio et epistolam ejus, quam ad Aristoxenum misit.* Praeterea hujus libri apud veteres scriptores neque vola est neque vesti-

gium, ut nihil mirere, varias de ejus argumento fuisse recentiorum sententias.

Omnium cautissime versatus est *Dalecampius ad Athen.* p. 729. trium enim civitatum mores et instituta narrasse *Dicaearchum* haud quidem dubitans, quae fuerint istae prudenter in incerto reliquit. *Dodwellus* vero *dissert. de Dicaearcho* p. 31. sq. confidenter ut solet inscriptionem ad Doriensium Tripolin refert, de qua Peripateticum nostrum peculiari libello egisse neque aliunde constat, neque per se vero est simile. Propius a rerum fide abest conjectura *Semleri*, *miscell. lectt. fasc.* II. p. 27. sq. bene enim rejecta *Dodwelli* opinione, de tribus Pellenensium, Corinthiorum et Atheniensium politiis cogitat, quarum descriptionem uno opusculo complexum esse *Dicaearchum* testem excitat *Ciceronem epist. ad Att.* II, 2. Sed vide mihi ipsa *Ciceronis* verba: *Πελληναίων in manibus tenebam et hercule magnum acervum Dicaearchi mihi ante pedes exstruxeram. O magnum hominem! et a quo multo plura didiceris quam de Procilio. Κορινθίων et Ἀθηναίων puto me Romae habere.* Ex quibus, si nihil aliud, hoc certe efficitur, de singulis civitatibus singulatim egisse Dicaearchum, quod idem de Spartanorum politia tradit *Suidas* v. *Δικαίαρχος*, T. I. p. 585. *Kust.*, neque profecto intelligas, quonam tam arcto vinculo Pellenen, Corinthum Athenasque comprehenderit quisquam, ut in

tripolin coaluerint. *Meursius* apud *Fabric. bibl. Graec.* T. III. p. 489. *Harl.* vix orationem dixisset Τριπολιτικὸν, si antea inspexisset locum ex Athenaeo transscriptum, ab omni profecto orationis conformatione longe longeque abhorrentem, neque, quos in suam rem confert, Dicaearchi Παναθηναϊκος atque Ὀλυμπικὸς satis tuto pro orationibus habentur: Κορινθιακὸς certe et Λεσβιακοὶ, sermo uterque philosophus de animo ejusque natura, aperte repugnant. Superest *Presselius*, theologus Tubingensis, qui nuper in *Symbolis ad Schneideri lexicon* haud ineruditis, p. 94. novam prorsus viam tentavit, sed ceteris infelicius, quippe qui sibi persuaserit, τριπολιτικὸν *triplicem* quasi, i. e. *magnum politicum* significare posse: quod quantopere linguae legibus adversetur, haud est quod pluribus persequamur.

Mihi quidem rem obscuram quamvis haud plena luce collustrare, aliquanto tamen clariorem reddere videtur simillimae inscriptionis comparatio. Praebet eam famosus ille Τρικάρηνος s. Τρικάρανος, *Theopompo Chio* vulgo adscriptus, qui his ipsis diebus doctissimorum hominum studia in se convertit, v. *Io. Henr. Vossium* in *Seebodii horreo philol. et paedag.* II, 1. p. 139. *Car. Odofr. Muellerum* in *prolegg. ad mythol. stud.* p. 98. et in *notit. litter. Gotting.* a. 1825. p. 371. *Iul. Pflugkium* in *egregio de Theopompo libello*, p. 44. sq. et *Aug. Meinekium, quaest. scen. spec.* II. p. 71.

Quae de Tricarani argumento et consilio perverse judicarunt alii, satis refutavit *Pflugkius*, idemque primus evicit, auctorem libelli tres primarias civitates, tria quasi capita Graeciae acerrimo sale perfricuisse: neque quaenam fuerint illae civitates, Athenasque, Spartam et Thebas, inter quas perniciosum illud de principatu flagraverit certamen, necessario esse intelligendas, fugit virum ingeniosum. Conficitur res gravissimo *Aristidis* loco in laudatione Romae urbis, T. I. pag. 211. *Iebb.* (368. *Steph.*), qui summarium quodammodo Tricarani continere videtur, ideoque omnium minime a *Pflugkio* negligi debebat.

Neque jam de auctore libelli ulla superesse potest dubitatio. Quamquam enim *Lucianus* *Pseudolog.* 29., vulgarem opinionem sequutus, Tricaranum haud cunctanter Theopompo tribuit, contrarium tamen obstat *Flav. Iosephi* testimonium, contra *Apion.* I, 24. T. II. p. 459. *Haverc.* *Θεόπομπος μὲν τὴν Ἀθηναίων, τὴν δὲ Λακεδαιμονίων Πολυκράτης, ὁ δὲ τὸν Τριπολιτικὸν γράψας (οὐ γὰρ δὴ Θεόπομπός ἐστιν, ὥς τινες οἴονται) καὶ τὴν Θηβαίων πόλιν διέβαλε:* similiterque *Aristides* satius duxit, *τὸν θαυμαστὸν ἐκεῖνον τὸν Τρικάρανον ποιήσαντα* laudasse, quam ipsum scriptoris nomen apposuisse.

Ac de acerbissima ista Theopompi contra Athenienses et Lacedaemonios maledicentia aliunde quoque satis constat, v. *Athen.* VI. p. 254.

B. *Demetr. de eloq.* 251. *Frid. Kochii prolegg. ad Theop.* p. 30. *Ios. Aschbachii dissert. de Theop.* p. 22. sqq. Hac quum satis jam exasperatos sentiret Graecos callide usus esse dicitur aemulus, *Anaximenes Lampsacenus*, qui ut majorem etiam Theopompo conflaret invidiam, contra Athenienses et Lacedaemonios composuit librum, in quo mordax alterius et vehemens scribendi genus tam accurate expressit, ut inscripto Theopompi nomine mendacio haud difficulter fidem pararet, odiumque adversus Theopompum per totam Graeciam mirum in modum augeretur, quem librum a Tricarano illo non esse diversum recte pronunciavit *Pflugkius*. Possit sane haesitationem aliquam injicere *Suidas*, v. Ἀναξιμένης, T. I. p. 174., qui Athenienses tantum et Lacedaemonios proscidisse dicit Theopompum: sed quae lexicographus omisit, melior supplet testis *Pausanias* VI, 18, 3. (5.) φαίνεται δὲ καὶ ἄνδρα ὁ Ἀναξιμένης ἐχθρὸν οὐκ ἀμαθέστατα, ἀλλὰ καὶ ἐπιφθονώτατα ἀμυνάμενος· ἐπεφύκει μὲν αὐτὸς σοφιστὴς καὶ σοφιστῶν λόγους μιμεῖσθαι· ὡς δέ οἱ διαφορὰ ἐς Θεόπομπον γεγόνει τὸν Δαμασιστράτου, γράφει βιβλίον, ἐς Ἀθηναίους καὶ ἐπὶ Λακεδαιμονίοις ὁμοῦ καὶ Θηβαίοις συγγραφὴν λοίδορον· ὡς δὲ ἦν ἐς τὸ ἀκριβέστατον αὐτῷ μεμιμημένα, ἐπιγράψας τοῦ Θεοπόμπου τὸ ὄνομα τῷ βιβλίῳ, διέπεμπεν ἐς τὰς πόλεις· καὶ αὐτός τε συγγεγραφὼς ἦν, καὶ τὸ ἔχθος τὸ ἐς Θεό-

κομπον ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ἐπηύξετο. quae *Pausaniae* verba praetermisisse *Pflugkium* miror: omnem enim de hac re controversiam dirimunt, cavebuntque in posterum, ne saepius Tricaranus pro comoedia habeatur Atheniensique adscribatur Theopompo, quem errorem, ab aliis alibi castigatum, nuper demum repetivit *Edm. Henr. Barkerus ad P. E. Iablonskii* voces Aegypt., primo Londinensis *Stephani* volumini praemissas, p. CCXCI. b. His non minus falli eos, qui Tricarano nostro quicquam commune esse putaverint cum deperdita Aristophanis fabula, *Τριφάλης* inscripta, optime docuit *Suevernius* in libello elegantissimo, quem patrio sermone de *Aristophanis Nubibus* scripsit, p. 63. Majore cum veritatis specie suspicetur aliquis, Triphallum, Naevii comoediam Varronisque satiram Menippeam, a Gellio, Nonio, Charisio passim laudatas, titulum certe ab *Aristophanis Triphalete* mutuatas esse.

Sed quid haec omnia ad Dicaearchi Tripoliticum, a quo profecti huc devenimus? *Aschbachius* quidem l. l. p. 23. hunc et libellum Theopompo suppositum arctissime conjungit, unum eundemque esse dicens fraudemque ab Anaximene ad Dicaearchum transferens, quo perversius quicquam proferri nequibat: multo enim aliter hunc de Lacedaemoniis et sensisse et scripsisse praeter servata ipsius apud Athenaeum verba luculentum nos edocet *Suidae* testimonium, v. *Δικαίαρχος*,

T. I. p. 585. οὗτος ἔγραψε τὴν πολιτείαν Σπαρτιατῶν· καὶ νόμος ἐτέθη ἐν Λακεδαίμονι, καθ' ἕκαστον ἔτος ἀναγινώσκεσθαι τὸν λόγον εἰς τὸ τῶν ἐφόρων ἀρχεῖον, τοὺς δὲ τὴν ἡβητικὴν ἔχοντας ἡλικίαν ἀκροᾶσθαι, καὶ τοῦτο ἐκράτησε μέχρι πολλοῦ. Nobis contrariae fere partes tuendae videntur. Quum ex diserto *Iosephi* testimonio Tricarano Tripolitici quoque nomen inditum fuerit, *Iosephi* vero locus ita sit comparatus, ut maxima ei fides haberi debeat, quin cognomines *Anaximenis* et *Dicaearchi* libelli idem pertractaverint argumentum, haud est quod dubitemus: neque quum aequales exstiterint ambo, exquisitiorum inscriptionum similitudinem alterius ignorantiae aut casui cuidam fortuito adscribere licet. Quid multa? *Dicaearchum*, virum honestissimum, quem Lacedaemoniorum civitati maxime favisse scimus, Atheniensibus et Thebanis succensuisse parum est verisimile, famosis *Anaximenis* calumniis apologiam trium illarum civitatum opposuisse arbitramur, quod ut externa statim libri conformatione significaret, eodem usus est titulo, suum scilicet Tripoliticum in alterius locum quodammodo suffecturus turpemque ejus in perpetuum aboliturus memoriam, quod ei non omnino ex sententia cessisse vidimus. Artificium illud inscriptionis ab adversario repetitae non ab uno *Dicaearcho* adhibitum esse, quicunque aliquam litterarum historiae operam insumpsit, etiam me nihil monente recordabitur.

Haec hactenus: vox *Τριπολιτικός*, ut speramus, sede sua, quam *Athenaeus* et *Iosephus* ei in lexicis Graecis assignant, haud diutius carebit *). Hoc unam addimus, vocabula Latina, quae Graeco *Τρικάρανος* ad amussim respondent, *Tricipitinus*, Lucretiae gentis cognomen, et *Tricipitina*, satirae Menippeae Varronianae inscriptionem, v. *Fabric. bibl. Lat.* T. I. p. 131. *Ern.* illud in plurimis, hoc in omnibus lexicis Latinis aeque desiderari. Ditabitur utroque ut plurimis aliis *Forcellini* thesaurus totius Latinitatis, his ipsis diebus in maximum bonorum studiorum emolumentum egregia tum editoris, tum redemptoris cura apud nos evulgari coeptus.

---

*) cf. *Dindorf. Aristophan.* p. 193 sq.

# IX.

## DE VESTIGIIS CORONARVM MELEAGRI ET PHILIPPI IN ANTHOLOGIA CONSTANTINI CEPHALAE.

---

Vir egregius, cui uni plus debet salutis et ornamenti Anthologia Graeca quam ceteris omnibus, quotquot suavissimo huic Musarum diverticulo aliquam operam tribuerunt, ubi de antiquissimis Epigrammatum collectionibus disserit, ex quibus suam decimo fere post Christum saeculo composuisse videatur Constantinus Cephalas, de *Meleagro Gadarensi*, primo Coronae epigrammaticae conditore, in *animadv. in Epigr. Anth. Graec.* Vol. VI. p. XLII. memoriae tradidit haec: „*Meleagri Coronam quamvis dissolvit et discerpsit Constantinus Cephalas, carminibus secundum argumenta in capita quaedam descriptis, in nova tamen dispositione prior ille ordo* (secundum initiales Epigrammatum litteras) *non ita turbari poterat, ut omnia ejus oblitterarentur vestigia:*

*quin idem elementaris ordo vel in Planudea, in qua tamen longe artificiosior est distributio, in multis locis apparet, ubi Planudes plura simul Epigrammata ex Constantini Anthologia in suam transtulit,*" et paullo inferius, pag. LXXVII. „*ordinis elementaris, quo Epigrammata in Meleagri collectione disposita fuisse constat, in plurimis* (Anthologiae Constantini Cephalae) *locis manifesta reperiuntur vestigia:*" quam sententiam postea repetiit cum in Encyclopaediae universalis doctrinarum et artium ab *Erschio* et *Grubero* edi coeptae T. IV. p. 260. tum in *Delectu Epigrammatum*, p. XII. Neque aliter statuit de Corona *Philippi Thessalonicensis*, ad imitationem Meleagri composita, animadvv. ad *Anthol.* Vol. VI. p. XLIII. „*Iam ex hac imitationis professione merito colligas, Philippum etiam in disponendis carminibus ordinem a Meleagro probatum adoptasse, eamque suspicionem confirmat codex Vaticanus*, (anno MDCCCXV. Palatinae bibliothecae restitutus) *in quo ordinem alphabeticum observatum videmus etiam in illis carminibus, quae non aliunde quam ex Philippi Anthologia desumpta sunt.*" Haec *Iacobsius*, quem recte sequutum videmus *Frid. Schoellium* in *histor. litterar. Graec.* Vol. VI. p. 55. Nunc quae ille pro consilii sui ratione generatim indicasse satis habuit, exemplis illustrare et si forte possimus, ulterius persequi conabimur.

Vestigia Coronarum *Meleagri* et *Philippi* Anthologiae *Constantini Cephalae* etiamnum impressa indagaturo duplex datum est indicium, cujus ope facile perspiciatur, quinam poetae ad utramque Coronam contulerint et quis singulorum poematum pristinus fuerit ordo. E prooemiis enim elegiacis ab utroque collectioni suae praefixis nobisque in quarto Palatinae Anthologiae libro feliciter servatis nomina poetarum, a quibus profecerunt, si non omnium, tamen praestantissimorum cognovimus: et scholiastae ex codice Palatino a *Iacobsio*, *animadvv.* ad *Anthol. Graec.* Vol. VI. p. XLI. editi verba, *ἐποίησε δὲ (ὁ Μελέαγρος) τὸν θαυμάσιον τουτονὶ τῶν ἐπιγραμμάτων στέφανον, συνέταξε δὲ αὐτὸν κατὰ στοιχεῖον*, omnem de ordine, quem sequutus sit *Meleager*, tollunt dubitationem, suoque jure negavit *Iacobsius*, *Philippum*, ceteroquin perpetuum *Meleagri* imitatorem, in hac una re a ducis auctorisque exemplo deflexisse. Vbicunque enim per longius aliquod spatium, quam quod casui tribuere liceat, continuae reperiantur epigrammatum series, quorum scriptoribus aut in *Meleagri* aut in *Philippi* hortulis suum fuisse locum scimus, singulorumque praeterea poematum initia ad ordinem illum, de quo diximus, litteralem adstricta decurrant, ibi haud ambigua nobis alterius Coronae vestigia deprehendisse videremur.

Hinc igitur profecti si ea primum recense-

mus, quae e sertis a *Meleagro* contextis decerpi poterant, id quidem facile largimur, multa ejusmodi epigrammata epigrammatis cum ex *Philippi* Corona, tum ex Agathiae Scholastici Myrinaei Cyclo et aliunde conquisitis permixta esse, quod maxime in initio et in fine singulorum librorum accidisse observavimus, v. c. V, 1—103. 303—309. VI, 1—53. 314—358. VII, 1—363. 666—748. IX, 1—214. 570—827. X, 1—17. 104—126. XI, 1—22. 328—442. nonnunquam etiam in mediis libris, e. g. VI, 173—226. VII, 530—554. 615—621. IX, 339—363. 424—540. *). Neque tamen eorum exiguus est locorum numerus, qui ex elementis magis aequabilibus conflati, antiquorum tantum et a *Meleagro* ipso laudatorum poetarum flores comprehendunt: in horum censum referimus libb. V, 134—215. VI, 109—163. 262—313. VII, 406—529. 646—665. IX, 313—338. 563—569. Alterius tamen indicii, servati litterarum ordinis, duas solummodo neque eas admodum luculentas reliquias investigavimus: exstant utraeque libro VII. *Epigr.* 194—203.

Mnasalcae. *Ἀκρίδα Δημοκρίτου*
Meleagri. *Ἀκρίς, ἐμῶν ἀπάτημα*

---

*) De libb. I. II. III. IV. VIII. XII. XIII. XIV. XV. in tota hac nostra disputatione sermonem esse non posse intelliget, quicunque in veram horum librorum rationem et compositionem paullo accuratius inquisiverit. Nobis igitur non nisi de reliquis libb. V. VI. VII. IX. X. XI. agendum erit.

| | |
|---|---|
| Ejusdem. | *Ἀχήεις τέττιξ* |
| Phaenni. | *Δαμοκρίτῳ μὲν ἐγὼ* |
| Leon. Tar. | *Εἰ μικρός τις ἰδεῖν* |
| Tymnae. | *Ὄρνεον ὦ Χάρισιν* |
| Niciae. | *Οὐκέτι δὴ τανύφυλλον* |
| Pamphili. | *Οὐκέτι δὴ χλωροῖσιν* |
| Anytes. | *Οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρος* |
| Simmiae. | *Οὐκέτ' ἀν' ὑλῆεν* |

et *Epigr.* 264 — 271.

| | |
|---|---|
| Leon. (Tar.) | *Εἴη ποντοπόρῳ* |
| Platonis. | *Ναυηγοῦ τάφος εἰμί.* |
| Leon. (Tar.) | *Ναυηγοῦ τάφος εἰμὶ Δ.* |
| Posidippi. | *Ναυτίλοι, ἐγγὺς ἁλὸς* |
| Platonis. | *Ναυηγόν με δέδορκας* |
| Ejusdem. | *Πλωτῆρες σώζοισθε* |
| Simonidis. | *Τούσδε ποτ' ἐκ Σπάρτας* |
| Callimachi. | *Ὤφελε μηδ' ἐγένοντο* |

quibus si tanti est addere licet VI, 110 — 112.

Reliqua omnia temere mixta adeoque turbata jacent, ut gravis suboriatur dubitatio, ipsone haec ex *Meleagro* hauserit *Constantinus* an ex fonticulis inde derivatis. Nos certe, comparatione cum *Philippo* instituta, negare illud quam affirmare malimus.

At objiciat fortasse quispiam, in iis quoque locis, quos totos ex *Meleagri* copiis traductos esse monuimus, haud pauca poetarum reperiri nomina, quorum in prooemio Coronae praemisso nulla sit mentio facta. His vero rationes nostrae non turbantur. Ipse enim compilator Gadarensis, septem et quadraginta poetis nominatim

recensitis et singulis cum floribus, stirpibus, arboribus eleganter comparatis, in extremo carmine addidit haec:

ἄλλων τ' ἔρνεα πολλὰ νεόγραφα, τοῖς δ' ἅμα Μούσης
καὶ σφετέρης ἔτι που πρώϊμα λευκόϊα.

Quaenam recentior haec exstiterit poetarum suboles, in hunc diem ignorabatur: nunc Anthologiae Palatinae beneficio ex parte saltem indicari posse videtur. Sunt enim ii ipsi, qui praeter nomina in *Meleagri* prooemio diserte laudata in locis ex ejus Corona depromptis inveniuntur: quorum poetarum tres sunt classes.

Primo loco ponimus eos, quorum aetas aut aliunde satis est nota, aut e superstitibus eorum carminibus colligi potest: huc pertinent *Empedocles Agrigentinus*, *Anthol.* IX, 569. inter Olymp. LXXX. et XC., *Antimachus Colophonius*, *Anthol.* IX, 321. circa Olymp. XCV., *Philetas Cous*, *Anthol.* VII, 481. circa Olymp. CXV., *Theocritus*, sive is Syracusanus fuerit poeta, sive Chius rhetor, *Anth.* VII, 658. 659. (quamvis de utroque epigrammate inter *Theocritum* et *Tarentinum Leonidam* fluctuant lemmata.) IX, 338. circa Olymp. CXXX., *Alcaeus Messenius*, *Anth.* VII, 429. inter Olymp. CXL. et CL., *Nicander Colophonius*, *Anth.* VII, 435. 526. circa Olymp. CLV., quorum tempora optime conveniunt cum aetate Meleagri, quem sub ultimo Seleucidarum i. e. post Olymp. CLXX. vixisse constat, v. *Iacobs. animadvv.* in *Anthol.*

Vol. VI. p. 40. Vol. XIII. p. 915., neque quisquam in νεογράφοις ἔρνεσιν offendat: qui enim litteratoribus veterum παλαιοί fuerint, qui νέοι, ex censuris *Dionysii Halicarnassensis* novimus, et hoc quidem sensu carmina post labefactatam Graecarum urbium libertatem composita recens scripta vocari non poterant tantum, sed etiam debebant.

Secundo ordini eos adsignavimus, de quorum aetatibus quum nihil certi constet, historicorum argumentorum defectus conjecturarum probabilitate resarciendus erat. At quum nobis sit persuasissimum, in nullo alio quaestionum genere cautius esse versandum, tres tantum in hunc censum referre ausi sumus poetas, *Aristonem*, *Anth.* VI, 303. 306. VII, 457. felicem Leonidae Tarentini imitatorem, ita ut post Olymp. CXII. floruerit necesse sit, *Theaetetum*, *Anthol.* VII, 444. 499. 727. ab ejusdem nominis Scholastico, Iustinianei aevi versificatore, diversissimum, quem haud ita multo post Olymp. CXX. vixisse verisimile, et *Agin*, *Anth.* VI, 152. famosum illum, ut videtur, *Alexandri Macedonis* adulatorem, *pessimum carminum post Choerilum conditorem*, teste *Curtio*, VIII, 5, 8.

Tertia denique classis eos comprehendit poetas, de quorum vitis ac temporibus omnia incerta, quum neque alii scriptores quicquam de iis tradiderint, neque poemata ipsa ullum aetatis, qua condita sint, vestigium contineant. Sunt vero

hi: *Aristodicus Rhodius*, *Anth.* VII, 473. *Damostratus*, *Anth.* IX, 328. siquidem hujus epigrammatis fuerit auctor, quod ab alio quoque poeta Damostrati nomine compositum esse potest: *Dionysius*, *Anth.* VII, 462. cui paullo infra, VII, 761. *Rhodii* cognomen additur: *Hegemo*, *Anth.* VII, 436., cujus nomen inepta hariolatione sollicitavit *Huschkius* in *anal. crit.* p. 199. *Heracletus*, *Anth.* VII, 465., qui *Iacobsio* in *animadvv.* Vol. XIII. p. 902. ab *Heraclide Sinopensi*, homine haud minus obscuro, diversus esse non videtur, nobis etiam ea de causa refragantibus, quia Heraclides secundae Philippi Coronae potius quam *Meleagro* adscribendus fuerit: *Hermocreo*, *Anth.* IX, 327. *Phalaecus*, *Anth.* VII, 650. fluctuante tamen scriptura inter *Phalaecum* et *Flaccum*, quamvis hoc parum probabile: *Philoxenus*, *Anth.* IX, 319., quem a tragico Cytherio recte distinxit *Iacobs. animadvv.* Vol. XIII. p. 937. *Theodorus*, *Anth.* VI, 282. cum *Theodoro* Proconsule, *Anth.* VII, 556. XI, 198. haud confundendus, sed idem fortasse, cujus sub *Theodoridae* nomine in prooem. v. 53. mentionem fecit *Meleager*,

τήν τε φιλάκρητον ΘΕΟΔΩΡΙΔΕΩ νεοθαλῆ
ἕρπυλλον *).

---

*) Doricam codicis Palatini formam νεοθαλῆ consulto servavi, v. *Iacobsium* ipsum ad *Anthol. Palat.* IX, 313. p. 528. et nostra ad *Parthen. erot.* XIV. p. 62.

Hujus viginti epigrammata Anthologiam Constantini ornant. Neque ut prorsus congruant nomina mutatione opus, quamvis facillime *Θεοδωρίδου* in *Θεοδώρου* depravari potuerit. Dudum enim a Grammaticis, ab *Eustathio* ad *Odyss.* IV, 343. *Schol.* ad *Pind. Pyth.* VI, 4. et ad *Theocr.* VII, 21. observatum est, nomina propria primitiva et patronymica subinde promiscue poni, idoneaque exemplorum copia Grammaticorum notationem firmavimus in prolusione de loco *Propertiano*, *indici lectt. aestiv.* a. MDCCCXXIII. praefixa et a *Seebodio* in *horreo philol.* atque *paedag.* a. MDCCCXXIV. fasc. II. p. 362. repetita. Nihil igitur impedit, quo minus *Theodorum* nostrum illumque *Theodoridem* unum eundemque fuisse hominem statuamus.

Quae quum ita sint, ipse locus, quem in Anthologia sua illorum poetarum lusibus concessit *Constantinus*, fidem facit, haec ipsa *νεόγραφα* esse *Meleagri* *ἔρνεα*, quorum auctores proximis ante eum Olympiadibus floruisse censendum.

Attamen ne ea callide occultasse insimulemur, quae sententiae nostrae quodammodo adversentur, fatendum sane, in iis quoque Anthologiae partibus, quas e *Meleagro* fluxisse contendimus, nonnulla, quamvis perpauca, inveniri, quae huic Coronae inseri haud poterant. Epigrammata scilicet *Antipatri Thessalonicensis*, *Anth.* VII, 409. 413. 493. *Crinagorae*, *Anth.* VI, 161. ac *Philippi Thessalonicensis*, *Anth.*

VI, 114. diu post *Meleagrum* scripta et in secundam ipsius *Philippi* Coronam recentiorum poematum recepta esse, quis nescit? nomina vero *Gaetulici*, *Anthol.* VI, 154. et *Sabini Grammatici*, *Anth.* VI, 158. neque cum terris, quibus vixit *Meleager*, neque cum temporibus, quibus opus suum absolvit, satis convenire videntur: *Nicarchus* denique, *Anth.* VI, 285. IX, 330., quum neque laudetur a *Philippo*, neque in iis locis, quos e *Philippi* Corona depromptos esse statim demonstrabimus, *Nicarchi* legantur epigrammata, non post *Meleagrum* tantum, sed etiam post *Philippum* vixisse censendus est. In *Antipatri* quidem carminibus, VII, 409. 413. 493. in promptu est de permutatione gentilium cogitare, neque dubitavit de ea *Brunckius*, qui in Analectis duobus adeo locum suum inter reliquias *Sidonii Antipatri*, *Ep.* LXXXII. et LXXXIV. concessit: ac profecto digna sunt, quae meliori poetae quam *Thessalonicensi Antipatro* tribuantur. Sed faciamus, huic quoque bis terve risisse Musam, sententiae nostrae summa his exceptionibus non convellitur: at quod suspicati sumus, ipsam *Meleagri* Coronam a *Constantino* haud esse inspectam, sed recentiorem quandam syllogen mutato epigrammatum ordine ex ea factam, non exiguam hinc accipit confirmationem. Ita enim facillime poterat fieri, ut propter aliquam argumenti vel sententiae cognationem interseruerit Palatinae Anthologiae

conditor, quae aliunde congesserat, a quibus interpolationibus forsitan abstinuisset, si priscam illam et genuinam Coronae Gadarensis descriptionem sequi potuisset. Vt igitur in universum adstipulamur *Iacobsio*, exstare in ***Florilegio Cephalae*** majores quasdam particulas, quae a *Meleagro* probabiliter descendant, et quarum sedes indicavimus, ita tamen arctioribus limitibus res est circumscribenda: duobus enim locis exceptis neque ullum primitivi ordinis mansit vestigium, neque quae exstant reliquiae a serioribus additamentis prorsus sunt immunes.

*Philippum Thessalonicensem* eos tantum poetas in collectionem suam recepisse, qui post Coronam a *Meleagro* contextam epigrammatis scribendis operam dederint, ex iis quae de operis sui consilio ac fine in prooemio ipse exposuit, haud est ambiguum, v. *Iacobs. animadvv.* Vol. XIII. p. 850. poetarum, quorum nomina recenset, tredecim nullus saeculi post Christum primi terminos excessit: Meleagri vero exemplum etiam in minutissimis tam anxie imitatus est, ut non modo eandem singulorum scriptorum comparationem cum floribus et arboribus instituerit, sed etiam, potioribus tantum enumeratis, reliquorum nomina in prooemio aeque reticuerit: hinc simillima prooemii clausula,

τοὺς δὲ περισσοὺς
εἴκασον οἷς ἐθέλεις ἄνθεσιν ἀρτιφύτοις.

Ordinem vero *Meleagri* elementarem ***Philippo***

quoque placuisse, quamquam non diserte affirmavit, ex iis, quae jam krmonituri sumus, apparebit.

Vt igitur eadem qua in *Meleagro* via incedamus, eos primum Anthologiae locos circumscribamus, ubi secundae Coronae epigrammata non aliis antiquioribus recentioribusque permixta, sed mera et solidis quasi massis compacta inveniuntur, quod haud paullo frequentius quam in *Meleagro* accidisse videmus: tredecim enim Cephalanae regionibus indubitata eaque partim haud exigua Coronae Thessalonicensis fragmenta agnovimus, libb. V, 104—133. VI, 87—108. 227—261. VII, 364—405. 622—645. IX, 81—89. 215—312. 403—423. 541—562. X, 18—25. 100—103. XI, 23—46. cum 49 et 50., denique 318—327. excepto uno 323.

Contulerunt ad insignem hanc CCCL. epigrammatum congeriem poetae a *Philippo* in prooemio nominati ad unum omnes, praeter *Philippum* ipsum Antigonus Carystius, Antipater Macedo sive Thessalonicensis, Antiphanes Macedo, Antiphilus Byzantius, Automedon Cyzicenus, Bianor Bithynus, Crinagoras, Diodorus Zonas Sardianus, Diodorus Sardianus junior, Evenus grammaticus, Parmenio Macedo, Philodemus Gadarensis et Tullius, utrum Geminus an Laurea non constat. Hos tamen eorum superat numerus, quos uno *τῶν περισσῶν* vocabulo complexus est *Philippus*, siquidem jure eos huc refe-

rimus poetas, quorum carminibus reliquias istas Coronae Thessalonicensis distinctas videmus. Cui opinioni nostrae aliquid roboris adcrescet, simul atque probaverimus, vitas horum scriptorum temporibus inter *Meleagrum* et *Philippum* mediis aut necessario esse assignandas, aut, ubi diserta aetatis indicia desiderentur, certe non repugnare: qua in re mirifice nos adjuvit *Iacobsii* catalogus poetarum epigrammaticorum, tanta cura et eruditione confectus, ut quae antea tricarum fuerint plenissima, nunc plana atque perspicua breviter absolvi queant. Videamus igitur de singulis.

*Adaeus Macedo*, *Anth.* VI, 228. 258. IX, 300. 303. X, 20. idem fortasse, quem inter rhetores sui aevi recenset *M. Seneca*, *Controv.* XXIV. et XXV. extr. *Aemilianus Nicaenus*, *Anth.* IX, 218. incertae aetatis: *Antipater Carystius*, *Anth.* IX, 407. nomen aperte mendosum, sive ex epigrammate praecedente *Antigoni Carystii* idem huc transierit gentile ad *Antipatrum Thessalonicensem*, sive *Antigoni* nomen *Antipatro* substituendum: *Antiphanes Megalopolita*, *Anth.* IX, 258. incertae aetatis: *Antistius*, *Anth.* VI, 237. VII, 366. 544. XI, 40. dubiae aetatis, forsitan Antistius ille Sosianus, quem *factitatis in Neronem probrosis carminibus exsilio multatum esse* tradidit *Tacit. Annal.* XVI, 14. coll. XIII, 28. *Apollonidas*, *Anthol.* VI, 105. 238. 239. VII, 378. 389. 631. 642. IX, 87. 228. 243.

244. 257. 264. 265. 271. 280. 281. 287. 296. 408. 422. X, 18. XI, 25. floruit sub Augusto et Tiberio: ***M. Argentarius***, ***Anthol.*** V, 104. 105. 110. 113. 116. 118. 127. 128. VI, 246. (incertum Philodemine an Argentarii) 248. VII, 364. 374. 384. 395. 403. IX, 221. 229. 246. 270. 286. 554. X, 18. XI, 26. 28. 320. dubiae aetatis: ***Lollius Bassus***, ***Anth.*** V, 125. VII, 572. 386. 391. IX, 236. 279. 289. X, 102. vixit sub Tiberio, idem haud dubie Argentarius, ex quo passim profecit ***M. Seneca*** in ***Controv.*** ***Boethus***, ***Anth.*** IX, 248. fortasse Tarsensis, Augusto concedente ex urbe patria, quam impune expilaverat, ejectus, *κακὸς μὲν ποιητής*, *κακὸς δὲ πολίτης*, teste ***Strab.*** XIV, 4, 14. ***Diocles Carystius***, ***Anth.*** VII, 393. sub Augusto et Tiberio, inter rhetores sui aevi laudatus ***M. Senecae***, ***Suasor.*** II. et ***Controv.*** I. extr. III. extr. V. extr. VIII. extr. XI. extr. XIV. extr. XVI. extr. XXXIV. extr. ***Diotimus Milesius***, ***Anth.*** V, 106. incertae aetatis, sed probe distinguendus ab altero Atheniensi, quem suae Coronae intexuerat ***Meleager:*** ***Epigonus Thessalonicensis***, ***Anth.*** IX, 261. incertae aetatis: ***Erycius Cyzicenus***, ***Anth.*** VI, 96. 234. 255. VII, 368. 377. 397. IX, 233. 237. 558. Augustei ut videtur saeculi: ***Etruscus Messenius***, ***Anth.*** VII, 381. incertae aetatis, quamquam nihil obstat, quo minus eundem eum Etruscum putemus, quem cum filio a Domitiano in exsilium missum esse novimus ex ***Martiale***,

VI, 83. VII, 39. *Heraclides Sinopensis*, *Anth.* VII, 392. incertae aetatis, Diogene tamen Laertio antiquior: *Macedonius Thessalonicensis*, *Anthol.* IX, 275. XI, 27. 39. incertae aetatis, quem cave confundas cum juniore Macedonio, sub Iustiniano cum Paullo Silentiario et Agathia florente, cui titulus τοῦ ὑπάτου adjici solet: *Q. Maecius*, aliquoties, sed perperam, *Maccius* scriptus, *Anth.* V, 114. 117. 130. 133. VI, 80. 230. 233. IX, 249. 403. 411. incertae aetatis: *Mucius Scaevola*, *Anth.* IX, 217. incertae aetatis: *Myrinus*, *Anth.* VI, 108. 254. incertae aetatis, licet elegans in paucis poeta: *Onestes Corinthius*, *Anth.* IX, 216. 225. 230. 250. 292. XI, 32. 45. incertae aetatis: *Philippus Carystius*, *Anth.* VII, 394. nisi idem hic, quod supra in *Antipatro Carystio* observavimus, acciderit, ut ex praecedente *Dioclis Carystii* epigrammate gentile perperam sit additum: *Brunckius* certe in *Anal.* nr. LXXVI. carmen nostrum *Thessalonicensi Philippo*, cujus colorem refert, haud cunctanter tribuit: *Polemo Ponticus*, *Anth.* XI, 38. floruit sub Augusto: *Secundus Tarentinus*, *Anth.* IX, 260. 301. de quo *Brunckius* in *lectt.* p. 237. rectissime: „*quis fuerit et quando scripserit*, *incompertum mihi est: probabile est*, *supparem eum fuisse poetis illis*, *quorum carminibus Philippus Coronam suam nexuit: id suadent epigrammatum argumenta*, *nativus color*, *stilus et viri nomen*, *quod Romanum*

est": *Serapio Alexandrinus*, *Anth.* VII, 400. incertae aetatis: *Thallus Milesius*, *Anth.* VI, 91. 235. VII, 373. IX, 220. Augusti aequalis et ut videtur libertus. De *Tullio Sabino*, *Anth.* IX, 410. nihil jam addimus: hujus enim nomen, in Cephalana corruptum, in Planudea emendatius legitur *Tullius Geminus*, unde verisimile fit, Tullium illum, quem *Philippus* in *prooem.* v. 9. enumerat, non *Lauream* esse, sed *Geminum*.

Vnum obstat *Antipatri Sidonii* nomen, tribus epigrammatis praefixum, *Anth.* VI, 93. VII, 625. et IX, 231. At quum reliqua omnia in nostram sententiam amice conspirent, tria haec carmina ad *Thessalonicensem Antipatrum* referre eo minus dubitandum videtur, quo arctiore vinculo per ordinem litterarum ceteris epigrammatis adstricta sunt, quibus in *Corona Philippi* locum datum fuisse aut certis argumentis scimus, aut probabili facilique conjectura ducti suspicamur.

Etenim quae desiderabamus fere in *Meleagro*, prisci ordinis elementaris non fugientia quaedam vestigia, sed certae atque luculentae reliquiae locis, quos e *Philippi Corona* repetivimus, non hic illic leviter sunt impressa, sed sine ulla interpellatione ita regnant ac dominant, ut duplex, quod ab initio posuimus, indicium ubique conjunctum reperiatur. Iam vide singulas particulas: hunc in iis observabis litterarum initialium decursum: V, 104—133. a littera *A* ad *Ω*, VI, 87—108. a littera *A* ad *Υ*, VI, 227—

261. a littera *A* ad *X*, VII, 364 — 405. a littera *A* ad *Ω*, VII, 622 — 645. a littera *B* ad *Ω*, IX, 81 — 89. e litteris *Λ*, *M*, *N*, IX, 215 — 312. a littera *A* ad *Ω*, IX, 403 — 423. a littera *A* ad *Σ*, IX, 541 — 562. a littera *Θ* ad *Ψ*, X, 18 — 25. a littera *Γ* ad *Φ*, X, 100 — 103. a littera *A* ad *T*, XI, 318 — 327. a littera *A* ad *T*.

Constanti huic regulae unus repugnare videtur locus, XI, 23 — 46., sed videtur tantum: non enim turbatus est alphabeticus epigrammatum ordo, sed inversus: compilator enim, forsitan ut suscepti operis taedium variando leniret, a postica hic Anthologiae Philippi parte exorsus, a littera *Ω*, serie haud magis interrupta, anteriorem versus ad litteram *A* tetendit.

At ne quid dissimulare videamur, duo alii sunt loci, qui majore cum specie contra nos afferri possint: utrumque adscribamus necesse est: alter legitur *Anth.* VI, 239.

| | | |
|---|---|---|
| 236. | Philippi. | *Ἔμβολα χαλκογένεια* |
| 237. | Antistii. | *Ἐνδυτὰ καὶ πλοκάμους* |
| 238. | Apollonidae. | *Εὔφρων οὐ πεδίον* |
| 239. | Ejusdem. | *Σμήνεος ἔκ με ταμὼν* |
| 240. | Philippi. | *Ζηνὸς καὶ Λητοῦς* |
| 241. | Antip. Thess. | *Ἡ κόρυς ἀμφοτέρην* etc. |

alter exstat *Anth.* IX, 410.

| | | |
|---|---|---|
| 407. | Antipatri. | *Δμώϊον Ἱπποκράτευς* |
| 408. | Apollonidae. | *Εἴθε με παντοίοισιν* |
| 409. | Antiphanis. | *Εἴ τινα μὴ τέρπει* |
| 410. | Tullii. | *Σμίνθος, ὁ παντοίης* |

411. Maecii. Ἤλλακτ' ἐξαπίνης
412. Philodemi. Ἤδη καὶ ῥόδον ἐστί etc.

Hic igitur utroque loco, inserta littera *Σ* inter *E* et *H*, elementorum series haud mediocriter est interrupta. Attamen neque in his ab instituto *Philippi* recessit *Constantinus*, sed sive ab ipso, sive ab ejus librario temere mutata est orthographia *Philippi*: hic enim procul dubio priore epigrammate *Ζμήνεος*, posteriore *Ζμίνθος* posuerat, quibus vocum formis a diuturno exilio vindicatis, nihil jam superest, quo quis jure offendatur. *Philippi* vero temporibus scripturam *ZM* pro *ΣM* in his similibusque vocabulis invaluisse gravissimum exstat *Luciani* testimonium, qui in Iudicio vocalium, cap. IX. coram judicibus ita querentem inducit litteram Sigma: ὅτι δὲ ἀνεξίκακόν εἰμι γράμμα, μαρτυρεῖτέ μοι καὶ αὐτοὶ μηδέποτε ἐγκαλέσαντι τῷ ζῆτα σμάραγδον ἀποσπάσαντι καὶ πᾶσαν ἀφελομένῳ τὴν Σμύρναν, ad quae verba dignus est qui conferatur *Tib. Hemsterhusius*. Cum *Luciano* faciunt *Sext. Empir. adv. mathem.* I, 169. πότερον διὰ τοῦ Ζ γραπτέον ἐστὶ τὸ σμίλιον καὶ τὴν σμύρναν ἢ διὰ τοῦ Ζ; et *Eustath.* ad *Iliad. B.* p. 217, 24. Rom. ὅτι δὲ τὸ σμῶδιξ, καθὰ καὶ τὸ σμερδαλέον καὶ σμικρὸν διὰ τοῦ Ζ εἶχον τὴν προφορικὴν ἀρχὴν παλαί ποτε διὰ τὸ παρεοικὸς τοῦ ἤχου, δηλοῦσιν οἱ παλαιοί, ὧν ἐν ῥητορικοῖς λεξικοῖς τοῖς κατὰ στοιχεῖον κεῖται

καὶ ταῦτα ἐν τῷ Ζ, ζμινύη, ὁτὲ τὸ σκαφεῖον, ὁτὲ ἀξινάριον, οἱ δὲ δίκελλαν, καὶ ζβέσαι, τὸ παῦσαι, λῆξαι, κοιμῆσαι, καὶ ζβεννυμενάων αἰγῶν, ληγουσῶν, καὶ ζμῶσαι, τὸ πατάξαι. Αἴλιος δὲ Διονύσιός φησιν, ὅτι ζμικρὸν καὶ σμικρὸν οἱ Ἀττικοί, μικρὸν δὲ Ἴωνες. Οὕτω δὲ γράφουσι καὶ τὸ ζμῆγμα καὶ τὴν ζμινύην, ἣν καὶ αὐτὸς ἀξινάριον λέγει. Ibid. p. 228, 26. Δωρικῶς μέρδω καὶ μετὰ τοῦ ΖΑ ἐπιτατικοῦ κατὰ συγκοπήν, ζμέρδω, κατὰ τοὺς παλαιοὺς γραμματικούς, ἐφ' ὧν καὶ τὸ Ζμύρνα καὶ τὸ ζμικρὸς διὰ τοῦ Ζ κατήρχετο. Conf. *Herodian.* post *Moerid. Piers.* p. 457. et apud *Herm.* p. 305. *Theodos. Gramm.* p. 63, 26. ibique *Goettling.* p. 225. et *Philem. Lex.* p. 234. *Osann.* E recentioribus praeter grammaticos doctissimos *Buttmannum* et *Matthiaeum* accesserunt *Burm.* ad *Ovid. amor.* II, 6, 21. et ad *Petron.* LV. *Ruhnken* ad *Timaei Lex.* p. 233. *Herm. de emend. Graec. gramm. rat.* p. 55. *Broukh.* ad *Propert.* II, 13, 43. *Burm. Sec.* ad *Anthol. Lat.* II, 224. *Raschius* in *Lex. numar.* T. IV, 2. p. 1266. sq. *Io. Henr. Voss.* ad *Tibull.* I, 1, 51. *Spalding.* ad *Quinctil. inst. orat.* X, 4, 4. *coll.* IX, 2, 4. *Interpp. Taciti Annal.* III, 63. IV, 56. *Conr. Schneider. Elementarl. der Lat. Sprache*, T. I. p. 381. et qui ceteris accuratius et copiosius tractavit rem, *Weichertus* in *comm. primae de C. Helvio Cinna* p. 18.

Alta ut solet voce obstrepuit *Vossio* clarissimus vitilitigator Varnensis in sentinae *Tibullianae* T. I. p. 29. jam a *Weicherto* ut par erat explosus.

Vnum tantum inter tot epigrammata a *Constantino* propter similitudinem argumenti aliunde illatum est in has *Philippi* reliquias, carmen *Palladae Alexandrini*, *Anthol.* XI, 323. Sed recentioris poetae nomen et violatus litterarum ordo interpolationem *Constantini* statim produnt. En epigrammatum seriem:

| | | |
|---|---|---|
| 320. | Argentarii. | Ἀντιγόνην ἔστεργε |
| 321. | Philippi. | Γραμματικοὶ Μώμου |
| 322. | Antiphanis. | Γραμματικῶν περίεργα |
| 323. | [ Palladae. | Ῥῶ καὶ λάμβδα μόνον ] |
| 324. | Automedontis. | Δέξαι, Φοῖβε, τὸ δεῖπνον |
| 325. | Ejusdem. | Ἐχθὲς δειπνήσας etc. |

Quae exceptio a regula ita est comparata, ut regulam ipsam non infirmet, sed fulciat. Vix igitur dubium esse potest, quin *Constantinus Cephalas* ipsam adhuc *Philippi Coronam* oculis usurpaverit, manibus triverit, et ita in ea exscribenda sit versatus, ut, quae ad singula novae Anthologiae capita pertinerent, eodem prorsus repetiverit ordine, quo apud *Philippum* invenisset epigrammata.

Iam erunt fortasse, qui quaerant, quaenam ex his in antiquitatis studium redundare possit utilitas, ignari scilicet, in quaestionibus historici generis non prius quam utilis res sit, sed quam

vera interrogandum esse. Paucis tamen respondebimus. Siquidem recte instituimus quaestionem, *Coronarum Meleagri* et *Philippi* accuratiorem inde et pleniorem adsequuti sumus cognitionem: multorum epigrammatum incertorum aetatem arctioribus finibus circumscribere licebit, ita ut *Epigr.* V, 135. 142. 168. 200. 201. 205. VI, 130. 280. 283. 284. VII, 416. 431. 449. 474. 482. 483. 494. IX, 317. 325. necessario ante *Meleagrum*, *Epigr.* VI, 87. VII, 626. IX, 252. 547. 553. duobus illis inter *Meleagrum* et *Philippum* saeculis scripta esse debeant: lis illa, ut videbatur inextricabilis, de carminibus poetarum homonymorum, ubi gentile non additum, *inter* auctores suos recte dispertiendis, multis *in locis* componitur, nam quum *Antipater Sidonius* ad *Coronam Meleagri*, *Thessalonicensis* ad *Coronam Philippi* contulerit, haud licet dubitare, quin *Epigr.* VI, 109. 111. 115. 118. 276. 287. 291. VII, 427. 464. 467. 472. 498. IX, 323. 567. *Sidonio*, *Epigr.* V, 109. VI, 241. 249. 256. VII, 367. 369. 390. 398. 402. 629. 637. 639. 640. IX, 238. 241. 266. 297. 302. 305. 309. 408. 417. 418. 420. 541. 550. 552. 557. X, 25. XI, 23. 24. 31. 37. Thessalonicensi poetae adscribenda sint, et quum *Leonidas Tarentinus* ad *Gadarensem Anthologiam*, *Alexandrinus* ad neutram pertinuerit, *Epigr.* VI, 129. 131. 262. 263. 281. 286. 288. 289. 293. 296.

298. 300. 302. 305. 309. VII, 408. 452. 455. 463. 466. 478. 480. 503. 504. 506. 662. 663. 664. 665. IX, 318. 563. non alium quam *Tarentinum Leonidam* auctorem habere possunt.

Sed haec nunc indigitasse sufficiat. Alio fortasse tempore dabitur otium, quae breviter significavimus, additis in Cyclum *Agathiae* observationibus nostris, accuratius pertractandi.

# X.

# NOTITIA DE ANTHOLOGIO ORIONIS THEBANI.

---

Non libros tantum aut libellos, sed integras interdum litteraturae classes atque provincias fata sua habuisse, nisi experientia cotidiana extra dubitationem poneret, humanae tamen *mentis* indoles et natura credibile redderent. Ita, ut unum ex historia poesis Graecae afferamus exemplum, Epigramma dudum ignotum neglectumque jacuit, jaceretque fortasse etiamnum, nisi e tenebris evocasset ***Brunckius***, uberrima ingenii luce collustrasset ***Frid. Iacobsius.*** Hic enim et dispersa hinc illinc poemata in unum conferendo et innumeras fere singulorum locorum corruptelas feliciter emendando et interpretationis difficultates ingeniose docteque removendo, historiam denique poetarum epigrammaticorum et ipsius Epigrammatis ejusque collectionum antiquarum concinnando, ita elaboravit in corpore elegantissimo, ut unus homo universam fere rem confecisse, nobisque praeter spicilegiorum minutias nihil reliquisse videatur.

Tali supplemento perexiguo quidem; neque tamen prorsus inutili, augere juvat Anthologiarum historiam, quam in limine Delectus Epigrammatum posuit vir egregius. Quae enim hic de antiquissimis Florilegiorum conditoribus, *Meleagro Gadarensi*, *Philippo Thessalonicensi* et *Agathia Myrinaeo*, eleganter et copiose disputata sunt, uno fortasse neque ignobili compilatoris nomine locupletari poterunt. In *Suidae* certe lexico, v. Ὠρίων, T. II. p. 767. *Kust.* leguntur haec:

Ὠρίων, Θηβαῖος τῆς Αἰγύπτου, συναγωγὴν γνωμῶν ἤγουν ἀνθολόγιον, πρὸς Εὐδοκίαν τὴν βασιλέως γυναῖκα Θεοδοσίου τοῦ μικροῦ, βιβλία τρία.

Ὠρίων, Ἀλεξανδρεύς, γραμματικός, ἀνθολόγιον, Ἀττικῶν λέξεων συναγωγήν, περὶ ἐτυμολογίας, ἐγκώμιον Ἀδριανοῦ τοῦ Καίσαρος.

Recte in his lexicographus distinxit personas *Alexandrini* et *Thebani Orionis*, quorum ille trium fere saeculorum spatio ab hoc distat. *Alexandrinum* enim grammaticum encomium *Adriani* aut superstite imperatore composuisse aut nuper demum defuncto, res ipsa evincit. *Thebanum* vero *Theodosii* secundi temporibus, saeculo quinto medio assignandum esse, Florilegii ostendit dedicatio: anno enim quadringentesimo quadragesimo oppressa est Athenaïs illa Eudocia, ut serius certe de dedicatione non sit cogitandum: quae non satis distinxit *Fabric. bibl. Graec.* T. VI. p. 347. *Harl.*

Minus accurata librorum singulis tribuendorum est enumeratio: opus enim de etymologia, quod est Thebani, Alexandrini fecit *Suidas*, hoc nomine jure reprehensus a *Petro. Henr.* [*Larchero*, quem vide in Etymologici editione a *Frid. Guil. Sturzio* curata, p. 1. 2. Anthologium vero utrique assignatum videmus, quamvis hoc aliquam excusationem admittat: poterant enim ambo, ut in iisdem studiis grammaticis erant occupati, ejusdem argumenti libros evulgare iisdemque inscriptionibus uti. Longe tamen est verisimilius, homonymia sicuti in aliis nominibus propriis ita in hoc quoque effectum esse, ut errore quodam ad utrumque sit translatum, quod vere de uno tantum dicendum fuerit. Hic unus qui fuerit, ambigi nequit: Thebanum enim Florilegii auctorem fuisse, copiosior jam et accuratior tituli index abunde docet: eo magis in altero jejuna notitiae brevitas offendit, et interpolationis suspicionem firmat. Lapsus est *Frid. Schoellius* in *hist. litt. Graec.* T. VI. p. 276. Anthologium ineditum idem esse opus existimans quod Etymologicum editum, propagavitque errorem interpres Germanicus, T. III. p. 288.

Illud igitur *Thebani Orionis* Florilegium medium quasi locum sibi vindicaret inter Anthologias *Philippi* et *Agathiae*. Sed manet dubitatio quaedam de argumento, ex ipso libri titulo nata: non enim Anthologiam opus suum inscripsit *Orion*, sed Anthologium. Et vocabulo

utrique natura quidem sua et compositione nulla prorsus inest differentia: usu tamen linguae temporumque progressu poterat inferri, quod ut statuamus suadere videtur res.

Anthologias variorum poetarum minora carmina integra complexas esse, constat inter omnes: de Anthologiorum ratione et indole omnia forent incerta, — nam *Diogeniani Heracleotae* Anthologium, de quo videndus *Suidas*, v. *Διογενιανός*, T. I. p. 591. *Kust.* haud magis aetatem tulit, — nisi felici casu praestantissimum ejusmodi opus, *Ioannis Stobaei* Anthologium s. Florilegium nobis esset servatum: in quo neque poematum integritas requiritur, neque certum quoddam carminum genus, neque omnino poesis: nam maxima plane Florilegii *Stobaeani* pars ex scriptoribus orationis pedestris congestum est, quamquam fragmenta poetica loco ubique sunt priora. Eundem fere morem ab Orione servatum esse ex duplice, quam *Suidas* laudat, titulo colligere licet: *συναγωγὴ γνωμῶν ἤγουν Ἀνθολόγιον*. Hinc probabile fit, Anthologium *Orionis* a Florilegio *Stobaei* haud admodum diversum fuisse, et quum certissimum sit, illum *Stobaeo* nisi vetustiorem, certe aequalem exstitisse, quantivis pretii habendum esse *Orionis* opus in aperto est. Sed quomodo farrago locorum a docto grammatico ex plurimis haud dubie scriptoribus congesta per tres libros fuerit disposita, ne conjectura quidem assequi licet.

Huic nostrae ignorationi ex insperato succursurum videbatur inventum Varsaviae factum. *Ludovicus* enim *Chiarinus*, professor Varsaviensis celeberrimus, dum bibliothecam instructissimam viri cujusdam principis meo rogatu perlustraret, vidit inter alios libros manu exaratos nostri Florilegii exemplar, hac quidem inscriptione: *Ὠρίωνος Θηβαίου Ἀνθολόγιον πρὸς Εὐδοκίαν, βιβλία γ', κατὰ στοιχεῖα.* Postrema verba ad elementarem litterarum ordinem referenda sunt, quem *Meleager* quoque et *Philippus* sequuti erant, v. *Iacobs. proleg.* ad *Anthol.* T. I. p. XLII. et quae nos in *prooem.* ad *lect. aestiv.* anni 1827. disputavimus: hunc igitur *Orionem* quoque tenuisse, unum est quod hactenus ex codice Varsaviensi didicimus. Addidit *Chiarinus* speciminis promissionem, integri apographi spem: quorum si unum alterumve pervenerit ad nos, redibimus ad librum, cujus nunc nihil nisi brevem notitiam dare licuit *).

---

*) Neque speciminis promissionem neque integri apographi spem praestiterat *Chiarinus*, quum diem obiret *Passovius*.

ED.

# XI.

## VARIAE LECTIONES IN OPPIANI HALIEVTICA E CODICE PRAGENSI ENOTATAE.

---

Quum octo fere abhinc annos, peragratis Silesiae montibus, in subjacentes Bohemiae planities descenderem Pragamque adirem, id eo maxime feci consilio, ut experirer, ecquid novum aut memorabile vetustissimum illud Musarum domicilium antiquitatis scrutatori suppeditaret. Sed aliquanto infra spem fuit eventus. Et de splendido quidem Praemonstratensium coenobio Strahof in colle Sion quod dicam non habeo: bibliothecae enim custos peregre forte abierat, nec quicquam praeter parietes et lacunaria auro coloribusque obruta mirari licebat. At vero in bibliotheca Caesarea codices manuscriptos non inspicere tantum, sed accuratius quoque examinare petenti mihi facile concessit egregius senex, *Franciscus Posselt*, qui alienissimus a morositate Cerberorum quorundam, inexhaustis doctrinae fontibus incubantium, quorum mores *Carol. Guil. Goettlingius* in praefa-

tionis ad *Theodosium grammaticum* primum a se editum p. XVIII. festive adumbravit, pari humanitatis et eruditionis laude vasto illi librorum thesauro praefectus est.

Sed neque multos inveni codices, neque rara antiquitate commendatos, nonnullos tamen probae notae criticaeque utilitatis haud expertes, inter quos eminebant *Florus* et *Plinius* uterque, ex quibus salubrem nuper operam his auctoribus navavit *Franc. Nic. Titzii* diligentia. Prae ceteris vero adlexit me unicus qui aderat codex Graecus, *Oppiani Halieuticorum* librum primum et secundum continens, e monasterio quodam Crumlaviensi a. 1783. in bibliothecam Pragensem translatus, chartaceus quidem, nec ultra seculi XIV. initium adscendens, sed exquisitioribus nonnullis lectionibus insignis. Hunc igitur, *Posselto* annuente, ad primam *Io. Gottl. Schneideri* recensionem, Argentorati a. 1776. sub *Brunckii* auspiciis editam, horis subsecivis summa usus religione excussi. Collationem Vratislaviam redux *Schneidero* describendam dedi, qui paulo ante novam *Cilicis* poetae recensionem absolverat, tunc vero alterum suae editionis volumen parabat. Quarum vero curarum secundarum seu potius tertiarum spes quum jam ante *Schneideri* obitum variis de causis plane esset abjicienda, mecum reputans quam anceps quamque incerta scidularum esset fortuna, quae olim Pragae enotavi ea nunc futuris *Oppiani* sospitatoribus haud diutius

invidere, et hac ipsa scribendi opportunitate oblata depromere constitui.

Praefixum est *Oppiano* epigramma ex *Anthologia Planudea*, IV. 311. a *Brunckio* inter *adesp.* 581. *Analectorum* volumini III. p. 273. a *Frid. Iacobsio Anthologiae Palatinae* T. II. p. 720. insertum, absque ulla lectionis varietate, nisi quod *Oppiani* nomen hic ut in ipsa libri inscriptione asperatum sit: quem *Hoppianum* haud secus atque *Colluthum*, a *Frid. Aug. Wernickio* ad *Tryphiodori* v. 1. p. 37. e fonticulis haud limpidioribus nobis propinatum, librariorum ineptiae relinquendum esse censemus.

## LIBER I.

Ὀππιανοῦ ἁλιευτικῶν πρῶτον. V. 1. ἤχιθ᾽ ἕκαστα 5. γαμοὺς 8. ὅσσα τε φ. 9. ἀφάστοις 10. καταδέδρακον, et ἐπίοπτα omissum. 14. δαμάσαι 21. ἄγκεα πέτρης 24. ἀέναι 25. ποῖαι τὶ χθ. 26. εὔδυιον — δῶρα πάσασθαι 29. οἰωνοῖσι 30. ὑπόψιος 31. ἐληΐσαντο 32. ὑπέσπασαν ἰξοφόροισι 33. τανυπλέκτοισι ἐν σάκασιν, superscripto ἕργμασιν, quod rursus ab eadem manu in vulg. ἕρκεσιν mutatum. 35. τλῆσι πόνοις δ᾽ ἁλιεῦσι 36. σταθερὰ — ἠΰτε ὄ. 38. ἀλλὰ χαλασπῶ, correptum in χαλεπῷ. 40. 41. transpositi. 42. οἴδμασι 43. ἀεὶ μ. ν. ἠοιδέα 45. οὐδ᾽ ἐστὶν ὄμβροις, corr. in ὄμβρον. 47. πρὸς δὲ τὶ 49. ἄδυτα περόωσιν 51. ἀείδηλα 52. εἰςορόωσι 53. ἵσταται ἰχθύς 56. εἰ καὶ

*θέλησθα*, corr. in *εἴ κε θ.* 59. *κώπησι ἐπειγομένως ἐλόωσι τοῖσι ἀλλός*, superscr. *ἐπειγομένησι*. Praeterea margini adscripta sunt haec: *αἴζηοὶ φορέουσιν ἐπειγομένης ἐλάτησιν* 60. *πρύμησιν* 61. *ἀμεμφέα*, corr. in *ἀστεμφέα*. 64. *αἰεὶ κομέουσ' ἐ.* 68. *ὁρμὴν* 71. *πολλοὶ* 72. *παλόμενον καὶ ἑλισσόμενον* 73. *ἄλλα μ. ἡλικίης μ. ἁ. πόρου ἐμβ.* 78. *πότνια θεὰ* 79. *θυμύῤη τὰ δὲ δ.* 81. *ἐκφέρεται πλώοντα* 82. *ἀφίκετο* 83. *ὀργυιέων ἄ. μάλλιστα* 86. *ἀειδέα* 88. *ἀλκῆ*, sed corr. in vulg. *ἄλμην*. 89. *οὐδ' ἔ.* 93. *ἰχθύσι γὰρ — πορὸς* 94. *οὐδ' ἔτι* 96. *ὅσ'* abest. 97. *τε* ante *θοοὶ* abest. 98. *κιθαρὶς* 99. *τροχούρω — βούγλωσσοι*

100. *ἀβλιχραὶ καὶ μῦρος* 104. *τ'* omissum. 105. *ψῆται καὶ κλαρίαι* 107. *πρασσώεσαν ὑ. χλοραῖς* 108. *μηνίδες ἠδὲ τρ.* 109. *βλένος ἠδὲ σκάρος* 110. *ὅσσοις* 112. *λαύρακες, ταμίαι* 119. *λαύραξ* 123. *περὶ δέμνια* 124. *καὶ* excidit, et *χάνοι* 126. *κίγχλαι — ἄσθ' ἁ.* 128. *ἄ. δὲ χθ. ψ. εἰσὶ θ.* 129. vulg. *κίῤῥις* in contextu, sed superscr. *κίῤῥοι* et *σκίῤῥις*, mox *βασιλίσκος* 113. *χροΐ* 134. vulg. *ἀναύδοις* mutatum in *ἄναυδος*. 135. *ἐδωτὴν* 137. *ἀναπτύων* 144. *σπερέουσι* 145. *βένθεσιν*. 146. *φωλέοις* 148. *εἰλεῦτε τῷ κ.* 149. *πετάσει* 151. *ἐν καὶ ὄνος κείνοις ἐναρίθμιος* 154. *ἄησιν* 155. *ἁλικλύστησι* 160. *βράχη* 161. *χαλεπῆς* 162. *ῥοθίοις* 165. *τῶν ὅντιν' ἐςαθρήσει* 168. *ψαμάθοισιν* 169. *ἀγλαΐη, — οἱ δὲ δρ.* 172. *ῥ. τ' ἐπὶ τῆσιν*

173. κουβοί τε κυβηστῆρες ἔασιν 175. κατ' ἀνδράσιν 176. in margine addita habet haec: οὗτοι τόσσοι παιρέοντες ἐπιστερεοὶ δὲ μάλλιστα 177. bis scriptus semel habet πυκνοῖσι, semel πικροῖσι. 179. ἔχουσιν 180. εἰσὶν deest. 181. θύνοι. 183. πρηνάδες 184. σκολιαὶ — ἱππούρια κέλευθα 187. ἐπεφήμησαν 188. πεποιθότες 189. ἕπονται 191. τ' omissum: mox πρημναῖα 193. κείνους — δέσμων 195. ἀναγκαίῃσιν ἕπεσθαι 196. ἐγείρει 198. θαλοῖσιν ἰοστέπτοισι (mutatum in νεοστέπτοισι) κομόωντα

201. vulg. lect. ab emendatoris manu mutata in εὐερκῶν. 209. ναυτιλίης τετιημένε 211. στέλλεις 216. ἴκελον αἴχμη 220. πείθεσθαι 228. ἐπημύει 229. ἐπεγγομένῃ πρήμνῃ δ' ἐνὶ, superscr. ἐπί. 233. μίμνει ἔτ' οὐκ ἐ. 234. μετὰ στ. 237. λαιψηρὰ 247. ξενίην 252. περὶ πάντων 259. vulg. lect. mutata est in δοίοι et χιτῶσιν. 263. δ' αὖ 265. ἐρύσας 268. ἱκέσθαι 273. ἠδὲ 274. ἔνθα γένοντο 278. φύξιν ἀπὸ πάτρης τελέσῃ 282. ἔχουσιν 286. φάσσονται 291. οὔ τευ 297. μελέεσσιν ἔον 298. ὡς δ' ὅταν ἰ. 299. ἀπόσπαστον

301. τυτθὰ corr. in τυκθὰ. 302. βίας pro δύας. 305. ἐν αὔλοις, sed corr. in vulg. 306. πολύποδες — σκορδύλος 308. ἀγριώτης 311. γλυκερῶν 313. ἄλλα δὲ φ. 314. φύονται 315. στρόμμων 317. ὀκρυόεντες ἐχῖναι 319. συμφύες τε πάλιν, ζωοί τε ν. 320. αὐταῖσιν ἐπ' ὄστρ. 322. ἐπιμηχανόονται 327. καὶ ἐκ-

κτήσαντο μέληθρον 329. prius τι omissum. 333. λυποῦσα 337. κρείσσων — ἀμφέθεθ᾽ αὔτή. 339. πολυπ. — καλέουσιν 341. ψαμάθους — ἐπ᾽ ὕδωρ 343. ὅταν ἁπλώσῃ 347. δὲ 351. ἐπιστρέψας, corr. in vulg. 352. οἴακας 353. δὲ — ὁρμὴ 354. vulg. mutata in εὕρετο. 358. πετάσας 359. χαλ. νηῶν 363. ἐπιστρέφεται 364. vulg. corr. in περιωγαί. 366. ἀπολείπονται 367. χρύσεις τε λ. 368. ἰθυντῆρες 369. μελανθύνων 370. πρίστις 371. μαλακοῖσιν 373. κύνεσσιν 374. γενεῇ — πελάγεσσιν 375. λοιγαλέοισιν ἀρίθμιον 378. ἐπώνυμον 380. λεῖαι 381. ῥινοὶ 382. scriptum fuerat φορβῆντε, quod eadem manus in μορφῇ τε mutavit: mox δὲ νέμ. 383. δελφῖνες ἀκταῖσι π. 384. πελάγει 388. δώμασι 390. τ᾽ ἐδάμασεν 391. βασίλειαν ἁλὸς παρακοίτην ἔθηκεν 393. κλήρῳ δὲ σφ.

404. μὴν excidit. 406. θαλάσσης 409. ἔς σε δὲ — ἐῤῥίζωται 420. ἀνελίσσατ᾽ ἀμείβην 421. γενέθλης 435. αὖ τῆς 439. ἁλιπλάκτοιο 445. ἐνοικείῃσι μένουσιν 450. πτερύγεσσιν 452. βάθιστα 453. βύσσαν 454. οὔτι λ. 459. ἀναπνεύσει 461. ἄλλος 469. χοροιτυπίῃσι γ. 470. πόρους, sed corr. in vulg. 472. θρώσκουσιν ἀΐσσουσιν χοροιτυπίῃσιν ὁ. 473 — 476. omissi, sed margini adscripti. 474. ἡβώουσι καί τ᾽ ἀ. 479. αἱ δὲ τ. 486. ἐπιχθονίῃσι 495. στομάτεσσιν 496. λάμπτουσι pro κάπτουσι. 497. ἐπ᾽ ἰ. 498. ἔχουσιν

501. κῶμον ἐγείρει 503. νύμφης 505. τά

τ' ἰ. 516. ἐπ' ἀλλήλοισι 519. ψ. δὲ κ. ἠδὲ μ. 523. ἐφήμερος 526. οὐχ ὑποεικτόν 527. πολυγνάπτοισι 528. ἀλλήλοις — ἀντήσωσιν 529. ἀέκουσαν 530. εὐνὴν 533. κυσίν 537. συμφέρονται 540. αὐτὸς δ' ἐν 541. ἀντήσωσιν 543. πάρος abest. 548. τοῖσιν 553. αἰνοτάτοισι γ. 557. λύσσης 559. ὄφις 562. ἀντήσειε 564. κ. ἐς φιλ. — ἐπάκουσε κελαινὴν 569. καρὴν 570. ἐπιγηθήσαντε 576. μοῖρα 578. ἐγένετο 582. προφανὲν 587. τοῖς δ' ἆρα φθ. 589. δίσσ' ἄχθεται 590. τριγόνησιν 591. σκ. δ' αὖ 597. ἕκηλοι 598. ὁρμώονται 599. τέκνα τέκοιεν

600. γλυκερώτατος 606. οὐ δέ οἱ οὔτε κῆτος ἀ. οὔγε 613. πολὸν ἐπισπέρχουσι ν. 616. καὶ ἄψ 617. βοόσπορον 619. πόρον Ἀμφ. 620. τε excidit. 624. τῆσι δ' ἀνιπταμένοισι 630. vulg. corr. in παραστείχωσιν. 636. ὑποστροφάδην 637. σκίδνανται 640. λέπισιν 645. γενεῆς 658. παισὶν 661. θήσεσθαι 664. κουρίζουσι 665. κατάρχεται, sed corr. in vulg. 670. τόδε 689. ἀνεχομένη 691. αὐτῇ ἐπὶ τρ. 696. πανημερίη

700. κείνης 703. γλυκύτερα 705. ὠμηστῆρσιν 706. παισὶν 709. ἐνόησεν 713. θράσος 714. ἐρυκόμενος 715. ἀναβάλλεται 716. οὔτοι μ. 722. οὐδέ τιν' ἀνδρῶν 724. ἀσχαλόωσι 725. στονάχουσιν 727. ἕλκυεν 731. ἐξ εὐνῆς οἱ φ. 732. ἰχθύσιν αὖ 734. ἀλιπλάκτοιο 737. ἐπὶ λ. 741. ἂν πνεύσουσι 743. ἐς ν. κείνη 744. ἀλλ' ἄρα οἱ πλ. 746. τοῖσιν

752. ἐπωάδιοι 753. ἴδοι 754. κατὰ στόμα 756. ἔλπομ' ἰ. 758. τέκησιν ἑὴν ὠδῖνα β. 760. ἢ κατὰ τέκνα 762. γονῇσιν 764. τάδ' ἰ. 766. ἄρσενος 769. ἐν ν. — ἀφύξει 771. μ. δίνησιν ἅμα πλήθησι ϑ. 774. ἔκ τε φάν. 776. αὐδώονται 787. βιότοιο τέτυκται 788. ἐφέπωσιν 789. ἠὲν ὅπου π.

Ὀππιανοῦ ἁλιευτικῶν τοῦ πρώτου τέλος.

## LIBER II.

Ὀππιανοῦ ἁλιευτικῶν δεύτερον. ἔστι δὲ περὶ βουλῆς κερδαλέης ἰχθύων. τὰ δὲ κεφάλαια εἰσὶ ταδέ· περὶ νάρκης, περὶ βατράχου, περὶ σηπίας, περὶ καρίδος, περὶ λαύρακος, περὶ βοός, περὶ καρκινοῦ, περὶ πίννης, περὶ ἡμεροκοίτου, ὃ καὶ νυκτερὸς καλεῖται, περὶ ἐχίνου, περὶ πολύποδος, περὶ καράβου, περὶ μυραίνης, περὶ σμυραίνης, περὶ σκολοπένδρας, περὶ ἰουλίδος, περὶ κωβίου, περὶ θύννης, περὶ δελφίνος, περὶ καστρέως, περὶ σκάρου.

V. 1. ἰχθύβοται 13. εἴ κ' ἐϑ. — ὄςκε σ. 16. ἐπιφρ. ἐδίδαξαν 21. μέλαθρον 23. ἐπιχθονίοις 32. ἀγρονόμοισιν — ποταμοῖσιν 39. εὔδωρον 53. φύεται ἐκ μ. 62. ἀλκῇ 63. πλευρὴν 66. οὐδέ τι 67. παρείεται 69. ἐγκλίνασα 70. οἵη 72. ἀδρανίῃ βαρὺν 74. γηθοσύνῃ 82. οἰομένοιο φ. 83. κραδίῃ 96. ἐπὶ στόμα 97. ὀΐσσάμενοι 99. ὄρνισιν ἐρείδων

100. δόμου 101. ἐπεστήριξε 105. ἀπέσπασεν 107. ἐντείνεσθαι 109. ἀγκλιθεῖσα

110. ἐπημύει 119. ὁρμήσασα 121. ἐκ δ' ἄρα οἱ 124. εἰλυσθεῖσα 125. θύῃ 126. ναῦς 128. ἴσαις — ἀλκὴν 130. λαυροσύνῃσιν 131. ἰθύνουσι 143. τέτυκται 144. βίῃ 149. ἀνθρ. μέγα τέρα 157. ἔστησεν — δόλον ὁρμ. 160. γλαφυρὸν σκέπας 165. τεθνειῶτα 166. ἔδων, sed corr. in vulg. 167. διεροῖσιν ὑπὸ πλ. 171. θυράων 173. πετραίῃσιν 176. λάθρα 181. ἑρπηστῆρες 183. φέρουσι 187. πίννῃ ν. κεκλειμένος 189. ξοίνοντες δόμον 190. φ. δέ μιν 194. συμπατάγησε 195. ξ. δ' ἅμα δ. ἕλοντο. 196. ἔασιν.

200. περὶ π. 201. μὲν abest. 202. ἐπ' ὀφθ. 204. ἀνέρχεται 207. ἢ ἔτι 208. λύσσαν ἀεὶ β. 211. αὐτὸς δὲ πρ. 213. ἀειμάργοιο corr. in ἀτεκμάρτοιο 220. ἔχοι δ' ἐπὶ μ. 228. σφετέρῃσι δ' ἀ. 229. φορέοιεν mutatum in φορέουσιν. 231. κυλίσσῃ 232. ἔμμεν ἅ. 233. ὁμοίῃσιν 234. σπείραις 236. περιπλάγξαντες 237. ἀντιβολήσει 240. χροιὴν ἠλλάξαντο, superscr. φορβὴν 247. βλοσυροῖσιν 248. χειμερίνῃν 250. ἄπιστον, sed corr. in vulg. 254. σμύραινά τε 257. ἐπλήσατο 258. ἁλιμυρέης 259. σμύραινα 262. γηθοσύνῃ 264. σμύραιναν 266. ἐπέρεισε 268. ἄλλοτε δ' ἄλλας 269. στερεῇσιν ἰ. 271. ἠδ' ἀλεωρή 273. σμύραινα δ. ἠέπερ 275. αὖτις 278. vulg. corr. in ἀναφαίνονται 284. ὀξυτέρῃσιν. 286. ἔτ' abest. 287. ἄλλα δ' ἔτ' ἀσπ. 288. ποιφύσσοντα 292. δάπτει δ' ἐ. 299. ἀλλ' οὐ σμυραίνης

302. ἐφέζεται 304. σμύραιναν 306. ἥν σε

308. ἐνιπλήσασα. 314. δορικτήτων 321. σμύραιναν 324. σμύραινα 328. καρτύνων. 329. εἰς μόθον ἐλθεῖν, pro ὅς κ' ἐθέλησιν, e v. 325. 330. ἀντιόων 331. σμυραίνης 332. μελαινῆς 340. δολιχῆσιν 345. πάντα 347. ἐν δὲ πάγη 352. ῥοίζησιν 357. σμύραιναν 362. ἑρπηστῆρα 363. προβολῆσιν 365. θύρων 366. ἰοτόκοισι περισπέρχει 370. vulg. corr. in ὀλοοίτριχος. 373. vulg. corr. in χαίταις. 381. γόμφ. ἀτεκμάρτοισιν ἀ. 382. θάνοι 384. δειλὸς 385. ἑρπηστῆρος 387. σμύραινα 390. vulg. corr. in νωθὸς.

400. προβολῆσιν 402. τεθνειῶτα 405. ἐρύων γλυκερὸν γ. 415. κλίνεν 416. ἤματα 417. ἄγραν 423. ἰός τ' ἐντρέφεται 425. ἀλλά οἱ ἄτην 427. ὑπὸ χρ. 431. ἐμπελάειν — ἐπιψαύσειεν ἐλύτρου 433. οἱ deest: statim post ἀπεχθέα 436. δυςπαθέες 437. ἀθρήσουσιν 446. ἐναλίγκιαι 448. ἀμφιέπονται 449. ἀκρίτοισι 452. ξανθὸν 453. ἐν abest. 454. οὐ μὲν θὴν αὐληχρὸν 455. ἑρπηστὴρ 463. ἐγκαθέστηκεν 467. ὀκρυόεσσαν 469. ζαμενής τε βίη πυρ. 472. ξιφίης — τρυγὼν 479. τελέσειας corr. in τελέσειε. 489. πελάσσει 494. κατὰ δ' ἐῤῥέει 496. αὖον οὐτιδ.

504. μοχθήσαντα 514. παιφύσσουσι 522. βοὸς λ. 528. ἐπίζεσει 530. πάντη — πάντα 534. ἔξοχοι 540. θήρεσσιν ἐν ὠμηστῆρσι λ. 541. ἑρπηστῆσι 545. ἅλματα πολλὰ 546. ἰθύσουσι 551. εἰλυμένων — ὄφρ' ἐθέλησιν 557.

αὐληχραὶ — λάβροι 563. ὡς 566. ἄλλοθεν ἄλλην 567. δαῖτα τίθησιν 568. περιστέψουσι 569. κυκλώσονται 570. ἐπὶ φρ. 576. πλευρῆς διδρ. 579. ὑπένερθεν 581. ἠδ᾽ αὐχ 586. κυβιστητῆρι κυδοιμῷ 588. ἀκταῖς 589. ὑπεκθρώσκων — ἢ ἑ μ. 591. οὔτε βίης μεθιῶσιν ὁ. καί οἱ ἐμπ. 593. αὖθις — συνέξαλοι 594. φαίης δὲ ν. 599. διερὰς δὲ γ.

606. ἥν τιν᾽ ἔμαρψεν 607. ἀναπνεύσει 608. ἐπόψεαι 613. λιχμάζων 618. ὁ δ᾽ αἱμάσσων 620. ἄλλοτε δ᾽ ἀ. — ἀναπάλλεται 624. κελ. καὶ ἀλγ. ἐλάφοισιν 626. ἀποφθίμενος 627. κύντατα 633. καὶ ἐν χθ. μοῖραν ἔθεντο 634. τρόφιν 635. χυτὴ δ᾽ ἐπὶ γαῖα καλύψῃ 641. ἐὸν κράτος, corr. in vulg. 644. μοῦνοι δ᾽ αὖ κ. 646. οὔτε 648. ἀχραντὶ — ἀκύδεες 655. πάντῃ 658. αἰεὶ 660. ἐλόωσιν, sed corr. in vulg. 662. ἐς 664. οὐ μέν μοι — ἀπάθερτε 665. vulg. corr. in πρέσβεια. 667. φθισήνορος ἄτης 668. ἐρικλαύτων 671. αἰνότεροι 673. κατήνυον 675. Αἰνειάδῃσιν 683. φαίδ. υἱὸς.

Haec si ex sarcinulis quasi Vobis, Commilitones humanissimi, obtulimus, non id inconsulto fecimus. Haud enim fugit nos, laudabile et quod nunquam aut defervescat, aut aliunde reprimatur itinerum instituendorum patriaeque non ex libris tantum cognoscendae studium nuper inter Vos exarsisse: qua de re unum est quod moneamus. Quantum scilicet cunque a reficiendis corporis

viribus, a naturae artiumque humanarum monumentis contemplandis reliquum Vobis erit tempus, id assiduo litterarum cultui in itineribus quoque nunquam plane deponendo dicare mature adsuefiatis: quod si ita institueritis, ad fallacem praesentis gaudii brevitatem longe gratissima eaque duratura otii optime impensi recordatio atque conscientia accedent, sparsaque hinc illinc criminosarum suspicionum semina jam non habebunt quo nutriantur.

# XII.

## A E L I A N E A.

---

Inter viros prioribus saeculis de Silesiorum studiis bene meritos nescimus an ullus majore admiratione dignus sit quam *Thomas Rehdiger*, qui unus, quamvis annum trigesimum quintum vix egressus, inter longinquas peregrinationes, sapientiae causa per totam Germaniam, Bataviam, Italiam susceptas, apud Agrippinenses a. 1576. praematura morte exstinctus, tanta eruditionis solidioris subsidia sibi comparavit et post obitum usui publico concessit, ut viri eruditi, quorum haud exiguum numerum quovis aevo vidit Vratislavia, ne ad protrahenda quidem omnia hominumque memoriae commendanda suffecerit, qualia praestaturus, si longiori vitae fata pepercissent!

Ita factum est, ut, dum aliae terrarum nostrarum bibliothecae, Augustana, Dresdensis, Gothana, Lipsienses, Monacina, Palatina in operibus antiquis tunc primum luce donandis eximiam nec vanam gloriam ponerent, ineditorum Vratislaviae delitescentium vix unus alterve notitiam aliquam haberet. Codicum quidem *Rehdi-*

*geranorum* usum haud ita multo post bibliothecam a. 1658. rite dedicatam primus, quantum novimus, fecit *Ioannes Gebhardus*, primus novae bibliothecae praefectus, ex uno *Virgiliorum* nostrorum manu scriptorum varias lectiones *Heinsio* excerpens, quem virum *Heynius* edit. suae T. I. p. CCLVI. miro errore confudit cum critico Batavo, *Iano Gebhardo*, crepundiorum in *Catullum*, *Tibullum* et *Propertium* auctore, quamvis hic a. 1632. obierit, noster *Virgilium* cum ed. *Schrevel* a. 1652. contulerit. Proxime, sed post longum dimidii saeculi intervallum, insequuti sunt *G. Olearius*, *Io. Alb. Fabricius*, *G. Cortius*, H. S. demum *Reimarus*, qui *Philostratis*, *Sexto Empirico*, *Sallustio* ac *Dioni Cassio* hinc peterent adminicula et ornamenta, post hos plures, pluresque in diem.

Sed major quaedam et illustrior laus, scriptorum veterum numerum nova accessione ampliavisse, reliqua facta erat *G. C. Fuellebornio*, quo curante a. 1790. orationes duae de immortalitate animae, una *Georgii Gemisti Plethonis*, altera *Michaelis Apostolii* e copiis *Rehdigeranis* tum primum prodierunt. Postea vitam *Pindari* graece scriptam, luculentis aliquot Lyrici fragmentis insignem, ex eodem fonte protulit *I. G. Schneiderus* in limine *Theriacorum Nicandreorum*, adjecta quoque scholiorum in *Pindarum* ineditorum notitia. Iam vero typis exscribitur Rhetor anonymus de tropis, quem *Tryphonem*

*Alexandrinum* esse suspicamur, propediemque superatis librarii cunctationibus emittetur. Nunc ne prae majoribus minora prorsus abeant in oblivionem, ἀποσπασμάτια nonnulla, fortasse *Aelianea*, e codice *Rehdigerano* producemus, quae quantum nobis quidem compertum est, exceptis duabus particulis infra indicandis, nusquam antea in cognitionem virorum doctorum venerunt: etsi in his quam pronus sit error, illustria nuper demum exempla probaverunt *G. Hermanni*, qui quum ederet libellum de constructione verborum, eum jam dudum in *Phavorini* ed. Basil. a. 1538. prodiisse, haud meminerat, et his fere diebus *A. Maji*, qui Itinerarium *Alexandri* a se typis mandatum ineditum esse putabat, quamquam maxima ejus pars jam a *Muratorio* collectioni notissimae *Antiquitatum Ital.* T. III. p. 957. sq. e codice *Ambrosiano* inserta erat, vid. *Schoellii repert. litter. antiq.* T. II. p. 414. et *Letronnium* in *Diario erud. Paris.* 1818. Jul. p. 402. Quid igitur mirum, si nobis, haud integrum opus, sed capita nonnulla operi majori adhaerentia daturis, simile quid acciderit?

Exstant haec in libro chartaceo, formae quadratae minoris, a pluribus ut videtur manibus haud eleganter, satis tamen distincte et accurate, sine ullis fere scripturae compendiis, non ante saec. XV. exarato, qui cum aliis e supellectile litteraria *Antonii cujusdam Damilae* ad *Rehdigerum* transierat. Est vero codex argumenti

miscelli: incipit ab excerpto e ***Dionysio Halicarnassensi*** de ***compos. verborum***, cujus mox interiorem notitiam exhibebimus. ***Dionysium*** excipiunt ***Characteres Theophrasti***, in quibus quam egregiae compareant lectiones haud uno loco testatur novissima editio ***Schneiderana***. Sequuntur orationes duae ***Isocratis***, ***Palaephati*** incredibilia, alia philosophica, rhetorica, grammatica, majorem vero voluminis partem selecta ***Aeliani*** capita LVI. fol. complent.

Inscripta quidem sunt haec: ***Αἰλιανοῦ ποικίλη ἱστορίαι***, (sic) sed praeter capita tria statim in initio collocata omnia ex ejusdem historia animalium desumpta sunt: in qua excerpenda proprium judicium sequutus est epitomator, nec in eo substitit, ut multa plane omitteret, reliqua ab otioso verborum strepitu liberata in arctius redigeret, sed missis vulgaribus librorum distinctionibus novam et commodiorem capitum seriem inivit. Quum enim inter omnes constaret, ordinem in ***Aeliani hist. anim.*** fere nullum inesse, epitomator id sibi proposuisse putandus est, ut huic incommodo succurreret, ea conjungendo, quae similitudine quadam argumenti conjuncta videret. Primo igitur loco posuit ea, in quibus de avibus tradidit ***Aelianus***, secundo, quae ad quadrupedes, amphibia, reptilia, insecta pertinent, tertio, quae piscium naturam illustrant, ita tamen ut subinde consilii sui non omnino memor fuisse videatur.

Harum igitur trium collectionum primae, quam narratio de angue et aquila, *hist. anim.* 17, 37. absolvit, priusquam ad secundum decursum, ab *hist. anim.* 1, 22. incipientem, progreditur epitomator, capita assuta leguntur octo, quae aliunde nobis nota non sunt. Quibus etsi grande pretium statuere jure recusamus, digna tamen sunt, quae summa in manifestis quoque vitiis religione descripta typis mandentur. Priora verba, non nisi exiguo spatio separata, arctius cohaerent cum *hist. anim.* 17, 37. Reliquarum sectionum litterae initiales minio distinctae sunt.

I.

*νοσήσας ἀετὸς, χελώνην ἐσθίει καὶ ἰᾶται.*

II.

*περὶ ἰκτέρου.*

*Ἴκτερος ζῶον λέγεται ἀπὸ τῆς χροιᾶς. ὃν εἰ τῷ πάθει τούτῳ τὶς ἐνεχόμενος ἴδοι, φευξεῖται εὐθὺς τὴν νόσον.*

III.

*Οὐ μίγνυνται οἱ κόρακες ταῖς θηλείαις, πρίν τινα ᾠδὴν αὐταῖς παρακρώξαιεν, ὥςπερ γαμήλια. αἱ δὲ, πεισθεῖσαι, οὕτω συνουσιάζουσιν.*

IV.

*Ἐν καννίνοις, πίττης ὑγρᾶς κρατῆρες ἀναδίδονται. ἐν δὲ θερείᾳ ὥρᾳ, ἡ ἑωθινὴ δρόσος, πίσσῃ παρείκασται.*

V.

*Ἐν περνίκῳ λίθοι εὑρίσκονται ὀρυσσομένης*

τῆς γῆς. οὓς ἐπειδὰν διαθερμάνῃ ὁ ἥλιος, ἐξανθρακοῦνται, ὡς καὶ κρέα ἕψειν καὶ ἄλλ' ἄττα τοὺς ἐκεῖ χύτρας ἐπιτιθέντας.

VI.

Ἐν διαβόλει τῇ σελασφόρῳ, πηγὴ ἀναδίδοται ψυχρὰ καὶ διειδὴς, ἐλαιώδη τὴν ἐπιφάνειαν ἔχουσα, λεῖα τὰ σώματα καὶ τὰς τρίχας ποιοῦσα. καὶ κεφαλῆς ἀλγηδόνα παύουσα. ταύτῃ εἰ προσαγάγοι τὶς κηρὸν, ὑφάπτεται τὸ ὕδωρ ἐκ τούτου, καὶ σπινθῆρας ἀφίησιν, ἄχρις ἂν πελάσῃ ἑτέρῳ ὕδατι. ἔστι δὲ τῶν ἄλλων ὑδάτων διειδέστερον τὸ ὕδωρ ἐκεῖνο. ὀδμῆς τε πάσης ἐλεύθερον.

VII.

Πολύκλειτός φησιν ἐν σόλοις ποταμὸν λίπαριν εἶναι, ὃν διαλιπαίνειν τοὺς λουομένους. ὥςτε μὴ χρίσματος δεῖσθαι.

VIII.

Ἀθηναῖος φησὶν, ἐν πέρσαις εἶναι δένδρόν τι θανάσιμον τὸν καρπὸν φέρον. ὃ τοὺς πέρσας ὅτε καμβύσης ἐπ' αἴγυπτον ἐστράτευσε, κομίσαι εἰς αἴγυπτον, καὶ ἐν πολλοῖς φυτεῦσαι τόποις ὅπως οἱ αἰγύπτιοι τὸν καρπὸν προςφερόμενοι, διαφθαρῶσι. τὸ δὲ δένδρον μεταβαλὸν τὴν γῆν. (sic) τὸ δὲ δένδρον μεταβαλὸν τὴν γῆν, ἀπαθῆ τὸν, ἐξενεγκεῖν, καὶ περσαίαν ὀνομάζεσθαι, διὰ τὸ ἐκ περσῶν φυτευθῆναι.

Quae omnia quum parum depravata ad nos pervenerint, Geographica vero, quae haud dubie

mendosa sunt, certam emendationem respuant, de rebus ipsis pauca addimus.

I. Aquilam testudini, praesertim terrestri, propter carnem insidiari, ipse testatur *Aelianus*, *hist. anim.* 7, 16. 15, 19. Quod hoc loco edocemur, testudinem ei non escam tantum, sed medicamentum quoque praebere, nostro proprium esse videtur.

II. De Ictero avi, morbi regii ab ipso cognominati certissimo remedio, aliquoties monuerunt veteres, certi nihil tradiderunt. Noster *Plinium hist. nat.* 30, 28. (11.) totidem fere verbis expressit, quibuscum convenit *Coel. Aurel.* de morbis acutis, 3, 5. nisi quod hic avem morbo nomen dedisse contendat. Idem de *Charadrio* memoraverunt alii, v. *Schneider.* ad *Aristot. hist. anim.* 9, 12. ad *Aelian. hist. anim.* 17, 13. et *Welcker.* in *fragm. Hipponacteis,* 36. p. 65. quibus testibus ne quis fidem temere detrahat, monemus, in ipsa hac artis salutaris luce eidem morbo Tincam piscem ratione non minus insolente, sed felicissimo successu adhiberi. Edidit nuper hoc fragmentum *Schneiderus* in *nova Lex. Graeci* ed. v. ἴκτερος.

III. Idem de Orione, Indica ave, e *Clitarcho* narrat *Aelian. hist. nat.* 17, 22. Ceterum verbum παρακρώζω hinc inferatur in Lexica Graeca.

IV. Similia de variis regionibus compilavit auctor mirab. auscult., quae sub *Aristotelis* no-

mine feruntur, cap. 139. de rore vero bituminoso nullus praeterea veterum tradidit. De Canninis certi quicquam afferri nequit.

V. Comparari possunt, quae de simili lapidum virtute apud Bottiaeos in Thracia prodidit *Antig. Caryst.* 84. conf. *mirab. auscult. Aristot.* 41. 125. De Pernico vero haud magis liquet quam de Canninis.

VI. Pro corrupto *διαβόλει* in promptu est aut *Νεαπόλει* refingere, aut *Διοςπόλει* v. *Stephan. Byzant.* v. *Βηρυτός*, p. 165. quamvis fateamur, de neutra urbe tale quid memorari, nec minor resideat difficultas in addito *σελασφόρος*, vocabulo *Nonniano*, *Dionys.* 2, 212. 8, 341. cui simillimum, *σελαηφόρος*, *Manethoni*, *Apotelsm.* 4, 333. restituendum et in Lexica Graeca recipiendum est. Comparari possunt quae de aquis, petroleo superfusis ideoque ignem facile concipientibus, monuit *Beckmann.* ad *Antig. Caryst.* 154. et ad *mirab. auscult. Aristot.* 122. 139.

VII. De Lipari fluvio apud Solenses eandem rem comminiscuntur *Vitruv.* 8, 3, 8. *Plin. hist. nat.* 31, 14. (2.) et *Antig. Caryst.* 150. Sed *Plinii* verba mendo laborant: „Polycritus explere olei vicem juxta Solos Ciliciae fontem. *Theophrastus* hoc idem fieri in Aethiopia *ejusdem nominis* fonte.“ Patet e posterioribus, post *fontem* ipsius fontis nomen, *Liparin*, inserendum esse: fontem Aethiopiae accuratius descripsit *Herodot.* 3, 23.

Aliud nobis negotium facessit nomen auctoris, quem *Polycletum* vocat noster, *Polycritum Plinius* et *Antigonus Carystius.* Sed veram scripturam servasse videtur ille. Erat *Polycletus Larissaeus* inter scriptores de rebus Alexandri, v. *St. Crucium exam. crit.* p. 63. ex quo de mari Caspio et de Susis quaedam excerpsit *Strabo*, 11. p. 519. D. (777. B.) et 15. p. 728. B. (1059. C.) de luxurie, qua diffluebat Alexander apud Babylonios *Athenaeus*, 12. p. 539. A., de ingentibus in India lacertis *Aelian. hist. anim.* 16, 41., de Darii Hystaspis cognomine *Iul. Poll.* 2, 150. praeterea apud *Plutarch. vit. Alex.* 46. p. 691. A. ubi de adventu Amazonis ad regem agitur, qui inter testes refertur *Polycritus* haud cunctanter cedat *Polycleto*, quod *Adam.* quoque *Coraen. ed. Plut.* T. IV. p. 443. voluisse postea cognovimus: eademque medicina duobus aliis *Plinii* locis adhibenda in summariis ab ipso confectis *hist. nat.* lib. XII. et XIII. qui inter auctores, ex quibus historiam plantarum consarcinaverit, inter medios de Alexandro scriptores, *Callisthenem*, *Clitarchum*, *Nearchum*, *Onesicritum*, *Polycriti* quoque nomen habent. E contrario *Polycritus*, ut videtur *Mendaeus*, qui carmine epico res Siculas exornaverat, jure sibi vindicat locum apud auctorem *mirab. auscult.* 22. et apud *Diog. Laert.* 2, 63., quorum hic narrationem de *Dionysio Syracusano*, ille descriptionem lacus cujusdam Siculi e *Polycrito* hausisse

profitetur. De *Polycrito Mendaeo*, medico, apud *Plutarch. vit. Artax.* p. 1021. E. an sit idem, haud magis judicare licet, quam de *Polycrito Aetolarcha* apud *Phlegontem Trall.* 2. et de *Polycleto poeta* apud *Meleag.* I, 40. Quum vero e *Curtio* et *Arriano* norimus, Alexandrum Solos cum exercitu permeasse, nemo jam ambiget, ad quemnam horum auctorum caput nostrum pertineat.

VIII. Primus edidit *Schneiderus* ad *Theophrasti hist. Plant.* 4, 2, 5. T. III. p. 284. qui idem locum mutilum *ἀπαθῆ τὸν*, addito ex praecedentibus *καρπόν*, feliciter restituit. Fabula ex *Athenaeo* allata in nostris Deipnosophistarum exemplaribus frustra quaeritur, et apud nostrum unum exstare videtur. *Μῆλα* enim *Περσικὰ* sive *Πέρσεια* sive *Περσίας* sive *Περσαίας*, quorum frequens est mentio apud veteres et apud *Aelianum* ipsum *hist. anim.* 11, 40. haud quaquam e Persia in Aegyptum translata et ab arbore illa perniciosa diversa esse patet ex eis, quae monuit *Schweigh.* ad *Athen.* 5. p. 198. B. quamvis proxime ad nostrum accedat *Diodorus Sic.* 1, 34. Persica poma, sed salubria et suavissimi saporis, a militibus Cambysis ex Aethiopia in Aegyptum esse delata referens.

Sed haec hactenus. Cujusnam enim auctoris haec capita censenda sint, utrum *Aeliani* ipsius, an supparis aetate compilatoris, nec affirmare audemus, nec negare.

# XIII.

## SYMBOLAE CRITICAE
## IN
## SCRIPTORES GRAECOS ET ROMANOS E CODICIBVS MANVSCRIPTIS VRATISLAVIENSIBVS DEPROMPTAE.

---

*Caspar d' Ansse de Villoison*, quum illustris hospitii, quo Vinariae in aedibus ducalibus exceptus erat, publicum aliquod monumentum relinquere apud se constituisset, varias observationes ad rem antiquariam spectantes, in bibliothecis Vinariensi et Jenensi a se repertas, sub epistolarum Vinariensium inscriptione typis mandari jussit, nec dubitavit ille, quin *Annae Amaliae*, augustissimae principi, hominis cujusdam Batavi conjecturas in *Nonni Dionysiaca* dicaret, aut *Iosephi Scaligeri* in *Hipparchum* emendationes regnanti Vinariensium Isenacensiumque duci. Existimabat enim elegantis et erecti ingenii vir, principum esse non tam unam alteramve artem peculiari studio exercere, quam omnes simul, quotquot liberalium nomine insigniri mereantur, munificentia suscitare, praesidio tueri,

bonis institutis promovere: eis vero litteris prae ceteris valido opus esse patrocinio, quas, quum annonam viliorem haud reddant, plurimi negligunt, alii superstitioso quodam circa res divinas humanasque stupore occaecati etiamnum cane pejus et angue perhorrescunt.

Praelusimus haec, ne forte subeat mirari, quod sacra natalicia Regis nostri rite celebranda indicturi variarum lectionum farraginem, *Villoisonicae* assimilem, in medium protulerimus.

Ac supercilia eorum, qui in antiquitatis studio mirum quoddam verba inter et res discrimen sibi confinxerunt, ut illa dicteriis et calumniis proscinderent, has circumforaneis laudationibus cumularent, ridenda potius, quam respicienda putavimus. Nam quum hanc litterarum lacerationem ab iis institutam commendatamque videamus, quos solidioris eruditionis defectus ad rerum quod clamant studium compulerit, vulpeculae *Aesopicae* *κολούρου* societatem istis hominibus nequaquam invidemus, lubenterque ut uvarum acerbitate sese consolentur concedimus *). Quantum vero damni doctorum quorundam hominum judicia de his rebus minus considerate pronuntiata attulerint junioribus, facillima quaeque sectantibus et priusquam pinnulae succreve-

*) Fab. *Aesop.* 7. 156. p. 7. 94. 284. ed. *Coray.* Dignum hoc grege antesignanum nuper in Annal. litt. Vindob. ab utilissimo *Boeckhii* de *oecon. publ. Athen.* libro occasione fabulandi arrepta, declamantem audivimus.

rint volitare gestientibus, hujus nec loci est nec temporis exemplis illustrare. Eidem viri, quorum auctoritate pedissequorum grex ad nuditatem suam praetegendam abutitur, quavis fere scriptorum suorum pagina ostenderunt, quam futile, quam parum fructuosum esset studiorum genus, quod ab accurata linguarum cognitione nec fundamentum acceperit, nec comprobationem.

Quod si vero invenias, quales vix invenias, qui singulis vocabulis, syllabis, litteris, apicibus improbum laborem insumentes ulterius prospicere ne cogitent quidem, honestior certe et utilior vel talium assiduitas censenda sit, quam inepta adversariorum levitas. Malumus enim fundamenta bene strata, quibus aedes quaelibet sine periculo superimponi possint, quam speciosa aedificia fallaci arena male fulta, certamque mox ruinam tractura.

Iam vero his missis, quae longius persequi nec gratum nec admodum est necessarium, ad propositum nostrum pergimus.

Nam quum bibliothecae hujus urbis publico usui patentes tam larga codicum manuscriptorum supellectile instructa sint, ut paucissimae Germaniae civitates hoc nomine Vratislaviam aequare videantur, bona vero horum criticae artis subsidiorum pars ad hoc temporis eos, ad quos talia attinent, plane latuerint, de nonnullis quoque falsi rumores rempublicam litterariam percrebrescere coeperint: quae quum ita sint, viris

sedulam antiquis auctoribus operam navantibus grati quid facturos nos esse confidimus, si oblata hac scribendi opportunitate nunc ita potissimum utimur, ut de codicibus quibusdam Vratislaviensibus memoratu imprimis dignis aut nunc primum referamus, aut certiorem tamen eorum notitiam exhibeamus.

Et primum quidem a librorum manu exaratorum numero ac pretio locum jure sibi vindicat *bibliotheca Rehdigerana*, anno 1576. a *Thoma Rehdigero* civitati nostrae legata, anno 1658. in aede Stae Elisabethae rite dedicata. Caret adhuc debito tantis meritis elogio vir vere nobilis, longinquis per omnes fere cultioris Europae partes itineribus arctaque familiaritate cum summis illius aevi ingeniis, *Henrico Stephano*, *Iusto Lipsio*, *Iano Dousa*, *Gerardo Falkenburgio*, *Theodoro Pulmanno*, philologis, *Iacobo Cujacio*, et perpetuo ejus reprehensore, *Hugone Donello*, jure consultis, *Antonio Mizaldo*, *Carolo Clusio*, *Conrado Froschelmosero*, medicis, dum viveret insignis et posteritati monstratus *). Quantum vero utilitatis e copiis *Rehdigeranis* jam redundaverit in scriptores veteres emendatius edendos abunde docent profectus, quos inde in *Philostrato* recensendo fecit *Olearius*, in *Sexto Empirico Fabri-*

*) V. quaedam huc pertinentia in *Henelii Silesiographiae* T. II. p. 601. Dedicaverant *Thomae Rehdigero* Glossaria Graeca cum aureo de dialecto attica libro *Henr. Stephanus*, conf. *Maittairii histor. Stephan.* p. 355., *Ausonium* suum *Pulmannus*, *comm. de jure feudali Cujacius*, alia alii.

*cius*, in *Sallustio Cortius*, in *Dione Cassio Reimarus*, in *Homero Ernestius*, in *Appiano Schweighaeuserus*, in *Gemisto Plethone* et *Michaele Apostolio Fuellebornius*, in *Arato Buhlius*, in *Apollonio Rhodio Beckius*, in *Iliade Heynius*, in *Hesiodi scuto Heinrichius*, in *Argonauticis Orphicis* et in *Theophrasti characteribus ethicis I. G. Schneiderus*, in *Ciceronis epistolis Martyni Laguna*, in *Batrachomyomachia Aug. Matthiae*, in *Pindaro Boeckhius*, in *Cicerone de natura Deorum Heindorfius*, in *Statii sylvis Handius*, quibus ea subjungimus, quae nuper ad crisin *Suetonii*, *Aeliani* in *historia animalium*, anonymi de *tropis*, quem *Tryphonem* esse auguramur, *Dionysii Halicarnassensis*, *Eustathii* in *commentariis Homericis*, rhethoricorum denique ad *Herennium* cum in prolusionibus academicis, tum in *Museo critico Vratislaviensi* a *C. Schneidero* et a me e codicibus *Rehdigeranis* sunt collata *).

Multiplex vero horum cimeliorum dos est et pretium. Primum enim libros aliquot continent quum characterum nitore, tum picturarum elegantia insignes et inter splendidissima hujus artis monumenta referendos. Eminent inter hos

*) Breviores notitias dederunt de codd. *Rehdig. Virgilii Heynius*, T. I. p. CCLVI., de codd. *Iuvenalis Rupertius*, T. I. p. CLXIII., de codd. *Persii Fuellebornius*, interpr. vernac. p. V., de cod. *Lycophronis* quidam in *Ephem. Jenens.* a. 1815. supplem. T. II. p. 316. sq. 327. sq.

***Ioannis Froissardi Chronica*** et ***Valerius Maximus*** cum interpretatione Francogallica a ***Simone de Hesdin*** inchoata, a ***Nicolao de Pouesse*** absoluta, utrumque opus magno picturarum numero ornatum, et e bibliotheca *Antonii*, Burgundiae principis, post varios casus ad ***Rehdigerum*** translatum *).

Alia nec minor laus in eximia multitudine apographorum unius ejusdemque scriptoris posita est. Talem enim tantumque ad veterum nonnullos apparatum criticum hic in uno scrinio latentem videas, qualem per plurimas urbes haudquaquam illitteratas frustra quaesiveris. Quot quaeso inveniantur in patria nostra bibliothecae, quae ***Homerica*** carmina, ***Terentium***, ***Iulium Caesarem***, ***Orosium*** ter descriptos possideant,

*) *Antoine*, *Bâtard de Bourgogne*, *Comte de la Roche*, Philippo Bono, Burgundiae duci, natus a. 1421., in proelio ad Nancejum a. 1477. a victoribus Helvetiis captus, a. 1485. legitimus factus. De his codd. v. *Crantzium* in *notitia codd. mstorum bibl. Elis. Vrat. msta*, p. 5. 135. (Reposit. I. ser. 1. nr. 1 — 4. et ser. 6. nr. 25. 26.) et praecipue *I. E. Scheibelii memorab. bibl. Rehdig.* vernac. scripta, part. 1. quo in laudabili instituto utinam sequaces habuisset vir litteratissimus inter eos, qui his thesauris proxime assident! Ceterum textus *Froissardianus* multo est integrior ac plenior in codice nostro, quam in vulgatis *Salvagii* et *Verardi* recensionibus, in quibus quaecunque Gallis displicere potuissent, supressa esse constat. De imaginibus vero et colorum et lineamentorum pulchritudine conspicuis, praeterea recte observavit *Crantzius*, ad accuratam cognitionem rituum variorum illius temporis, vestimentorum et apparatus bellici eas haud parum conferre.

*Sallustium* et *Valerium Maximum* quater, *Senecae Tragoedias* quinquies, *Lucanum* octies, *Iuvenalem* decies, ita ut *Lucani* praecipue et *Iuvenalis* novae recensiones e solis subsidiis *Rehdigeranis* exspectandae sint.

Nec, quae in libris manuscriptis praecipue spectari solet, summae vetustatis codicibus caremus, e quibus unum illum nominasse sufficit, qui antiquam quatuor Evangeliorum interpretationem Latinam complectitur, ab idoneo hic arbitro *) nisi septimo, certe octavo post Christum saeculo assignatus.

De aliis ab aetate sua haud minus commendatis quicquam subjungere nolumus, quum huic soli, nisi aliae eaeque veriores virtutes criticae accedant, haud ita multum nos tribuere lubenter fateamur, quantumvis interdum periculosum sit, haec et similia confiteri. Frequens enim librorum manu exaratorum tractatio nobis persuasit, apographa satis recentia ex optimis saepe exemplaribus fluxisse, anilique eos superstitione laborare, qui, ubi de arte critica factitanda, non de diplomatica, agitur, nisi membraneus sit liber, nisi ultra saeculum ad minimum duodecimum ascendat, uncis naribus indulgeant, eaque tur-

*) a *Davide Schulzio*, qui accurate ut solet et erudite in peculiari libello, a. 1814. apud nos emisso, de codicis hujus forma externa, ratione interna et aetate, adjectis scripturae speciminibus, disputavit. Quaedam ante *Schulzium* ex eodem libro delibaverat *I. E. Scheibel* in *progr.* a. 1763.

piter fastidiant, quae ab alto stemmate suspendi non possint. Nec adeo mirum, novos hos codices, sub ipsa renascentium litterarum tempora factos, a probatissimis tantum archetypis descriptos esse. Quae nostra sententia, postquam ***Rehdigeranorum*** librorum inspiciendorum copia nobis facta est, plurimum inde confirmationis est adepta. Simul vero id sumus edocti, optime intellexisse ***Rehdigerum***, qualem thesaurum transmitteret studiis posterorum, nec eum, quod divitibus interdum Musarum cultoribus accidisse fertur, tam numero aut externo quodam cultu exemplarium captum, quam interno eorum pretio utilitateque, quam promitterent litteris, delectatum fuisse.

Ex eorum igitur numero, de quibus postremo loco diximus, qui nec forma nec splendore nec aetate insignes praestantissimis tamen subsidiis criticis accenseri mereantur, is est codex, de quo nunc pluribus exponere lectionisque specimina proferre placuit.

Continet ***Epitomen Graecam***, quae praeter egregium fragmentum a ***Samuele Tennulio*** in bibliotheca ***Segueriana*** repertum *) ex ingenti

*) Duodecim haec vocabula, litterae quartae extrema, *Δύμη*, *Δύνδασον*, *Δυρβαῖοι*, *Δυῤῥάχιον*, *Δυσπόντιον*, *Δύστος*, *Δωδώνη*, *Δωνέττινοι*, *Δῶρα*, *Δώριον*, *Δῶρος*, *Δώτιον*, sine ulla contractione, qualia ab ipso *Stephano* profecta sunt, quantivis hoc pretii complectitur *ἀποσπασμάτιον*: quae si cum epitome comparamus, facillime est aestimatu, quantam in genuino *ἐθνικῶν* opere jacturam fecerimus.

illo et pererudito *Stephani Byzantini* ἐθνικῶν opere sola aetatem tulit, sive *Hermolaus*, *Iustinianei* aevi grammaticus, sive *Constantinus Porphyrogeneta* Imp. excerpserit *), sive alius quis, servato certe litterarum ordine, quem auctor ipse instituerat.

Codex est chartaceus, (*Reposit.* 1. ser. 3. nr. 18.) foliorum CLXXXV, magnitudine duplicatorum, tricenis plerumque singularum paginarum lineis, ab una manu haud quidem eleganter, sed distincte et perspicue scriptus, calamo tamen inde a fol. 73. v. *Θέραμναι*, aliquanto festinantiore: rarus compendiorum tachygraphicorum usus: singulae voces explicatae novum quidem versum non incipientes, sed littera initiali majuscula eaque minio picta satis distinctae: urbium gentiumque nomina a manu longe recentiore margini Latine adscripta: ab eadem manu foliorum numeri additi, textui in superiore primae paginae parte a manu prima rubro colore appicta haec:

*Ἐκ τῶν ἐθνικῶν στεφάνου κατ' ἐπιτομήν.*

---

*) Pro *Hermolao* testis excitatur *Suidas*, qui, v. Ἑρμόλαος, hunc grammaticum *Stephani* opus in compendium redegisse et προσφώνημα ad *Iustinianum* praefixisse narrat. Sed quum prologo isto libri nostri ad unum omnes careant, nec hinc, nec e simili *Eudociae* loco, quae *Suidam* exscripsit, de nostrae epitomes auctore quicquam colligere licet: quid enim mirum, plures eandem telam detexuisse? Alia ratione ut de *Constantino* conjecturam faceret adductus est *Luc. Holsten.* in *epistolis* nuper a *Boissonado* editis, ep. IX. p. 45.

In fine libri haec:

*τέλος τῶν τοπικῶν στεφάνου.*
*δόξα τῷ θεῷ ἀμήν.*

Eodem praeterea colore rubro duplex totius operis divisio est instituta: altera vulgaris est ***secundum litterarum ordinem***, *ἀρχὴ τοῦ β' στοιχείου* et deinceps: altera vero ***secundum libros***, cujus in editionibus nec vola nec vestigium, perquam est memorabilis, quum ad primitivum *ἐθνικῶν* statum respiciat, certoque argumento et bonitatem et antiquitatem fontis confirmet, ex quo apographum nostrum manaverit.

Quum enim e testimoniis nonnullis veterum, de quibus v. ***Fabric. bibl. Graec.*** T. IV. p. 623. ***Harl.*** tantum efficeretur, *ἐθνικά* ab ipso ***Stephano*** per libros litterarum numerum haud parum superantes dispertita fuisse, in quam sententiam novas suppetias ferebant codices Palatini duo, a ***Luca Holstenio*** excussi, et liber ***Perusinus*** apud ***Iacobum Gronovium*** *), tamen nec omnino de librorum numero, nec de singulorum initio ac fine quicquam pro certo exploratoque haberi poterat. Huic igitur quaestioni laetam et vix exspectatam lucem affudit codex ***Rehdigeranus***, qui, etsi non omnium, triginta tamen librorum exordia a prima manu suis quaeque locis minio distincte appicta repraesentat.

---

*) In calce edit. *Thomae a Pinedo*, a. 1725. p. 790.

Hoc igitur teste incipiebat liber II. a voc. *Ἀε-ρία*, lib. III. a v. *Αἱμωνία*, lib. IV. a v. *Ἀλεξάν-δρεια*, lib. V. a v. *Ἀναγυροῦς*, lib. VI. a v. *Ἀρ-βάκη*, lib. VII. a v. *Ἀσαί*, lib. VIII. a v. *Βάβαι*, (sic liber *Rehdig.*, impressi perperam *Βαβαί*, v. Ptolem. geogr. 4, 1. et *Stephanum* ipsum v. *Ῥάβα*, p. 571.) lib. IX. a voc. *Βίβαστος*, lib. X. a voc. *Βρίγες*, lib. XI. a v. *Γέα*, lib. XII. a voc. *Δάαι*, (sic codex, *Salmasii* conjecturam confirmans, edd. *Δαία*.) lib. XIII. a v. *Δινδρύμη*, lib. XIV. a voc. *Ἔαρες*, lib. XV. a voc. *Ἔμβατον*, lib. XVI. a v. *Εἰδητές*, p. 275. lib. XVII. a v. *Ζάβιδα*, lib. XVIII. a v. *Ἠδοῖ*, (edd. *Ἠδοί*.) lib. XIX. a v. *Θαλάμαι*, lib. XX. a v. *Ἴαβις*, lib. XXI. a v. *Ἰκός*, lib. XXII. a v. *Καβαλίς*, tum post magnam in littera *K* lacunam, quae ut reliquos libros ita nostrum quoque occupat, lib. XXX. a v. *Μέγαρσος*, lib. XXXI. a v. *Μεγάλη*, lib. XXXII. a v. *Μεσσήνη*, lib. XXXIII. a voc. *Νάαρδα*, lib. XXXIV. a v. *Νίβις*, lib. XXXV. a v. *Ξάθοι*, lib. XXXVI. a v. *Ὄα*, et post longum rursus intervallum lib. LI. a voc. *Συρα-κοῦσαι*, lib. LII. a voc. *Τιτωνεύς*, ubi librorum indicia deficiunt. Conspirat codex Perusinus in libb. II, IV — XX, XXII, XXX, XXXIII — XXXV, Palatini tantum in lib. XXXII, XXXIV — XXXVI, quorum alter praeterea post voc. *Τιτωνεύς*, *βιβλίον β'* exhibet, quod quin depravatione ex *νβ'* ortum sit, jam non poterit

dubitari *). Quod si vero postremam hanc operis partem inde a libro LII. usque ad finem cum ambitu librorum numeris suis signatorum comparamus, veri inde fit simillimum, octo abhinc librorum notationes intercidisse, ita ut *Stephanus* sexaginta librorum decursum explevisse videatur.

Facile igitur concedimus, codicem nostrum haud ita multum ante excidium imperii Byzantini, ad summum circa initia saeculi XIV. exaratum esse, quae est sententia *Crantzii* **): nihil hinc fidei ejus criticae derogatur, qua reliquos tres, quos modo enumeravimus, — plures enim nondum contulerunt viri docti, — praecellit. Et ne quid omittamus, fortuitum ceteris laudibus hoc accedit pretium, quod praeter nostrum vix ullum *Stephani* apographum in Germania reperietur: *Harlesius* certe in *Fabric. bibl. Graeca*, T. IV. p. 626. sq. nullum novit: et codices Palatinos, quos cum bibliotheca Heidelbergensi Romam ablatos in aedibus Vaticanis tractavit *Holstenius*, cum multis aliis ad Penates suos non rediisse, arguit altum de iis silentium in *Wilkenii hist. biblioth. Heidelb.*

---

*) In *Rehd.* quoque librorum LI. et LII. notatio ita est comparata, ut lib. I. et II. indicare possit. Tunc vero a voc. *Συρακοῦσαι* novus librorum decursus statuendus erit, cujus vix rationem exputes.

**) Catal. cod. bibl. *Rehd.* ms. p. 29.

Sed ut virtutes codicis nostri interius cognoscantur, primum e mutila littera *K* inedita quaedam lacunarum supplementa proferemus: excipiet haec lectionis varietas e libro X. ad exemplar *Pinedonianum* plene et diligenter enotata, cui discrepantias libb. *Palat.* et *Perus.* inseruimus, ut omnis apparatus criticus uni quasi oculorum jactui pateret, codicumque inter se comparatio quam expeditissima redderetur.

*Καβειρία, πόλις τῆς κάτω Ἀσίας, ἧς τὴν γῆν Καβείριοι ᾤκουν· εἰσὶ καὶ Καβείριοι ἔθνος Βοιωτίας ὡς Παυσανίας θ'. Καὶ Κάβειρος, Καβειρία, ἀφ' οὗ τὸ Καβειραῖος καὶ Καβειραία καὶ Καβειρίτης· καὶ Καβείριον· τούτου τὸ ἐθνικὸν Καβείριος, ὡς τὸ Βυζάντιον, Βυζάντιος· καὶ Καβειρία τὸ θηλυκόν, καὶ Καβειριάς· [καὶ Νύμφαι Καβειρίδες ἀπὸ Καβείρους τῆς Πρωτέως καὶ Ἀγχινόης, ἀφ' ἧς καὶ Ἡφαίστου Κάδμιλος· ἐστὶ δὲ ἡ μὲν Καβειρὶς παρὰ τὸ Κάβειρος, ἡ δὲ Καβειριάς] παρὰ τὸ Καβείριος· τὸ κτητικὸν Καβειρικὸς καὶ Καβειρική· καὶ Καβειριάζεσθαι ῥῆμα.* (p. 343 sq.)

Quae cancellis circumsepsimus, desiderantur in edd., propter homoeoteteuton in repetito nomine *Καβειριὰς* omissa: praebet eadem *Perusinus*, differunt Palat. in Prosodia nominis *Καβείρους*, et in sequentibus, quae ita sunt immutata: *ἀφ' ἧς καὶ Ἡφαίστου Κάδμιλός ἐστι. Καὶ ἡ μὲν Καβειρὶς παρὰ τὸ Κάβειρός*, utrumque deterius. De re v. schol. ad *Apoll.*

*Rhod.* 1, 917., sed Cabiridum nympharum nomen alibi non deprehendimus *).

*Κάλυμνα, νῆσος, ἣν ὁ Σκήψιος πληθυντικῶς φησι Καλύμνας·* (*Καλύμνας φησί* edd.) [*τὸ ἐθνικὸν Καλύμνιος, ὡς Στράβων ι' τὸ Καλύμνιον μέλι ἐκεῖ εἶναι φησί.*] *Λέγεται καὶ Καλυμνία, τὸ ἐθνικὸν Καλυμνιάτης.* (p. 348.)

Idem e *Strabone*, 10. p. 489. D. additamentum habent *Perus.* et *Palat.*

*Κανταβρία, χώρα, Στράβων γ'. οἱ οἰκήτορες Κανταβροί,* [*ὡς τῆς Καλαβρίας Καλαβροί.*] (p. 352.)

Postrema verba, in quibus *Stephanum* facillime agnoscas, unus repraesentat *Rehd.*

*Κάτρη, πόλις οὐκ Ἰωνικὸν ἔχουσα τρόπον, ὡς Ἡρωδιανὸς περὶ τῆς Ὀλυκρῆς γράφων.* (p. 369.)

Haec editiones, quae corrupta esse nemo non videt: *Holstenius* sensui opitulaturus expungebat negationem, quod satis audacter factum locum clariorem non reddebat: omnes difficul-

---

*) Obiter monemus, vicinum vocabulum *Καινίτη*, p. 344. in uno *Rehd.* emendate scriptum exstare *Καινίνη*, quod ex conjectura restituerant editores. In memoriam nobis revocat laciniam quandam, fortasse *Aeliani*, quam in prooemio ad ind. lect. per aest. a. 1819. apud nos instit. ex alio cod. item *Rehdigerano* primum edidimus: *Ἐν Καννίνοις πίττης ὑγρᾶς κρατῆρες ἀναδίδονται,* quibus quid facerem me nescire tunc sum confessus: nunc quin emendandum sit *ἐν Καινίνοις* haud dubito. Sequentia quoque ejusdem anecdoti verba, *ἐν Περνίκῳ,* facili negotio corrigi possunt, scribas modo *ἐν Ἑρνικῷ.*

tates tollit cod. *Rehd.* uno vocabulo adjecto: *Κάτρη, πόλις Κρήτης, οὐκ Ἰωνικὸν ἔχουσα τρόπον κτλ.*

*Κάττουζα, [πόλις Θράκης, ἐν ᾗ κατῴκουν οἱ Πυγμαῖοι· οἱ οἰκήτορες Κάττουζοι·] ὅθεν δὲ τὰς γεράνους ὁρμᾶν τὸ χωρίον Ῥωκώλην* (*Ῥακώλην* edd.) *προςαγορεύεσθαι· ὑπὸ δὲ Καρῶν Τουσσύλοι ἐκαλοῦντο.* (p. 369.)

Priorem novae accessionis partem *Palatini* quoque exhibent, omittunt verba *οἱ οἰκήτορες Κάττουζοι:* dant praeterea *Κάττουσα* et *ὅθεν καὶ τὰς γ.* neutrum in melius. *Perusinus* cum impressis conspirare videtur.

*Καύκασος, τὸ ὄρος, [ὃ καὶ Παραπονησὸν καλοῦσι, τὸν κατὰ τὴν Ἀσίαν] ὄρων μέγιστον.* (p. 370.)

Etiam in his, quibus ceteri codd. carent, *Strabonem* lib. 11. p. 511. B. sequutus est noster, unde *Παροπάμισον* pro *Παραπονησὸν* legendum esse patet.

Alii ejusdem litterae sunt loci, quos laceros lacunososque esse primus aspectus docet, asteriscisque insuper defectus sedem pleraeque indicarunt editiones. Horum plurimi e nostro codice, Palatinis interdum addicentibus, certissimam medelam accipiunt. Sunt vero hi:

*Καυλωνία, — ἀπὸ τῆς αὐλῶνος ὕστερον μετωνομάσθη Καυλωνία, ὡς ἀπὸ Μετάβου ἥρωος τὸ Μεταπόντιον, καὶ Ἐπίδαυρος ἐπίταυρος, καὶ Κλαζομεναί . . .* (p. 371.) Desideratur

hic in edd. vocabulum, unde *Κλαζομενῶν* nomen repetatur, nec fugit hoc *Pinedonem*, qui, ut locus sine impedimento legi possit, Clazomenas delendas esse censet. *Rehdigeranus* vero, adstipulantibus *Palat.* et *Perus.*, veram servavit lectionem, *καὶ Κλαζομεναὶ πλαζομεναί.*

*Κράμβουσα*, — *τὸ ἐθνικὸν Κραμβούσης ἢ* . . . (p. 383.) *Rehd.* emendatius et plenius: *τὸ ἐθνικὸν Κραμβούσιος ἢ Κραμβουσαῖος*, nec aliter *Palat.*

*Κρουσίς*, — *τῷ τοπικῷ ἔθει Κρουσιδεύς, ὡς Χαλκιδεύς. Ἔστι δὲ Κρου . . . ἔστι θηλυκὸν ὁμώνυμον Κρουσὶς γῆ.* (p. 390.) Vnam litteram addit *Perus.* *ἔστι δὲ Κρους . . .*, *Palat.* nihil adjumenti praebent, *Holstenius* conjiciebat: *ἔστι δὲ καὶ Κρουσαῖος*, alii aliter. Sed omnia conamina irrita reddit *Rehd.* *τῷ τοπικῷ ἔθει Κρουσιδεύς, ἔστι δὲ Κρουσεύς· καὶ ἐστὶ θηλ. ὁμών. Κρουσὶς γῆ.* Haec vult: ex analogia topicorum (*κατὰ τέχνην*) gentile *debebat esse* Crusideus, quale a Chalcide Chalcideus; *est* vero Cruseus, quibus simillima sub v. *Βύζαντες, Γάγγρα, Γαργαρεῖς*, et alibi observata sunt. Cave igitur infarcias voculam *καί*, qua tota sententia perturbatur: docent enim verba codicis nostri, formam regulae convenientiorem Crusideus in usu non fuisse *).

---

*) In vocabulo, quod huic praecedit, *Κρότων*, pro vulgari *ἐπὶ τοῦ φθαρτοῦ τῶν Κανῶν*, praebet *Rehd.* id quod suspicatus erat *Salmasius*, *τῶν κυνῶν.*

*Κύδραι*, *πόλις τῆς Δω... Στράβων β'.* (p. 393.) *Rehd.* *Κύδρα, πόλις τῶν Δω. ωπων, Στράβων ζ'.* Eundem libri numerum *Perus.* cum ed. princ. agnoscit, restitueratque *Holstenius*, una cum recentioribus *Strabonis* editoribus haec referens ad lib. 7. p. 327. C. ubi *Κύδριαι τῶν Βυρσῶν* enumerantur, nunc vero ex *Gemisto Plethone τῶν Βρυγῶν* sive rectius cum *Corayo* T. IV. pag. 126. *Βρύγων* scriptum invenitur. At quod uno consensu post *Casaubonum Straboni* e *Stephano Κύδραι* obtruserint, apud *Stephanum* contra e *Strabone πόλις τῶν Βρυγῶν* rescripserint, magnopere improbamus. Quis enim nobis sponsor exsistit, Cydram sive Cydras et Cydrias unam eandemque esse urbem? et quonam artificio e vestigiis scripturae apud *Stephanum* Brygum nomen elicias? Nobis verba *Strabonis*, ex quibus sua derivaverat *Stephanus*, intercidisse videntur: quod si qui temerarium desperatumque commentum esse putent, meminerint ii, *Stephanum* haud dubie integrius quam nos et plenius *Strabonis* exemplar possedisse. Nam ea quoque, quae sub v. *Κρουσίς* ex eodem *Strabonis* libro septimo attulit *Stephanus*, in nostro *Strabone* non leguntur, in quo ne nomini quidem *Crusidis* servatum est. Vtrumque igitur locum secum abstulisse videntur ea, quae in extremo libro septimo, p. 339. C. perierunt: in quibus quum necessario sermo fuerit de regionibus quibusdam Thessaliae, Macedoniae, Thraciae,

16

a vero fortasse haud multum aberrabimus, si defectum apud *Stephanum*, unde huc devenimus, ita explere conamur: *Κύδρα, πόλις τῶν Δολόπων, Στράβων ζ'.*

His ex una littera delibatis subjungimus farraginem variarum ad librum decimum lectionum, quotquot hactenus e codd. mss. enotatae sunt. Comprehendit liber X. vocabula inde a *Βρίγες* usque ad *Γαῦλος*, p. 184 — 200.

p. 184. vocabulo *Βρίγες* haec minio superscripta sunt:

*ἀρχὴ τοῦ τ̆* **Rehd.**

B. 10. *ἀπὸ Φρύγου*] *ἀπὸ Βρίγου* *Rehd. Pal. Per.* bene.

C. 13. *Ἡρωδιανὸς*] *Ἡρωδιανὸς δὲ* *Rehd. Pal.* bene.

*κλίσεως*] *κλήσεως* *Rehd.* frequenti errore.

15. *ὀνόματα*] deest in *Rehd.* bene.

*μόνον*] *μόνος* *Rehd.* — Lacuna post *Βρεττανικὸν οἱ ...* codd. omnibus est communis.

p. 185. A. v. 1. *Βρικιννία*] *Βρικιννίαι* *Pal.*

B. 5. 6. *Βρούσου Ἠμαθίου*] *Βρίσου Ἱμαθίου* *Rehd.*

7. *διὰ τοῦ ο*] *διὰ τοῦ υ* *Rehd. Pal. Per.*

8. *Βαίτιος*] *Βέτιος* *Rehd.*

C. 11. *Πολτυμβρία*] *Πολτιμβρία* *Rehd.*

D. 17. *Βρυάνιος*] *Βριάνιος* *Rehd.*

ὡς *Βυζάντιος*] ὡς *Βυζάνιος* ***Rehd. Pal.*** jam a ***Salmasio*** probatum.

18. 19. *Βρυγίας* — *Βρύγιος*] *Βριγίας* — *Βρίγιος* ***Rehd.***

E. 21. *τὸ ἐθνικὸν καὶ Βρυγιεύς*] *τὸ ἐθνικὸν Βρύγιος καὶ Βρυγιεύς.* ***Rehd. Pal. Per.***, quod necessarium supplementum.

25. *Ἔφορος δὲ ἐν πέμπτῃ Κεῖον αὐτήν φ.*] *Ἔφορος δ' ἐν τῷ ε Κεῖον αὐτόν φ.* ***Rehd.*** dummodo legas *αὐτό*, nihil deterius: *ἐν τῇ πέμπτῃ* ***Per.***

F. 27. *ἐν ᾗ*] *ἐφ' ᾗ* ***Rehd.*** bene.

29. *τοῦ Βρύξ*] *τοῦ Βρίξ* ***Rehd.***

p. 186. B. v. 7. *Βύβη*] *Βύβα* ***Pal.***

8. *Βυβαῖος*] *Βιβαῖος* ***Rehd.***

8. *Εἰσὶ δ' ἔθνος Θρακικόν*] *εἰσὶ δὲ ἔθνος Θράκης* ***Rehd.*** nec deterius.

9. *ἐθνικὸν Βύβαι*] *ἐθνικὸν αἱ Βύβαι* ***Rehd.***

10. *Βύβασσος*] *Βυβασσός* ***Rehd.***

C. 11. *περισώσαντος*] *παρασώσαντος* ***Rehd.***, quod lexicis certe incognitum.

D. 17. *Βύβλος δὲ*] *Βίβλος δὲ* ***Rehd.***

18. *ἀρχαίας βίβλου*] *ἀρχαίης βύβλου* ***Rehd.***

19. *Ἶσις*] *Ἶσιν* ***Rehd.***

a vero fortasse ha
defectum apud *St*
ita explere con
πων, Στράβ
His e
raginem
quotq
Cor
v

ι.
;] *Βίβλιος*
ης ἡ πόλις] ἀφ'
*Rehd. Per.* recte.

9. Σύρτεις] *Τύρσεις Rehd.*

C. 10. 11. *Σύρτεις, ἐν δυοκαίδεκα σταδίοις μὲν οὖσαν τὴν περίμετρον, δύο δὲ τῷ σχήματι περιφερής*] *Τύρσεις ἐν ιβ' σταδίων μὲν οὖσα τὴν περίμετρον β'. τῷ δὲ σχήματι περιφερής. Rehd.*, quae egregia est et unice vera emendatio vulgatae corruptissimae frustraque a *Salmasio* tentatae, dummodo numerorum rationem recte interpretere: nam *ἐν ιβ'* est *ἐν δυοκαιδεκάτῳ* (*βιβλίῳ Πολυβίου*) quod commate separandum a sequentibus, *͵β* vero — sic enim lineola subtus collocata scribendum, — pro *δισχιλίων* (*σταδίων*) positum: nunc omnia expedita: *Πολύβιος δὲ Βυσσαλάδα χώραν εἶναί φησι περὶ τὰς Σύρτεις ἐν δυοκαιδεκάτῳ· σταδίων μὲν οὖσα τὴν περίμετρον*

ἁδραηνός *Rehd. Pal.*

ˈδαρηνός, v. *Steph.*

ˈις extr. p. 22., ubi

ˈonis τρίτης Πα-

ˈostro firmatur.

vˈ ˈυπολιν ἔχων

tantˈ ˈa esse quis

tinet. ntur una

13. ἱμάτια δ' ἐκ. ˈῦλος δὲ

14. ἐνδοτέρῳ. — Βυˈ (i. e.

τέρῳ. — Μυζακηνωˈ ˈdem

recte. 7.

E. 24. ἰχιθῦς] ἰχθύς *Rehd.* recte.

βόσκουσι] βόσκονται *Rehd. Per.*

p. 188. A. 1. στέλλουν] στέλλεν *Rehd. Pal.*, unde στέλλειν efficiendum esse suspicamur.

3. Κροέσσης] Κεροέσσης *Rehd. Pal.* recte.

4. Ἰοῦς] Ἠοῦς *Rehd.*, sed ab eadem manu Ἰ superscr.

5. τῆς Βύζης] Βύζης, articulo omisso, *Rehd.* recte, longeque aptius conjectura *Meursiana* τις Βύζης.

B. 6. ἐκεῖ] ἐκεῖσε *Rehd.*

E. 23. Ἔφορος κξ] Ἔφορος κζ', *Rehd. Per.* recte.

p. 189. A. 3. Βυζός] Βυσσός *Rehd.* litterarum ordine sensuque loci jubente.

4. τὸ μέν τοι Βύσσος βαρύνεται] τὸ

20. ἦν βυβλίον] ἦν βιβλίον *Rehd.*

E. 22. ἀνέτραφε] ἀνέτρεφε *Rehd.*

Βύβλιος] Βίβλιος *Rehd.*

p. 187. A. 1. 2. Σκυθικὸν ἔθνος] ἔθνος Σκυθικόν *Rehd.*

3. Βύβλιος] Βίβλιος *Rehd.*

B. 6. ἀφ' ἧς ἡ πόλις] ἀφ' οὗ ἡ πόλις *Rehd. Per.* recte.

9. Σύρτεις] Τύρσεις *Rehd.*

C. 10. 11. Σύρτεις, ἐν δυοκαίδεκα σταδίοις μὲν οὖσαν τὴν περίμετρον, δύο δὲ τῷ σχήματι περιφερής] Τύρσεις ἐν ιβ' σταδίων μὲν οὖσα τὴν περίμετρον β'. τῷ δὲ σχήματι περιφερής. *Rehd.*, quae egregia est et unice vera emendatio vulgatae corruptissimae frustraque a *Salmasio* tentatae, dummodo numerorum rationem recte interpretere: nam ἐν ιβ' est ἐν δυοκαιδεκάτῳ (βιβλίῳ Πολυβίου) quod commate separandum a sequentibus, ͵β vero — sic enim lineola subtus collocata scribendum, — pro δισχιλίων (σταδίων) positum: nunc omnia expedita: Πολύβιος δὲ Βυσαλάδα χώραν εἶναί φησι περὶ τὰς Σύρτεις ἐν δυοκαιδεκάτῳ· σταδίων μὲν οὖσα τὴν περίμετρον

*διςχιλίων, τῷ δὲ σχήματι περιφερής.* Lucramur hinc fragmentum ex deperdito *Polybii* libro duodecimo, quod antehac nec legi nec intelligi poterat, nunc vero codicis nostri beneficio ne tantillum quidem difficultatis retinet.

13. *ἱμάτια δ' ἐκ.*] *ἱμάτια δὲ ἐκ. Rehd.*

14. *ἐνδοτέρῳ. — Βυζακηνῶν*] *ἐνδοτέρῳ. — Μυζακηνῶν Rehd.* prius recte.

E. 24. *ἰχθῦς*] *ἰχθύς Rehd.* recte.

*βόσκουσι*] *βόσκονται Rehd. Per.*

p. 188. A. 1. *στέλλουν*] *στέλλεν Rehd. Pal.*, unde *στέλλειν* efficiendum esse suspicamur.

3. *Κροέσσης*] *Κεροέσσης Rehd. Pal.* recte.

4. *'Ιοῦς*] *'Ηοῦς Rehd.*, sed ab eadem manu *'Ι* superscr.

5. *τῆς Βύζης*] *Βύζης*, articulo omisso, *Rehd.* recte, longeque aptius conjectura *Meursiana τις Βύζης.*

B. 6. *ἐκεῖ*] *ἐκεῖσε Rehd.*

E. 23. *"Εφορος κξ*] *"Εφορος κζ', Rehd. Per.* recte.

p. 189. A. 3. *Βυζός*] *Βυσσός Rehd.* litterarum ordine sensuque loci jubente.

4. *τὸ μέν τοι Βύσσος βαρύνεται*] *τὸ*

*μέντοι θηλυκὸν Βύσσος βαρύνεται Rehd. Pal.*, quod necessarium est additamentum: distinguit enim auctor prosodiam Byssi, gentis, et Byssi, plantae Indicae, *ἀφ' οὗ καὶ βύσσινον.*

B. 7. *οἱ δ' ὀρθῶς*] *οἱ δὲ ὀρθῶς Rehd.*

C. 13. *Βολίγγῃσι*] *Βωλίγγῃσι Rehd.* recte: altera tamen macula residet adhuc, particula *δή*, qua deleta sic legendus erit Bassaricorum versus:

*Καὶ τότε Βωλίγγῃσι μετ' ἀνδράσι Τέκταφος ὦρτο.*

D. 16. *Βωμιεῖς*] *Βωμεῖς Per.*

*Βωμιῆς καὶ Καλλιῆς*] *Βωμίῃς καὶ Καλλίῃς Rehd.*

20. *οἰκοδομητός*] *ὠκοδομητός Rehd.*

E. 22. *αἰχμαλωτίσι*] *αἰχμαλώτῃσι Per.*

F. 29. *ἐν τῇ Τεγέᾳ*] *ἐν Τεγέᾳ Rehd.* bene.

Post haec:

*τέλος τοῦ β στοιχείου.*

*ἀρχὴ τοῦ γ στοιχείου.*

p. 190. A. 5. *Γαβηνός*] *Γαβαηνός Rehd. Pal. Per.* et sic *Flav. Ioseph.* archaeol. Iud. 5, 2. cujus auctoritate usus est noster: *Salmasius* quoque ita legendum esse viderat.

C. 12. *Ἑκαταῖος θηλυκῶς*] *θηλυκῶς Ἑκαταῖος Rehd.* haud deterius.

D. 17. *καὶ τὸ ἐθν.*] *τὸ ἐθν. Per.*

p. 191. A. 1. *Ἀδρηνός*] *Ἀδραηνός* ***Rehd. Pal. Per.*** lege *Ἀδαρηνός*, v. ***Steph.*** v. *Ἀδάρου πόλις* extr. p. 22., ubi conjectura ***Pinedonis*** *τρίτης Παλαιστίνης* codice nostro firmatur.

B. 6. *Σαῦλος δὲ εἰς Γαβαούπολιν ἔχων ἧκε.*] quae sensu cassa esse quis non videat? Restituuntur una littera addita a ***Rehd.*** *Σαῦλος δὲ εἰς Γαβαούπολιν, ἔχων χ', (i. e. ἑξακοσίους) ἦλθε*, quibus fidem addit ***Ioseph. archaeol.*** Iud. 6, 7.

10. *Γαβίται*] *Γαβῖται* ***Rehd.*** recte.

D. 20. *ἐνδεᾷ*] *ἐνδεᾶ* ***Rehd.*** recte.

p. 192. A. 2. *πρός τινα βάτον πορευομένην*] rectius jam ***Per.*** *πρός τινα πρόςβατον πορευομένην*, ubi tamen substantivum desideratur: integritatem ***Rehd.*** demum loco restituet, *πρός τινα πρόςβατον πέτραν πορευομένην.*

4. *αἶγα*] *αἶγαν* ***Rehd.***, quod ut in recentiore auctore minime spernendum, v. de nominativo *αἶγα*, quo lexica nostra carent, ***Valcken. anim.*** ad ***Ammon.*** 3, 18. p. 230. et ***Corayum*** ad ***fab. Aesop.*** p. 419.

B. 8. *οὕτω*] *οὕτως* ***Rehd.***

C. 13. *καὶ Ἐδεσσηνός*] male omisit ***Rehd.***

τῷ τῆς χώρας] τῶν τῆς χάρας *Pal.* male.

D. 20. τετάρτῃ] ἐν δ' *Rehd.* bene.

E. 22. πόλις καὶ νῆσος] νῆσος καὶ πόλις *Rehd.*

p. 193. A. 1. περιμήκης οὖσα ταινία τῆς γῆς δειρά] περιμήκης, ὡς οὖσα ταινία τῆς γῆς δειρά *Per.* melius, sed obstante adhuc nominativo importune geminato: optime igitur *Rehd.* στενὴ καὶ περιμήκης, ὡς οὖσα γῆς δειρά, quae nominis *Gadeira* etymologiam continent, *terrae* quasi *collum*, conf. *Eustath.* ad *Dion. Perieg.* 11. 65. ταινία vero, in nostro cod. a juniore glossatoris manu inter lineas appositum, inde in codd. recentiores irrepsit, et horum auctoritate editiones occupat. Tunc tantum ταινία defendi potest, si statim post περιμήκης ante ὡς inseritur.

2. ἡ Γάδειρα] ἡ Γάδειρος *Rehd. Per.* rectius.

5. Γαδειρέως] Γαδαρέως *Rehd.*

B. 6. λέγεται] καὶ γεται *Rehd.*

7. 8. ἀπὸ τοῦ Γάδειρα θηλυκοῦ· καὶ Γαδειρανοί.] ἀπὸ τοῦ ἡ Γάδειρα εὐθείας· καὶ Γαδειρηνή. *Rehd.*

9. *ἐν Μαρικᾷ*] *Μαρικᾷ* *Rehd.* bene.

C. 12. *Γάδαρα*] *Γάδρα* *Rehd.* *Pal.* ordine litterarum flagitante.

14. *Γαδαρηνός*] *Γαδρηνός* *Rehd.* *Pal.* recte.

D. 16. *πρὸ τῆς Αἰγύπτου*] *πρὸς τῆς Αἰγύπτου*, *Rehd.* bene.

p. 194. A. 2. *ἐκ τῆς Ἰοῦς*] *ἀπὸ τῆς Ἰοῦς* *Rehd.* rectius.

4. *ἐκλήθη δὲ καὶ*] *ἐκλήθη καὶ* *Rehd.* bene.

6. *καὶ τὸ τοῦ Κρητ.*] *καὶ τοῦ Κρητ.* *Per.*

7. *Μαρνάν*] *Μαρνᾶν* *Rehd.*

8. *Κρηταγενῆ*] *κρητανῆ* *Rehd.*

9. *οὕτω*] *οὕτως* *Rehd.*

11. *Γαζίται*] *Γαζῖται* *Rehd.* bene.

12. *Γαζίται*] *Γαζῖται* *Rehd.* bene.

12. 13. *Καὶ ἔστιν ὅμοιον τῷ Αἰγινῆται, καὶ Γαζαῖοι. Οἱ δὲ κέραμοι, Γαζῖται καὶ Αἰγιναῖοί εἰσι. Καὶ διὰ τοῦ η*] longe emendatiora haec et ultra dimidium aucta habentur in *Rehd.* et *Per.* *Καὶ ἔστιν ὅμοιον τῷ Αἰγινῆται, καὶ Αἰγιναῖοι κατὰ τὴν διαφοράν· ἐναντίος δὲ τὸ τῶν τύπων· οἱ μὲν γὰρ πολῖται Αἰγινῆται καὶ Γαζαῖοι· οἱ δὲ κέραμοι Γαζῖται καὶ Αἰγιναῖοι. Εἰσὶ καὶ*

*διὰ τοῦ η κτλ.*, quae sunt egregia, modo emendes cum *Iac. Gronovio ἐναντίον* pro *ἐναντίος*.

16. *Γαζάται*] *Γαζᾶται Rehd.* bene.

19. *Παρθικῶν*] *παρθενικῶν Per.*

25. *πολεμίσασα*] *πολεμήσασα Rehd.*

28. sq. Elegantes hos e *Dionysii Bassaricis* versus misere truncatos, sensu aeque ac rhythmo laborantes praebent edd.

*Γήρειάν τε, Ῥοδόην τε, καὶ οἳ ... τείχεα Γάζον,*
*τοῖόν μιν κλαυτοῖο λινοῦ πέρι τεῖχος ἐέργει,*
*Ἀστύφελον δήοισι, καὶ εἰ παγχάλκεον ἦεν,*
*Ὡς μὲν μάλα δή τι διαμπερὲς ὀργυῆσι*
*Μετρητὸν πισύρεσσι. Ἀτὰρ μῆκός τε καὶ ἰθύν,*
*Ὅσσον ἀνὴρ δοιοῖσιν ἐν ἠελίοισιν ἀνύσει,*
*Ἠῶθεν κνέφας ἄκρον ἐπειγόμενος ποσὶν οἶσι.*

Nihil his auxilii afferunt *Palatini*, nec multum *Perusinus*, qui v. 1. prius *τε* recte omittit, v. 2. propius ad verum accedens *κλαυστοῖο* praebet, v. 6. *ἄνυσσα*, quod haud ferendum, v. 7. *οἷσιν*, quod sensus poscit: locos gravioribus mendis occupatos nec nisi codicum ope sanandos plane intactos relinquit. Iam vide, quam egregie omnia in *Rehdigerano* nostro concinant:

*Γήρειαν, Ῥοδόην τε καὶ οἳ λινοτείχεα Γάζον.*
*Τοῖόν μιν κλωστοῖο λινοῦ περὶ τεῖχος ἐέργει,*
*Ἀστύφελον δήοισι, καὶ εἰ παγχάλκεοι εἶεν.*
*Εὖρος μὲν μάλα δή τι διαμπερὲς ὀργυιῇσι*
*Μετρητὸν πισύρεσσιν· ἀτὰρ μῆκός τε καὶ ἰθὺν*

*Ὅσσον ἀνὴρ δοιοῖσιν ἐν ἠελίοισιν ἀνύσει,*
*Ἠῶθεν κνέφας ἄκρον ἐπειγόμενος ποσὶν οἷσι.*

In his nihil reliquum factum est manibus emendatricibus, nisi v. 6. *ἀνύσει*, quod ut versus constet in *ἀνύσσει* mutandum. Hoc tamen non reticendum, *Falkenburgium* ad *Nonn. Dion.* 26, 56. p. 888. (ex quo loco tria adjectiva ejusdem etymi, *λινοερκής*, *λινόπλεκτος*, *λινόχλαινος* lexicis addantur aut dubiis eximantur) *λινοτείχεα*, et *Salmasium*, in reliquis a vero longe aberrantem, *κλωστοῖο* conjectura assequutum esse. Nec in reliquis fragmentis *) docti hujus et in pangendis versibus suavissimi poetae, cujus ex uno fere *Stephano* notitiam habemus, codicem inspexisse poenituit: ita v. *Ἔμισα*, p. 262. firmat emendationem *Holstenii*, *ἐξ ἀντολίης*, siquidem auctor versus noster est *Dionysius:* v. *Ἐρύσθεια*, p. 274. cum *Palat.* in vera nominis *Ὑλάταο* scriptura consentit: v. *Κάσπειρος*, p. 365. habet, quod versus poscit, *ποσὶ κλειτοί*, accedentibus *Pal.* et *Per.* Vbi vero maxime boni libri auxilium exoptaveris, in pessime habitis *Dionysii* versibus, v. *Δαρσανία*, p. 223.

---

*) V. *Δαρσανία*, *Δρεσία*, *Ἔμισα*, *Ἐρύσθεια*, *Καρπασία*, *Κάσπειρος*, *Ὤδονες*, etc. *Samium* Bassaricorum auctorem facit *Eustath.* in proleg. ad *Dion. Perieg.* p. 6. a *Steph.* asperitatem carminis vituperans. Hinc fortasse contigit *Nonno*, *Dionysii* imitatori, dum duritiem sedulo vitaret, dulcedini studeret, *Bassaricorum* opus cito ex hominum memoria deturbare, eorumque in locum *Dionysiaca* sua sufficere.

. οἱ Δαρσανίην ναῖον πόλιν εὐρυάγυιαν,
Ἔνθατε πέπλα γυναῖκες Ἀθηναίης ἰότητι
Αὐτῆμαρ κροκόωσιν ἀφ' ἱστοπόδων τανύουσαι,
Αὐτῆμαρ δ' ἐτάμοντο . . . . . ἐρύσαντο,

in his codicum ope plane nos destitutos videmus: nihil enim conferunt, nisi quod initio v. 1. *Per.* ἤ οἱ, *Rehd.* οἵη, et v. 3. idem ἱστοπέδων praebeat, omnia male. Quum igitur in his audacioribus nobis esse liceret, salvo postliminii jure locum ita refinximus et supplevimus:

ἠδ' οἳ Δαρσανίην ναῖον πόλιν εὐρυάγυιαν,
ἔνθα τε πέπλα γυναῖκες Ἀθηναίης ἰότητι
αὐτῆμαρ κροκόωσιν ἐφ' ἱστοπόδων τανύουσαι,
αὐτῆμαρ δ' ἐτάμοντο, καθ' ἱστοπόδων τ' ἐρύσαντο *).

p. 195. B. 7. *Γαιτοῦλοι*] *Γατοῦλοι* *Rehd.*
8. φησιν] φησι *Rehd.*
9. *Γαιτυλία*] *Γαιτουλία* *Rehd.* recte.
μεγάλοι] μέγιστοι *Rehd. Per.* bene.
D. 17. *Σᾶναι Γαλάδρης*] *Σῖναι Γαλάδρος*, *Rehd. Pal. Per.* versus est *Lycophr.* 1444.
20. ὅτι *Γαλάδρας*] ὅτι ὁ *Γαλάδρας* *Rehd. Per.* bene.
p. 196. A. 3. ἐν τρίτῳ] ἐν τῷ γ' *Rehd. Per.*
*Γαλαδραικόν*] *Γαλαδρικόν* *Rehd.*

*) Lepido errore κροκόωσιν a *Pinedone* redditum: *croco tingunt:* similia sunt παρορράματα *Laurentii Vallae* in *Herodoto* 7, 18. πεσόντα πρήγματα ὑπὸ ἡσσόνων, *sub Hessonibus*, aut 7, 25. πρητήριον, *praetorium* vertentis, et *Dalecampii*, qui *Athen.* p. 470. B. ex *Mimnermo* ἐν Ναννοῖ *Mimnermum in pumilionibus* procudit.

B. 6. *Γαλαρίνη*] *Γαλαρήνη* *Rehd.*
10. *καταλαβόντες*] *καταβόντες* *Rehd.*
C. 15. *Γαλέου*] *Γάλλου* *Rehd.*
D. 17. *Τελμισσοῦ*] *Τελμησσοῦ* *Rehd.*

p. 197. A. 1. *ὁ Ἀσκαλαβώτης*] *καὶ ὁ ἀσκαλαβώτης* *Rehd. Per.* recte: facit huc *Aristoph. Nub.* 171. sq.
4. *ἴσως διαπεποίκιλται*] *ἴσως διὰ τὸ πεποικίλθαι*, *Rehd.* egregia correctio, quae *Salmasio* ex parte tantum bene processerat.
5. *ἰχθῦσι*] *ἰχθύσι* *Rehd.* recte.
B. 6. *τί λέγεις σὺ μάντις,*] *τί λέγεις. σὺ μάντις.* *Rehd.* bene, semper enim pro interrogationis signo puncto utitur: *μάντεις*, *Pal.*
7. *σοφώτατοι*] *σοφώτατον* *Rehd.*
10. *τὸν δὲ ἐπὶ δ.*] *τὸν δ' ἐπὶ δ.* *Rehd.*
C. 11. 12. *βωμὸν ἐνταῦθα ἱδρῦσαι*] *ἐνταῦθα βωμὸν ἱδρύσαι* *Rehd.* bene.
13. *ἐν Καρίᾳ ἦλθεν*] *ἦλθεν ἐν Καρίᾳ* *Rehd.*
14. *Τελμισσίου*] *Τελμισίου* *Rehd.*
D. 18. *τὰ δ' ἐς ψος*] *τὰ δὲ ἐς ψος* *Rehd.*
19. *καὶ κύριον*] *καπνον* *Per.* vitiose.

p. 198. A. 2. *Αὐξίθεμιν*] *Αὐξήθεμιν* *Rehd.*

p. 199. A. 1. 2. *οἱ περίοικοι προμαθίδαν Ποταμογαλληνοί*] *Pinedo*, Augiae

hoc stabulum repurgaturus, conjecit: *οἱ περιοικοῦντες τὸν ποταμὸν Ποταμογαλληνοί*, satis inepte: propius ad rem *Salmasius: οἱ περίοικοι κατὰ Προμαχίδαν Ποταμογαλληνοί.* At locum in edd. non vitiosum tantum, sed etiam mancum esse, praeclaro cod. *Rehd.* supplemento edocemur, in quo haec leguntur:

> *οἱ περίοικοι κατὰ μὲν τιμόθεον ποταμογαλλῖται· κατὰ δὲ προμαθίδαν ποταμολῆνοί* (ubi *Ποταμογαλλῆνοί* verum erat, exciderat syllaba in fine versus, v. tab. lithogr. nr. I.)

*Timotheus*, qui hic testis adducitur, haud dubie Milesius ille est citharoedus, de quo in *Melet. crit.* in *Aeschyli Pers.* p. 44. diximus, quibus addas quae ab *Harlesio* ad *Fabr. bibl. Graec.* T. III. p. 478. ab *Astio* ad *Plat. de republ.* 4, 3. p. 483. a *Goerenzio* ad *Cic. de legg.* 2, 15. et a *Iacobsio* ad *Anthol. Palat.* app. 295. T. III. p. 948. sq. disputata sunt. *Timothei* epitaphium servavit *Stephanus*, v. *Μίλητος*, p. 467. in cujus metro restituendo frustra laboravit *Meinekius cur. crit. in Comic. fragm.* p. 20. articulum recte extrusit *Iacobsius*, nec comparet ille in *Rehd.*

*Promathidas* vero haud dubie idem est, quem *Athen.* 11. p. 489. B. *Heracleotam* vocat: narrat *Promathidam* structuram poculi cujusdam ex genere eorum, quae *Νεστορίδας* appellarent, exposuisse: quod quum inter cimelia *Dionysii*

*Thracis* grammatici fuerit, inde colligi potest, vixisse *Promathidam* paullo ante tempora Augustea: plura de hoc homine cognita non habemus.

5. *Τυρίαν*] *Τηρίαν Rehd.*

B. 7. *ἀπὸ ἐκείνου*] *ἀπ' ἐκείνου Rehd.* bene.

10. *ἐν τετάρτῳ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας*] *ἀρχαιολογίας δ' Rehd.*

C. 13. *γράφεται δὲ*] *γράφεται*, omisso *δέ Rehd.*

D. 16. *Γανδαρίοι*] *Γανδάρειοι Rehd.*

18. *ἔθνος Ἰνδῶν*] *ἔθνος Πάρθων Rehd. Per.*

20. *Γανδάρας*] *Γάνδαρας Rehd.*

p. 200. B. 7. *Ἀλκμᾶν*] *Ἀλκμὰν Rehd.* recte, v. *Welcker.* ad *Alcm. fragm.* p. 1. 2.

8. *ὠνομάσθη δ' ἀπὸ Γ.*] *ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Γ. Rehd.*

10. *ἐκεῖ δὲ*] *ἐκεῖ καὶ Rehd.*

D. 16. *τὸ δ' ἀκρ.*] *τὸ δὲ ἀκρ. Rehd.*

E. 17. *θηλυκῶς*] *θηλυκὸν Rehd.*, sed superscr. *ῶς.*

18. *Γαργαρεῖς*] *Γαργαρίς Rehd.*

29. *Στράβων τεσσαρεςκαιδεκάτῃ*] *Στράβων ιά Rehd. Per.* et recte quidem: *Strabonis* locus exstat lib. 11. p. 504. B.

p. 201. A. 1. *κατὰ τέχνην, ὡς Μεγαρίς*] desunt in *Rehd.*

4. *Λιβυκῶν*] *Λυβικῶν* *Rehd.*

B. 6. *Γαργηττός*] *Γαργητός* *Rehd.*

8. *Γαργήττιος*] *Γαργήτιος* *Rehd.*

9. *Γαργήττηθεν*] *Γαργιτίηθεν* *Rehd.*

10. *Γαργηττόνδε, Γαργηττοῖ*] *Γαργηττόνδε καὶ Γαργηττοῖ* *Rehd.* bene.

C. 11. post *φασι* lacunam quatuor aut quinque verborum habet *Pal.* alter.

12. *τὸ τοῦ Εὐρ.*] *τὸ Εὐρ.* *Rehd.* *Per.* *κεῖσθαι*] *κῦσθαι* *Per.*

14. *Θεόπομπος εἰκοστῇ τετάρτῃ*] *Θεόπομπος νδ'* *Rehd.*, quem numerum verum esse arguit congruum *Athenaei* testimonium, 3. pag. 77. D.

15. *Γαυγάμιλα*] *Γαυγάμηλα* *Rehd.* bene.

*τέλος τοῦ ι βιβλίου.*

Haud abs re erit', e sequenti libro unum locum his subjunxisse, ex quo patebit, *Eustathium* eandem plane epitomes recensionem ob oculos habuisse, quam codex *Rehdigeranus* sequutus est. Etenim in *parecbolis* ad *Iliad.* 2, 749. p. 254, 12. *Bas.* monuit haec: *λέγει ὁ τὰ Ἐθνικὰ γράψας, ὅτι Αἰολεῖς ὄντες οἱ Περῤαιβοὶ*

*ἐδίπλουν τὰ σύμφωνα, Πεῤῥαιβοὺς ἑαυτοὺς καλοῦντες, καὶ πόλιν Γόννον παρ' αὐτοῖς οὖσαν, καὶ γόννατα,* de quibus *Wesselingius* ad *Herodot.* 7, 127. recte observavit, esse haec e *Stephano*, verum integriore, quam nunc legatur. Pertinent enim ad v. *Γόννοι*, p. 211. ubi in edd. haec reperiuntur:

*Γόννοι, πόλις Πεῤῥαιβίας, ἀπὸ Γουνέως κληθεῖσα τοῦ ἀπογόνου Κύφου, ὥς φησιν Ὅμηρος. Ὁ πολίτης, Γόννιος· καὶ Γοννία, ἡ γυνὴ, καὶ ἡ χώρα. Γράφεται δὲ καὶ μετὰ τοῦ υ. Τοὺς δὲ Πεῤῥαιβοὺς καλοῦντας ἑαυτούς. Καὶ Γόννον διὰ δύο ν, τὴν πόλιν. Γόνα γὰρ οἱ Αἰολεῖς τὰ γόνατα. Κτλ.*

Nihil in his a vulgatis differt *Perusinus*, *Palatini* lacunam certe indicarunt ante *καλοῦντας:* sed audiamus jam *Rehdigeranum:*

*Γόννοι πόλις Πεῤῥαιβίας, ἀπὸ Γουνέως κληθεῖσα τοῦ ἀπογόνου Κύφου, ΟΥ φησιν Ὅμηρος· ὁ πολίτης ΓΟΥΝΙΟΣ, καὶ ΓΟΥΝΙΑ ἡ γυνὴ καὶ ἡ χώρα· γράφεται δὲ καὶ ΧΩΡΙΣ τοῦ υ. Τοὺς δὲ Πεῤῥαιβοὺς ΑΙΟΛΕΙΣ ΟΝΤΑΣ ΤΑ ΣΥΜΦΩΝΑ ΔΙΠΛΟΥΝ ΚΑΙ ΠΕΡΡΑΙΒΟΥΣ καλοῦντας ἑαυτούς, καὶ Γόννον διὰ δύο νν, τὴν πόλιν· ΓΟΝΝΑ γὰρ οἱ Αἰολεῖς τὰ γόνατα. Κτλ.* In quibus quot discrepantiae, tot sunt emendationes, eaeque tam perspicuae, ut ne verbum quidem addamus.

Haec igitur quamvis sexagesimam vix totius voluminis partem complexa nihilominus sufficient

ad probandam nostram de codice ***Rehdigerano*** sententiam, in hoc uno comprehensa esse, quaecunque bonae frugis nunc in ***Perusino***, nunc in ***Palatinis*** dispersa deprehendantur, ita ut horum virtutes in se conjunxisse dici queat, multa autem et haud raro praestantissima huic nostro propria esse atque peculiaria: quae ex interpolatione profecta non esse quum res ipsa doceat, ***Rehdigeranum*** ax antiquissimo omnium fonte manasse, codicibusque ceteris, quos novimus, longe praestare, nec sine ejus adminiculo novam ***Stephani*** editionem, qua aegre caremus, in communem litterarum utilitatem posse adornari.

Multo quidem parcior librorum manuscriptorum est numerus in secunda hujus urbis bibliotheca ad aedem ***Stae Mariae Magdalenae***, sed pretium singulorum haud infra ***Rehdigeranos***. Verum inter reliquos, sive argumenti dignitatem et varietatem spectes, sive auctoritatem, quam jure sibi vindicat, criticam, eminet unus, qui oratores Graecos minores, rhetorica ad ***Alexandrum***, ***Aristoteli*** vulgo adscripta, et ***Harpocrationis*** lexicon in X. oratores Graecos uno volumine complectitur: nec plane latuit hic viros eruditos. Nam quem ***Boeckhius*** in libro ***de oecon. publ. Athen.*** T. I. p. 326. et 338. duplici inde ***Andocidis*** loco salutem afferens, breviter Vratislaviensem nuncapavit, is est ipse, de quo statim explicatius dicturi sumus. Nec dubitandum, quin egregius ille ***Lycurgi*** codex Ger-

manicus, quem et Italicum *Heinrichius*, olim Magdalenei nostri ornamentum, contulisse se narrat in *Franckii Callino*, p. 183. idem sit ille, cujus lectiones ad *Boeckhium* pervenerant, et quem ipsum jam nobis tractandum elegimus.

Etiam hic chartaceus est, attamen chartarum et firmitate et laevitate membranarum fere speciem referentibus, foliorum duplicatorum magnitudine CCXIV, tricenis singularum paginarum versibus. Totum corpus ab una manu accurate, distincte et nitide conscriptum, compendiorum, sed minus perplexorum, frequens usus, inscriptiones et initia singularum orationum, in rhetoricis ad *Alexandrum* singulorum capitum, in *Harpocratione* denique vel singularum vocum explicandarum, a quibus nova semper linea inchoatur, minio pallido et subfusco picta, miniatae praeterea in orationibus legum, procleseon, plebiscitorum, epistolarum recitatarum, testium, nominum notationes, miniata quoque in rhetoricis breviuscula summaria, textui a latere opposita, a prima omnia manu. Aetatis praeter ductus litterarum nullum indicium: ex his colligas, librum saeculo p. Chr. XIV. ineunte exaratum esse. Quo tempore quove largitore aut venditore in bibliothecam Magdaleneam delatus sit, haud compertum: prima ejus mentio in catalogo msto. a *Gottl. Guil. Kellero* a. 1729. confecto, sed chartarum tantus adhuc candor, tanta puritas, quasi recentes a librario veniant.

Primam paginam voluminis haec occupat epigraphe:

*Τάδε ἔνεστιν ἐν τῇδε τῇ βίβλῳ:*

ἀνδοκίδης λόγους τέσσαρας:
περὶ τῶν μυστηρίων: περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου: περὶ τῆς πρὸς λακε-
δαιμονίους εἰρήνης: καὶ κατὰ ἀλκιβιάδου: ἰσαῖος λόγους ιά:
περὶ τοῦ κλεωνύμου κλήρου: περὶ τοῦ μενεκλέους κλήρου:
περὶ τοῦ πύῤῥου κλήρου: περὶ τοῦ νικοστράτου κλήρου:
πρὸς κώχαριν καὶ διογένην: περὶ τοῦ φιλοκτήμονος κλήρου:
πρὸς ξένετον περὶ τοῦ ἀριστάρχου κλήρου: περὶ τοῦ ἀπολλοδώρου κλήρου:
περὶ τοῦ κίρωνος κλήρου: περὶ τοῦ ἀστυφίλου κλήρου: περὶ
τοῦ ἁγνίου κλήρου: δείναρχος λόγους γ':
κατὰ ἀριστογείτονος: κατὰ δημοσθένους: κατὰ φιλοκλέους:
ἀντιφῶν λόγους ιέ:
φαρμακείας κατὰ τῆς μητρυιᾶς: κατηγορία φόνου ἀπαράσιμος:
ἐξ ἀπολογίας εἰς τὸ αὐτό: ἐκ κατηγορίας ὁ ὕστερος: ἐξ ἀπολογίας ὁ ὕστερος:
κατηγορία φόνου ἀκουσίου: ἐκ κατηγορίας ὁ ὕστερος: κατηγορία
φόνου τοῦ λέγοντος ἀμύνασθαι: ἀπολογία φόνου ὃν ὡς ἀμυνόμενος ἐφόνευσεν:
ἐκ κατηγορίας ὁ ὕστερος: ἐξ ἀπολογίας ὁ ὕστερος: ὑπὲρ τοῦ ἡρώδου φόνου:
περὶ τοῦ χορευτοῦ: λυκοῦργος ά:
κατὰ λεωκράτους: γοργίας β': ἑλένης ἐγκώμιον:
ὑπὲρ παλαμήδους ἀπολογία: ἀλκιδάμας:
ὀδυσσεὺς κατὰ παραμήδους προδοσίας: λεσβῶναξ:
περὶ τοῦ πολέμου τοῦ κορινθιακοῦ: ἡρώδης:
περὶ πολιτείας:

Hae *Andocidis*, *Isaei*, *Dinarchi*, *Antiphontis*, *Lycurgi*, *Gorgiae*, *Alcidamantis*, *Lesbonactis*, *Herodis Attici* orationes et declamationes priora folia CXXXVI. replent, quorum postremum vacuum.

De epigraphe haec monenda habemus, nonnulla eam polliceri, quae liber haud praestet, contra quaedam in ea desiderari, quae praebeat hic, alia praeterea in epigraphe alio quam in codice ordine collocata esse.

Primum, quod maxime dolendum, frustra quaesiveris in volumine orationem *Isaei de hereditate Meneclis*, in titulo promissam, quam primum Londini a. 1785. e codice *Mediceo* editam, mox ab *Heerenio* in *bibl. litt. et art. antiq. part.* 3. a. 1788. in Germania repetitam, tot adhuc tantaeque maculae obsident, ut e melioribus tantum codicibus certa remedia exspectare liceat *). Praeterea desideratur in codice *Gorgiae* encomium Helenae. Neutrum vero libellum unquam adfuisse et postmodo vi casuve ablatum esse, quum reliqua libri integritas ostendit, tum quaterniones

---

*) Gravius fallitur spes in codice *Palatino*, nunc Heidelbergam restituto, item miscello, nr. LXXXVIII. cujus inscriptio deperditam *Lysiae* contra Nicidam orationem prae se fert, v. *Wilken hist. bibl. Heidelb.* p. 278., qui quod ibidem contendit, *Gorgiae* encomium Helenae in eodem cod. aliquot foliis mancum esse, secus habet. Accurata enim hujus declamationis collatione, quam *Io. Chr. Fel. Baehrius*, V. D., a *Fred. Creuzero* meo nomine rogatus, mihi transmisit, codicem optimum et integerrimum esse evincitur.

docent, ex quibus totum volumen constat praeter extrema folia sex, quae terniones sunt.

Quae vero quamvis in indicem haud relata tamen in libro comparent, inter *Antiphontea* ambae sunt defensiones contra accusationem caedis non voluntariae, suo quaeque loco collocatae, et altera *Lesbonactis de bello Corinthiaco* suscipiendo declamatio, quarum alteram tantum in tabula commemoratam vidimus.

Praeterea in *Isaeo* vulgaris ordo perturbatus esse videtur, quum oratio de hereditate *Aristarchi* in titulo post orationem de hereditate *Philoctemonis* posita sit: sed hoc in titulo tantum factum, in libro ipso haud secus atque in editionibus excipit orationem de hereditate *Astyphili*. Postremo monendum, *Alcidamanti* in contextu priorem, *Gorgiae* posteriorem locum assignatum esse, quod titulus invertit. Quod superest, singulis orationibus eaedem auctorum vitae eademque summaria Graeca sunt adjecta, quae in editione principe *Aldina* reperiuntur.

Insignis haec oratorum minorum sylloge, etsi nulla alia re commendaretur, vel uno raritatis nomine magni aestimanda foret. Tam enim raro descripti sunt hi auctores, ut *Gorgiae* codex et *Alcidamantis* praeter nostrum unus *Palatinus*, gravissimorum vero oratorum, *Antiphontis*, *Andocidis*, *Isaei*, *Lycurgi* nullus praeterea in bibliothecis Germanicis, pauci in exteris asservari videantur, nec editorum cuiquam post *Aldum*

*Manutium* libros manuscriptos inspexisse contigerit.

Sed et *Aldinum* illud apographum, ad cujus fidem princeps editio facta est, textum tam parum emendatum exhibebat, ut iis, qui postea in his eloquentiae Atticae monumentis recensendis criticorum munere fungerentur, *Henrico Stephano*, *Tayloro*, *Hauptmanno* et *Reiskio*, aut ab emendando textu plane abstinendum, aut conjecturis indulgendum esset. In quo negotio ut non negandum *Henrico* praecipue *Stephano* haud pauca egregie cessisse, ita neminem, siquidem hodiernas horum oratorum editiones paulo accuratius examinaverit, poterit fugisse observatio, ab integritate quam dicunt critica textum procul adhuc abesse, multa callidius esse tentata, alia revera emendatore indigentia haud satis feliciter correcta, gravia aliorum menda neque dum animadversa.

In hac tanta subsidiorum criticorum penuria, in qua levissima quoque symbola exoptata nobis et opportuna venire debebat, vix laetius nobis quicquam accidere poterat, quam liber manuscriptus, incusis longe praeferendus et inter codices optimae notae collocandus. Horum ex numero Magdaleneum nostrum esse, haud cunctanter affirmamus: nunc enim auctoritate sua ratas facit emendationes criticorum, prae ceteris *Henrici Stephani*, nunc in temerariarum conjecturarum locum probam certamque lectionem sufficit,

nunc ulcera latentia aperit simul eisque medetur: cui praeconio jam exemplis e *Gorgia* et *Lycurgo* deprompiis fidem faciemus.

Et in *Gorgiae* quidem apologia *Palamedis*, etsi vix genuino clarissimi Sophistae *Leontini* foetu, ingenioso tamen et bene tornato opusculo, his *Stephani* emendationibus accedit codex:

p. 105, 1. *Reisk.* *καὶ δὴ τοίνυν σύνειμι*

p. 106, 9. *χρώμενος δὲ, φανερὸς ἂν ἐγενόμην*, transposita vero in cod. particula, *χρώμενος δ' ἂν φανερὸς ἐγενόμην.*

p. 110, 5. *τὸν μέν γε νόμον παραβαίνει*

p. 116, 16. *πρὸς δ' ὑμᾶς*, quod etiam sine codicibus in ordinem recipere debebat *Reiskius.*

p. 116, 24. *κατηγορημένον δεινὰ καὶ ψευδῆ*

p. 121, 4. *αἰτίαν φανερὰν ἅπασιν.*

Rarius quidem ipsius *Reiskii* conjecturis talis approbatio contigit: sunt tamen aliquot viri in subodorandis, quam tollendis vitiis felicioris ingeniose inventa, ab ipso in annotationibus tantum nec sine haesitatione prolata, quibus codex honestiorem in contextu locum assignat, p. 107, 9. *οὐκοῦν ἅπαντα γὰρ πλήρη φυλάκων;* edd. *οὔκουν. ἅπαντα γὰρ πλήρη φυλάκων*, quae intelligi nequeunt. P. 115, 16. *ὥπερ οὐχ οἷόν τε τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον ἔχειν*, pro vulgato *ὥςπερ*, in quo corrigendo *Stephanus* sine successu laboraverat, et p. 118, 2. *μέγιστον εἰς πλεονέκτημα*, add. *εἰς πλεονεκτήματα*, sine sensu. Nec mul-

tum abfuit, quin verba mire depravata p. 109, 23. integritati restitueret. *Palamedes* enim, perduellionis ab *Vlixe* falso accusatus, postquam exposuit, avaritia se ad patriam prodendam abripi omnino non potuisse, idem de turpi gloriae cupidine probaturus, sic pergit:

*Καὶ μὴν οὐδ' ἂν τιμῆς ἕνεκα τοιούτοις ἔργοις ἀνὴρ ἐπιχειρήσειε καὶ μέσως φρόνιμος· ἀπ' ἀρετῆς γάρ, ἀλλ' οὐκ ἀπὸ κακότητος αἱ τιμαί· προδότῃ δὲ τῆς Ἑλλάδος ἀνδρὶ πῶς ἂν γένοιντο τιμαί;* (reposuimus hoc e cod. *Magd.*, in edd. enim *γένοιτο τιμή*, parum apte scriptum legitur.) *Πρὸς δὲ τούτοις οὐδὲ τιμῆς ἀπετύγχανον ἐνδεὴς ὤν· ἐτιμώμην γὰρ ἐντιμοτάτοις ὑπὸ τῶν ἐντιμοτάτων, ὑφ' ὑμῶν ἐπὶ σοφίᾳ.*

In his ut reliqua facillima sunt, ita tamen verba *οὐδὲ τιμῆς ἀπετύγχανον ἐνδεὴς ὤν*, jure morata sunt *Reiskium*, feceruntque ut *οὐδὲ τιμῆς ἂν ἐτύγχανον ἐνδεὴς ὤν* rescribi mallet. Verum, ut curae secundae haud semper meliores sunt, in *supplem. annot.* T. 8. p. 193. totam illam annotationem deleri jubens, ita interpretatur vulgatam: *honoris appetens si fuissem, eo non caruissem*, contra sensum vocabulorum, quae nihil aliud dicunt, nisi hoc: *nec honoris indigens eo carebam*, ubi additum illud *ἐνδεὴς ὤν* misere languet, sententiamque adeo conturbat, ut si plane abessent haec locum persanatum esse dixeris. Sed alia ratione succurrit cod. *Magdal.*, qui particula *ἂν* recte omissa, in ceteris

cum emendatione *Reiskii* consentit: πρὸς δὲ τούτοις οὐδὲ τιμῆς ἐτύγχανον ἐνδεὴς ὤν, quae sic reddenda: *ad haec nec honoris indigus eram, honorabar enim propter honoratissima ab honoratissimis viris, a vobis propter sapientiam.* Genitivus igitur ab adjectivo ἐνδεής pendet, non a verbo, restituiturque *Gorgiae* vulgare apud Atticos loquendi genus τυγχάνω ὤν, in quo participium verbi substantivi ne omitti quidem posse docuerat *Phrynich. eclog. Att.* p. 277. *Lobeckio* tamen et recentiorum criticorum plurimis uti par erat refragantibus: nec elegans *Stephani* conjectura, ἐπ' ἐντιμοτάτοις, necessaria. Possimus plura addere, quae nunc in editionem *Gorgiae* reponimus.

*Lycurgi* vehemens et nervosa contra *Leocratem* oratio praeter ingenuam quam spirat animi magnitudinem praeclaris aliquot poetarum fragmentis fulget, quae unus *Lycurgus* ab interitu servavit. Eminet inter haec nobilissimum *Tyrtaei* carmen elegiacum, (Eleg. prima in *Brunckii poesi gnomica*,) quod ceteroquin indelibatum, duobus tamen locis vitiosum in editionibus circumfertur, v. 7. et 28. Versum septimum e duobus codd. uno Italico, uno Germanico, quem haud dubie nostrum esse supra diximus, restituit *Heinrichius:*

ἐχθρὸς μὲν γὰρ τοῖσι μετέσσεται, οὕς κεν ἵκηται,

quam correctionem debito applausu exceperunt *Franckius* in *Callino* pag. 183. et *Schaeferus*,

suaserantque idem *Henr. Stephanus* et *Taylorus* et *Hermannus* ad *Viger.* p. 932.

Versuum 27. et 28. haec est lectio vulgata:

νέοισι δὲ πάντ' ἐπέοικεν,
ὄφρ' ἄρα τῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ.

Vitium duplex, quum in particula ἄρα hic plane otiosa, tum in usu articuli τῆς a poeta alienissimo, primus perspexerat magnus *Valckenarius*, breviter in *Diatr. Eurip.* p. 293. B. ὄφρ' ἐρατῆς ἥβης reponens: incidit postea in eandem emendationem *Hermannus* ad *Viger.* p. 935. Sed eximia hujus conjecturae elegantia oculos criticorum offendisse videtur: nemo certe editorum *Tyrtaei* facillimo hoc remedio in textu constituendo usus est. Haud diutius puto refugient, si in codice nostro sic clarissime scriptum esse acceperint: ipsos litterarum ductus fideliter expressos habebunt in tab. lithogr. nr. IV.

Nec minor fructus est, qui e codice in ipsum *Lycurgum* redundat. Haud enim raro conjecturis editorum auctoritatem addit, *Reiskianis* p. 140, 6. οὐ μικρόν τι μέρος, expulso κατά, et p. 164, 15. τὰ χρήματα τὰ ὑπάρχοντα, *Taylorianis* p. 171, 11. καὶ προδόντα τὴν τοῦ δήμου σωτηρίαν, et p. 172, 10. ὧν εἰκὸς ὑμᾶς ἀναμνησθέντας, quae dudum in textum inducendae erant. Saepius quoque primus tenebras inveteratas dispellit, novoque editori facem praefert, quod ut de aliis, ita de his quoque locis dictum

esto: p. 143, 7. *διδομένη δωρεά*, vulgo *δεδομένη δ.* p. 152, 10. *ἐκ γειτόνων*, vulgo *ἐς γ.* p. 159, 6. *τῶν πάντων συνειδότων ἔλεγχον*, vulgo *συνειδότων* abest. p. 172, 7. *τῶν τάφρων*, vulgo *τῶν τάφων*. p. 182, 2. *τῆς τῶν Ἑλλήνων εὐδαιμονίας ἠξιώθημεν προστάται γενέσθαι*, vulgo perverse *τῆς τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίας*. p. 191, 6. *ἐπὶ τοῖς μικροῖς μᾶλλον ὀργιζόμενοι*, vulgo *ἐπὶ τοὺς μᾶλλον μικροῖς ὀργιζόμενοι*, et p. 218, 2. *ἐν τῇ χώρᾳ τεθάφθαι*, vulgo *ἐν τῇ χώρᾳ μὴ τεθάφθαι*, quorum praecipue postrema editores in gravissimas dubitationes conjecerant.

Quod vero prae ceteris memorabile, post tria nunc demum saecula bonam fidem *Mureti* ab omni suspicione liberam praestat codex *Magdaleneus*, ambiguo quodam Variarum lectionum loco, Lib. XVII. cap. 6. plenam lucem affundens. Disserit hic *Muretus* de duobus *Lycurgi* locis, apud *Reiskium* p. 173. et 174., quorum primum ita scriptum exhibet: *αἱ γὰρ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν εὐλογίαι τὸν ἔλεγχον σαφῆ κατὰ τῶν τἀναντία ἐπιτηδευόντων ποιοῦσιν*, quibus addit haec: „Sed a libris excusis abest vox *ἀνδρῶν*, quae tamen et sonum et granditatem addit orationi. At hoc leve est, praeut quod sequitur: *ἔτι δὲ καὶ δίκαιον τὸν ἔπαινον, ὃς μόνος ἆθλον τῶν κινδύνων τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐστὶ, τοῦτον, ἐπειδὴ κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀνήλωσαν, ἐν τοῖς δημοσίοις καὶ κοινοῖς ἀγῶσι πόλεως, μὴ παραλιπεῖν*. In libris

qui usque in hunc diem editi sunt omnibus ita legitur: *ἐπειδὴ κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως ἐτελεύτησαν*, quomodo sententiam quidem manere, sed de pulchritudine ac vehementia orationis plurimum detrahi, nemo non videt.“ Et viderunt quidem recentiores: quum vero unde venerint haec *Mureto* nescirent, cautiores quum creduliores esse maluerunt, novumque hoc inventum a textu arcuerunt. Sed ecce, *Magdaleneus* noster pannum hunc vere purpureum *Lycurgo* vindicat, dum eandem nobis quam liber *Mureti* laciniam offert, sed et pleniorem aliquantulum et praeceptis Attici sermonis magis accommodatam: *ἐπειδὴ κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀνάλωσαν, ἐν τοῖς δημοσίοις καὶ κοινοῖς ἀγῶσι τῆς πόλεως μὴ παραλιπεῖν.* Ipsos codicis characteres habes tab. lithogr. nr. III.

Quanti faciendum sit hoc *Lycurgi* apographum specimina inde propinata abunde docuisse videntur: plura desiderantibus mox satisfaciet *Fredericus Schaubius*, in gymnasio Regio Fridericiano Vratislaviensi antiq. litt. professor: qui vir doctissimus, cui lectiones has *Lycurgeas*, calculo suo comprobatas, acceptas referimus, talem jam dudum orationis *contra Leocratem* molitur editionem, quae omne punctum tulisse jure dici queat.

Nec in Rhetoricis ad *Alexandrum*, quae proxima post oratores folia XXIV. replent, ve-

stigia figimus: nam ad *Harpocrationem* citatiore jam gradu properandum, ex cujus egregio necdum satis accurate edito opere pauca quaedam, sed ad codicis naturam cognoscendam sufficientia proferre juvat. Sufficiet enim unius alteriusve litterae varias lectiones apposuisse, ut arctissimam inter nostrum codicem et *Mediceum*, quem meritis laudibus celebrat *Iac. Gronovius*, cognationem demonstremus. Vtemur ad haec breviuscula littera *H:* opposuimus codicis *Magdalenei* lectionibus textum editionis *Gronovianae* a. 1696., adjecimus varietates *Mediceas*, idem quod supra in *Stephano Byzantino* consilium sequuti.

*ἀρχὴ τοῦ η στοιχείου Magd.*

p. 81, 6. *Ἡγεμονία δικαστηρίου*] *ἡγεμονία· δικαστήριον, Magd.*

9. *εἰς δικαστήριον*] *εἰς τὸ δικαστήριον Magd.*

12. *τε καὶ ἀπροστασίου*] omittit *Magd.*

13. *καὶ δωροξενίας καὶ συκοφαντίας*] perperam bis scriptum exstat in *Magd.*

14. *ψευδεγγραφῆς*] *ψευδογαφῆς Magd.*

20 — 26. *Ἡγήμων — ἐπιγραφόμενος Δημοσθένους*] desunt in *Magd.*

30 — p. 82, 2. *Ἡ ἐν ὁδῷ — κατ' Ἀριστοκράτους*] non habet *Magd.*

p. 82, 3. *Ηετιωνεία*] *ἠετιωνία Magd.*

*περὶ τῆς μεταστάσεως*] *περὶ μεταστάσεως Magd.*

4. *ἥ γε παρὰ τοῦ Πειραιέως ἄκρα*] nec

*Magd.* agnoscit, nec *Medic.*, supposititia esse videntur *Gronovio*.

κατακτησαμένου] κτησαμένου *Magd.*

5. 6. ὥς φησι — ἀντιγραφῇ] absunt a *Magd.*

6. μνημονεύει δὲ τῆς Ηετιωνείας] μνημονεύει δὲ καὶ τῆς ἠετιωνίας *Magd.*

7. Ηκρωτηριασμένοι] ἠκροτηριασμένοι *Magd.* idem vitium l. 8. 11. 12.

9. λυμαινόμενοί τινας] λυμαινόμενοί τισι, *Magd. Medic.*, sed hic littera paragogica addita.

11. Πολυξένῃ] πολυξενῆτιν *Magd.*

13. Ηλίασις] ἡλιάσις *Magd.*

17. συνῄεσαν] συνίεσαν *Magd.*

17. 18. ἐκ δυοῖν δικαστηρίοιν] ἐκ δυοῖν δικαστηρίων *Magd. Medic.*

21. τῷ ἡλιάζεσθαι] τὸ ἡλιάζεσθαι *Magd.*

23. 24. Ηλικία — Φιλιππικοῖς] desiderantur in *Magd.*

27. ἡμιμέδιμνόν ἐστιν] καὶ ἡμιμέδιμνόν ἐστιν *Magd.*

31. ἀντὶ τοῦ τῶν ἡμιολίων] ἀντὶ τοῦ ἡμιολίων *Magd.*

32. Ημιόλιος δ' ἐστὶν] ἡμιόλιος δέ ἐστι *Magd.*

Καὶ τὸ ἥμισυ] καὶ τὸν ἥμισυ *Magd.*

p. 83, 1. Ξενοφῶν γοῦν] ξενοφῶν οὖν *Magd.*

3. ἀντὶ Δαρεικοῦ] ἀντὶ τοῦ δαρεικοῦ *Magd.*

5. *Περσῶν γῆν*] *περσῶν*, omisso *γῆν*, *Magd.*

6. *Φιλιππικῷ*] *φιλίππῳ Magd.*

7. *Ἀρχιδάμῳ*] *ἀρχεδάμῳ Magd.* cf. *schol. Aristoph. Ran.* 417.

10. *μνημονεύοι*] *μνημονεύει Magd.*
*ἤτοι τῶν ἐν Μαρ.*] *ἤτοι ἐν Μαρ. Magd.*

11. *ταῦτα γὰρ*] *ταύτας γὰρ Magd.*

14. *κτίσεων*] *κτήσεως Magd.*

19. *ὠνομάσθη*] *ὠνομάσθαι. Magd. Medic. Gronovio* manibus pedibusque applaudente.

21 — 23. *Ηεμεν — ὁπόσον δέοι*] non habet *Magd.*

24. 25. *Δημοσθένης — εἰ γνήσιος*] frustra quaeruntur in *Magd.*

26. 27. *ἐν τῷ Ὑμνιδι — αἰτούμενος*] desiderantur in *Magd.* Ceterum versus qui in nostro excidit *Menandreus:*

*οὐ πῦρ γὰρ αἰτῶν, οὐ λοπάδ' αἰτούμενος,*

ita membrorum integritate redonandus erit:

*οὐ πῦρ γὰρ αἰτῶν, οὔτε λοπάδ' αἰτούμενος.*

28. *Ηφαιστία*] *φαιστία Magd.* neglexerat librarius litteram initialem minio adscribendam.

30. *κτίσεων*] *κτήσεων Magd.*

p. 84, 3. *τὸ χωρίον*] *τὴν πόλιν Magd.*
Addit, quod edd. ignorant: *ἠχώ, ἡ κραυγή, Magd.*

Vides ex hoc specimine, ubicunque lectiones *Mediceas* excerpserit *Gronovius* eas cum nostro

codice congruere, quamvis ipsa collatio a *Gronovio* instituta haud admodum diligens esse videatur, certe enim plura quam enotavit erant enotanda. Vix tamen crediderimus, *Gronovium* vel totorum vocabulorum defectum praetermisisse, unde conjicias *Magdaleneum* propius quam *Mediceum* ab epitomes exilitate abesse.

Gravissimum vero cognationis inter utrumque librum indicium deprendisse nobis videmur in perpetuo consensu accessionum nonnullarum, quas e *Mediceo* primum a *Gronovio* prolatas *Magdaleneus* quoque agnoscit. Pertinent hae potissimum ad vocabula ἀήττητος, ἀκτίς, Ἀργᾶς, ἐπίσκοπος, μυλωθρός, τρικέφαλος et φάσις. In quibus ut in universum consentiunt *Medic.* et *Magdal.*, ita tamen plerumque in hoc paulo concinnius et emendatius scripta exstant verba Lexicographi: aliquot exempla rem clariorem reddant.

Post v. ἀζήτητος, p. 6. haec addita sunt in *Magd.* ἀήττητος, ὁ ἀνίκητος· καὶ ἀείτιτος ὁ διὰ πάντα τιμώμενος: eadem *Medic.*, sed omissa vocula καί. Adjectivum bonae notae ἀείτιτος augeat lexica nostra. Ceterum tota haec et quae sequitur glossa est ex genere Ἐπιμερισμῶν, quorum accuratiorem cognitionem *Pseudoherodiano a Boissonado* nuper evulgato debemus.

V. ἀκτή, p. 8. excipiunt in *Magd.* haec: ἀκτὶς ἡ τοῦ ἡλίου λαμπηδών· ἐπὶ θηλυκοῦ, ῖ· ἀκτὴ δὲ ὁ αἰγιαλὸς τῆς θαλάσσης· καὶ ἀκτὴν τὸ δῶρον. Eadem addit *Medic.*, sed vocabulo

λαμπηδών in λαμπιδών corrupto, omissisque ἴ et δέ. Quod postremo loco positum est, ἀκτὴν τὸ δῶρον, omnium minime ad oratores referendum: est potius glossa *Homerica*, v. *Heynium* ad Il. 11, 630. T. VI. p. 229. De ceteris nihil est quod moneamus.

Propria codici nostro haec est adnotatio, inter v. προβαλλομένους et προβολάς, p. 151. inserta:

προαγῶνες· εἰσὶ λόγοι προευτρεπίζοντες ἡμῖν τῶν δικαστῶν τὴν ἀκοήν· ἀγὼν γὰρ ἡ κρίσις. Spectant haec ad plures et *Demosthenis* et *Aeschinis* locos, alio consilio a *Valesio* in notis ad notas *Maussaci*, p. 234. congestos. Nihil praeterea inediti in *Harpocratione* indagavimus. Imprimis vero futuro *Harpocrationis* editori attendendum erit ad auctorum operumve laudatorum nomina, in quibus scriptura codicis nostri saepenumero ab exemplaribus incusis abhorret, ita statim ab initio p. 1, 7. Νικόστρατος pro Ἱππόστρατος scriptum est, p. 1, 22. Δημάρχῳ pro Δεινάρχῳ, p. 3, 3. et p. 4, 8. Τιμάρχου pro Τιμοκράτους, p. 3, 6. Ὑπερίδης ἐν τῷ Μηλιακῷ pro Δηλιακῷ, p. 3, 12. Πυθίας pro Πυθέας, p. 7. penult. Τιμοθέου pro Μαντιθέου, etc., quae nunc significasse tantum satis habemus.

Res enim jubet et locus, ut de eis quoque codicibus verbo certe moneamus, qui anno hujus saeculi undecimo e pluribus Silesiae coenobiis cum ingenti librorum impressorum farragine in instru-

ctissimam bibliothecam Regiam atque Academicam confluxerunt, qui nostris imprimis usibus sunt dedicati, et ad quos facillimum semper aditum ipsa custodum eruditissimorum humanitas pollicetur. Hoc tamen confitendum, quamvis numerus eorum haud sit exiguus, nec parum ultra ***Magdaleneos*** exsurgat, criticam eorum utilitatem ceteris Vratislaviensibus parem haud esse videri. Quod ad unum fere omnes chartacei, quod perquam recentis sint originis, quod scriptores tantum Latinos eosque praecipue complectantur, qui frequentissime describi et in scholis lectitari solerent, parum nos moraretur. Sed in eis certe, quos inspicere nobis contigit, uberrimam illam quam in aliis Vratislaviensibus bonarum novarumque lectionum segetem desideravimus: a quo tamen judicio nonnullos eximendos esse nec nobis est incompertum, omnium fortasse maxime apographum ***Senecae*** Rhetoris membraneum, nuper demum bibliothecae thesauris additum, de cujus virtutibus nonnihil fando accepimus.

Atqui nullius alius nomen citius latiusque inclaruit, codice illo Glogaviensi, quem ***Heindorfius*** in recensendis ***Ciceronis de natura Deorum*** libris ubique fere ducem sequutus est. Brevi quidem post absolutam editionem exorti sunt viri ***κριτικώτατοι*** *), qui, in omnes alias partes disce-

*) *Fred. Aug. Wolfius* in *Analect. litter.* T. II. p. 307. *Fred. Creuzerus* in *praef. ed. ejusd. operis* p. VIII. et censor ed.

dentes, codicem assumentis sciolorum scatere nec qui novae recensioni pro fundamento substernatur mereri censerent, laudesque ab *Heindorfio* in eum cumulatas severo judicio restringerent: tamen quum propter fortunam, quam postea expertus est, tum propter ipsas has fraudes, quas subtilis et subacti ingenii viro injecisse videtur, tantam claritatem est adeptus, ut accuratiorem ejus notitiam, quam *Heindorfius* dare poterat, coronidis loco addere decreverimus. Nam quum *Heindorfius* in eo esset, ut editioni suae finem imponeret, quaereretque in bibliotheca librum, diu ante a se excussum suoque loco redditum, quem in praefatione ab externa quoque conditione describeret, tum grande spissumque volumen ita se hominum oculis subduxerat, ut omnis investigandi labor irritus esset, nec rursus ejus adspectu frui contingeret *Heindorfio*. Singularis sane casus, librum laudatissimum eodem fere temporis articulo e tenebris emersisse et unde modo evaserat rediisse, ab *Heindorfio* ingenue narratus, et per plurimos tunc libellos propagatus est: omnis vero recuperandi spes abjecta esse videbatur. Sed ecce, his ipsis diebus, ut casu evanuerat, casu quoque e scrinio, in quod facili errore abierat, in lucem retractus, nobisque, ut suppleremus quod coactus omiserat *Heindorfius*, est traditus.

---

*Heindorfianae* peritissimus in *Ephem. litter. Jenens.* a. 1816. nr. 108. p. 385.

Est igitur liber chartaceus, foliorum magnitudine duplicatorum, quorum priora CII. *Hieronymi* vitae patrum et speculum quoddam virtutum ac vitiorum, cujus ab abstinentia et fornicatione initium, occupant *), sectis paginis, characteribus, quos Gothicos dicunt, a manu parum elegante descriptus. In extremo folio CI. verso haec temporis notatio est addita:

*Explicit vitas patrum. Anno doi* 1420.
*die ultima mensis Aprilis hora prandii.*

Quod sequitur fol. CII. indicem in vitas et in speculum ab eadem manu confectum exhibet.

Sequuntur jam *Ciceronis de natura Deorum* et de finibus bonorum et malorum libri, foliis LXI. illi, hi LXXXIII. fol. comprehensi, uno inter utrumque vacuo relicto: nullae horum in initio, sed in cujuslibet libri fine inscriptiones: manus in utroque quidem *Ciceronis* opere eadem, sed ab ea, quae vitas scripsit, diversa, antiquior, elegantior, lectuque facilior, lemmata ab eodem librario hic illic margini adspersa: compendia haud quidem rara, tamen rariora, haud admodum implicata: nec paginae sectae. Aetatis, de qua quicquam statuere haud ausus est *Heindorfius*, certum indicium nobis in ipso libro invenisse videmur. Nam in extremo volumine ad

*) Ipsa libri inscriptio haec est: „Incipit liber docens vitas patrum et primo vita beati *Pauli* primi Anachorite et Heremite edita a beato et glorioso *Ieronimo* presbytero ad edificationem multorum." Est vero minio picta.

ipsum libri de finibus exitum a tertia possessoris cujusdam manu nonnulla adscripta sunt, quorum priorem tantum partem enucleasse nobis contigit: haec nisi egregie fallimur ita se habent:

*Io. May legit* 1411.

quae ipso codice multum esse recentiora, quum primus adspectus doceat, utrumque *Ciceronis* librum saeculo XIV. exeunte exaratum et serius cum vitis patrum colligatum esse, veri fit simile. Glogaviensem vero recte vocavit *Heindorfius*, ut qui antequam Vratislaviam migrasset Glogaviae in bibliotheca Ecclesiae Collegiatae s. beatae *Mariae* Virginis delituerit. Ac de utilitate, quam in refingendis *de natura Deorum* libris praestiterit, quum breviter dijudicari nequeat, tacere malumus. Examinent quorum id interest ipsi accuratam *Heindorfii* collationem: conferant judicia *Wolfii* et *Creuzeri*, nec diu ambigent.

Alteri codicis parti, libris de finibus bonorum et malorum, tam disertus tamque eruditus, quam operi *de natura Deorum*, vindex atque patronus nondum obtigit. Exquisitiora tamen nonnulla inde delibavit *I. G. Schneiderus* in *Eph. litter. Vindob.* a. 1815. nr. 5. 6. p. 70. sq., quae ad praeviam notitiam sufficiunt, nec hanc voluminis partem criticis esse negligendam evincunt.

g.

## AD TABVLAM LITHOGRAPHICAM.

I. Sunt verba *Stephani Byzantini*, p. 198. 199. cod. *Rehd.* fol. 50. verso, l. 1—3. ubi littera initialis in *Γαλιλαῖοι* et *Γάλλος*, quod in lapide reddi non poterat, miniata: pertinent haec ad p. 254.

II. Ex eodem *Steph. Byz.* p. 392. 393. cod. *Rehd.* fol. 92. recto, l. 5. 6. littera initialis in *Κύδρα* et *Κύδραρα* miniata: pertinent ad p. 241.

III. Sunt ex oratione *Lycurgi contra Leocratem*, p. 173. sq. cod. *Magdal.* quaternione XIV, fol. 8. verso, l. 12—15. pertinent ad p. 269.

IV. Sunt *Tyrtaei* ex eadem *Lycurgi* oratione, p. 214. cod. *Magdal.* quatern. XV, fol. 7. verso, littera hexametri initialis miniata: pertinent ad p. 267.

V. Sunt *Ciceronis de nat. Deor.* 3, 40. (94.) cod. Glogav. fol. CLXIII. recto, l. 17. 18. pertinent ad p. 277.

# XIV.

## DE ORDINE TEMPORVM,

QVO

PRIMI LIBRI ELEGIAS SCRIPSIT TIBVLLVS, COMMENTATIO.

---

Translaticia est observatio, jam a *Pindari* inde *Epiniciis* ordinem, quo facta sunt carmina lyrica vel lyricis proxima, bucolica et elegiaca, ab eo, quo collecta sunt in unum, magnopere differre. Quis hujus ordinis fuerit auctor, utrum poeta ipse an posterioris aevi grammaticus an casus, ambigitur quidem plerumque: sed contra grammaticos pugnare videtur series minus stricta nec satis ex horum hominum more instituta, contra casum perpetuus scriptorum librorum consensus. Poetarum vero in ordine chronologico dedita opera perturbando variae poterant esse rationes, quas in *Horatianis* carminibus passim exposuit *Io. Massonus*, in *Virgilii* eclogis bene nuper adumbravit *Ge. Phil. Eberard. Wagnerus*, editionis *Heynianae* quartae Vol. I. p. 49. Complures aliae supersunt, in his, quae latissime patet, lepida quaedam et elegans in jocando hi-

laritas, qua auctor cum aequalibus tum posteris difficultates consulto afferebat, quas nullo negotio poterat expedire, ut ab interiori carminum intellectu in primo statim limine arceatur, quicunque obtusis sensibus accedebat, at qui gratus acceptusque poetae lector, his impedimentis magis etiam excitatus, haberet quo exacueret ingenium et verum se poesis amicum manifestáret.

Quod vero de carminibus *Horatii* et *Virgilii* dudum agnitum est, ordinem, quo singula se excipiunt, a temporum rationibus prorsus immunem, et descriptionem per plures libros ab ipsis poetis profectam, neque ideo quicquam in editionibus ex arbitrio mutandum esse, idem nunc de *Tibulli* elegiis negari nequit, ex quo critici de *Tibullo* misere lacero turpiterque conturbato somniari desierunt. Has *Gyraldi* ineptias, quibus ingens *Ios. Scaligeri* auctoritas immeritam aliquot saeculorum diuturnitatem ipso fortasse nolente addiderat, nostra tandem aetas abolevit. Codicum manu scriptorum omnium mira convenientia neque eos fallere poterat, quibus penitior sensus artis nexusque poetici erat denegatus. Haec tam acute persensit, tamque perspicue et subtiliter exposuit vir omni nostra laude major, *Io. Henr. Vossius*, ut si quid erraverit in singulis, lubenter haec ei sint condonanda propter graviora merita in interpretationem totius poetae.

Iis quae imprimis extra dubitationem collocasse videtur *Vossius*, haec nobis potissimum

accensenda videntur: certior anni descriptio, quo natus est *Tibullus*, circa a. 695. V. C.; tempora conditi ad *Messallam* panegyrici, *Tibullo* perperam abjudicati, 723. V. C. et elegiarum libri primi atque secundi, illius inter 715. et 727., hujus inter 728. et 733. V. C.; deinde authentia carminum *Cerintho* et *Sulpiciae* inscriptorum, quae non ad elegias, sed ad epistolas, ab antiquo vitae auctore memoratas, referri debere idem evicit *Vossius*, ut vanae fuerint *Brouckhusii* aliorumque lamentationes de hac quoque *Tibullianorum* operum particula deperdita; libri denique tertii *νοθεία*, sive is *Lygdami* sit, sive cujusdam alius. Et quamquam non ignoramus, esse adhuc qui contra nitantur, *Huschkium*, *Spohnium* et recentissimum *Tibulli* editorem Francogallum, *Phil. Amat. de Golbéry*, quotidie tamen augeri videtur assentientium numerus: sufficiat post *Eichstadium* nominasse *Carol. Lachmannum*, *Frid. Iacobum*, *Godofr. Bernhardyum*, *hist. litter. Rom.* p. 240.

Minus tamen ea sufficere videntur, quae de singulis elegiis singula adhuc disputata sunt: quod probe sentiens *Spohnius* praecipuam se huic *Tibullianarum* quaestionum parti impensurum esse curam promisit. Sed quum praematura mors ab imperfecto opere avocarit virum egregium, periclitari nos nunc voluimus, si particulam certe accuratius examinantes, primi libri elegias secundum tempora sua disponere et annorum numeros uni alterive addere possemus.

Suas hic movet difficultates *Tibulli* ingenium vitaeque ratio. Simplicitas quidem severitasque rustica antiquissimae erant innataeque gentis Romanae virtutes; libertate vero et prisca morum integritate amissa, novum iis accessit momentum: ruri enim quaerere incipiebant virtutes, dudum ab urbe exsules, et desiderium illud, ex corrupto rei publicae statu ortum, aurea quasi erat aetas animi cultioris elegantiaeque vere Romanae. At in nullo poetarum *Augustei* aevi amor hic ruris tam erat ardens, in nullo cum tanta vitae urbanae vel publicae contemptione conjunctus, quam in *Tibullo:* neque haec erant verba, sed ratio per integram vitam manens certamque vitae formam imprimens. Nemo enim ex scriptoribus antiquis ullius rei ab illo publice gestae mentionem fecit, et quae ipse de externa vitae suae conditione tradidit, eo fere redeunt, familiariter usum esse poetam *M. Valerio Messalla Corvino*, cui Proconsuli contubernalis ſactus in expeditione Aquitanica militaria dona meruerit: quamvis prioris etiam militiae haud sponte susceptae indicia elegiae decimae inesse videantur. Quae supersunt omnia ad domesticam privatamque *Tibulli* vitam maximeque ad ejus amores pertinent. Horum autem in carminibus imaginem nobis reliquit tam integram tamque accurate descriptam, ut vicissitudines eorum et commutationes in operibus Albianis digerendis et ordinandis praecipuo nobis sint adjumento.

Elegiarum, quas primus liber complectitur, decem argumenti similitudine quinque rursus arctissimo inter se nexae sunt vinculo, prima, secunda, tertia, quinta et sexta: versantur enim omnes in amore *Deliae*, mutuo ab initio et hilari, sed mox infelicissimo: aliae tres, quarta, octava, nona, puerum formosum Marathum celebrant, nunc superbiam ac fastidium, nunc levitatem atque perfidiam conquerentes: a reliquis secretae septima sunt et decima, quarum prior natalem *Messallae* diem canit, in altera poeta ad bellum profecturus vale dicit praediolo paterno.

Ac de tribus quidem carminibus, quae puerorum amores tractant, omnia sunt incerta, neque ullum inest indicium, quo de illorum temporibus certi quicquam colligi possit. Hinc veri simillimum redditur, argumentum aut omnino esse fictum aut ab exemplaribus Graecis petitum, neque nisi liberum ingenii lusum, quales ejusdem prorsus farinae superstites habemus inter odas *Horatianas*, et recentior etiam recentissimaque protulit aetas carmina lyrica suavissima *Io. Nic. Goetzii* Augustique Platenii comitis. Nam in his quoque aliquam cum moribus cognationem subodorari, quod tamen a nostratibus nonnullis factum esse inaudivimus, non tam in poetarum, quam in gravem spurcorum sordium investigatorum cederet ignominiam. Ipsum vero pectus a veris curis vacuum et tali occupationum genere

repletum persuadet nobis, tres has elegias tunc esse scriptas, quum certa imago nondum obversaretur juvenili *Tibulli* animo, ut igitur primis ejus laboribus adnumerandae sint antecedantque carminibus, in quibus *Deliae* jam mentio obtinet et regnat.

Sed quemadmodum in his omnia intra conjecturae fines contineantur necesse sit, ex contrario in elegia septima exploratae rei memoria omnem conjectandi licentiam excludit, stabilemque in ejus locum sufficit facti fidem. Loquimur de triumpho, quem anno V. C. 727. ex Aquitania egit *Messalla:* victoria quidem a seditiosis Galliae populis reportata inciderat jam in annum 724.; sed priusquam rediret Romam, statim ex Gallia in Asiam navigandum erat Proconsuli, qui turbas per Ciliciam, Syriam, Aegyptum ab *Antonianis* motas restingueret, animisque sedatis res ex sententia *Octaviani* componeret; conf. *Appian. bell. civ.* IV, 38. *Heyn. obss. in Tibull.* I, 3, 1. p. 56. His demum feliciter peractis media anni 727. aestate in urbem reverti et Aquitanicum triumphum habere licebat *Messallae:* actus est a. d. VII. Kal. Octobr., de quo vid. *Ayrmann. vit. Tib.* p. 61. 159. Proximum abhinc diem natalem, tricesimum ut videtur primum vel secundum, elegia septima celebravit *Tibullus*, neque igitur fieri hoc poterat neque ante d. VII. Kal. Octobr. anni 727., neque post eundem diem anni subsequentis.

Quinque illae in *Deliam* elegiae, unae ex alteris tantum recte intelligendae, ab externa tertiae causa firmissimum accipiunt fundamentum historicum. Haec enim exeunte aestate anni 724. Corcyrae composita est, quum poeta, Aquitania pacata et in provinciam redacta, *Messallam* in Asiam quoque comitaretur, sed gravi morbo oppressus in insula restare et Romam inde solus repetere cogeretur *). Grata hujus carminis tranquillitas, quae suspicionem ignorat, puellaeque redeuntem tenerrime excipientis spes, quam vividis nobis coloribus depinxit, pro certo sunt testimonio, ante profectionem in Aquitaniam nullo dissidio, nulla aemulatione labefactatum fuisse *Tibulli* amorem. Sed ipsa haec unius et dimidii anni absentia, quum elegiam nostram pangeret, brevis felicitatis tristem jam exitum adduxerat. Ante hiemem anni 724. adhuc a morbo recreatus Romamque haud mora reversus, — poetam enim hiemem jam in urbe exegisse docet eleg. I, 2, 31. sqq. — quam fidam sibi sibique uni deditam crediderat, alius eam extemplo viri conjugem reperiebat: in quo quamvis nihil, quod vituperaret, invenit praeter animum nimis simplicem et apertum, neque vero habuit, quod laudaret, nisi opes affluentes lautio-

---

*) Miro errore poetam Corcyrae mortuum fecit *Io. Christ. Fel. Baehrius hist. litt. Rom.* p. 204. At quae de *Tibullo* scripsit vir diligens, non uno hoc nomine laborant, vid. e. c. pag. 202. v. 6.

risque vitae consuetudinem. Vix dubitare poterat *Tibullus*, has aemulo suo virtutes *Deliae* amorem conciliasse.

Quae quum ita sint, etiam sine ullo alio argumento satis apparet, elegiam primam necessario ante poetae absentiam ab urbe esse scriptam. Amor, quo flagrabat in *Deliam*, nondum degeneraverat in effrenatam libidinem, quae, quovis impedimento aucta, cogitationes omnes sensusque in suos unice circulos raperet. Animi adhuc est commotio tenera, sincera, voti compos: poeta, aliorum desideriorum oblitus, felicitatem inde sibi praesagit perpetuam, nunquam interpellatam, vel ultra vitae terminos duraturam, carmenque nostrum eandem, quam in tertio observavimus, spirat tranquillitatem et aequabilitatem.

Sed ad eam quoque interrogationem, quantum praecesserit temporis placidus hic animi habitus ante fatalem istam expeditionem Aquitanicam, cum aliqua veri specie responderi potest.

Etenim in eodem hoc carmine a versu 53. prima nobis occurrunt testimonia familiaritatis illius cum *Messalla*, quae ulteriorem poetae vitam et ornare debebat et turbare. Patrimonium *Tibulli* admodum fuisse deminutum, neque, si ipsius verbis fides habenda, propria poetae culpa, ex aliquot locis constat, *eleg*. I, 1, 19. IV, 1, 182. sqq. Caute loquitur noster, sed ipsa haec circumspectio ostendit, de rebus ad civitatem

pertinentibus sermonem esse: haud igitur dubitandum, quin de agrorum partitionibus sit cogitandum, quae similes calamitates *Tibulli* aequalibus *Virgilio* ac *Propertio* attulerant: harum vero prima post interfectionem *Caesaris* incidit in annum 724. V. C., poeta nostro decimum fere quintum aetatis annum agente. Vt tamen aliquo modo jacturam rei familiaris compensaret, jam ante conditam hanc elegiam, I, 1, 25. 26. eo ad emendandas fortunas remedio usus erat, quod tunc plurimum valebat apud vulgum: in terris remotis stipendia meruerat. Hoc ipso tempore carmine gratulatorio, IV, 1. se commendaverat *Messallae*, et ut eum in nova bella comitaretur invitatus est: abnuebat *Tibullus*, quippe qui in *Deliae* sinu fortunam invenisset divitiis honoribusque longe majorem, parvoque contentus degeret vitam omnium laetissimam. Hoc vero bellum, ex quo summas laudes militares amico auguratur poeta, *eleg.* I, 1, 53. sqq. non poterat esse aliud nisi quod anno 723. V. C. *Octaviano* et *Messalla* Coss. contra *Antonium* susceptum, ineunte jam Septembri pugna Actiaca commissum profligatumque est. Hujus expeditionis quod particeps fieri nollet *Tibullus*, vix unica neque gravissima causa in *Deliae* amore posita erat: vehementius sine dubio detestabatur civilia arma. Quae quanto minus absque offensionis periculo enuntiari poterant, tanto magis omni virium intentione nitendum erat nostro, ut minoris mo-

menti rem lectissimo poesis ornatu adhibito maximam redderet. Et ita tantum facile perspicitur, quo animo, anno nondum plane exacto eodemque in *Deliam* amore, *Messallam* in Aquitaniam sequi potuerit.

Siquidem haec recte disputata sunt a nobis, elegia prima sub vere anni 723. V. C., duodeviginti fere menses ante tertiam scripta erit, integerque inter *Tibullum* et *Deliam* amor non multum ultra duos annos perduraverit.

*Heynii* quidem opinio *), elegiam primam post tertiam compositam esse, igitur postquam rediisset *Tibullus* ex Aquitania et Corcyra, atque expeditionem in illa significatam eandem esse Aquitanicam, alteram vero, cui nunc interesse recuset, recentiorem quandam, nobis incognitam, haec igitur opinio repugnat omnibus, quae de *Tibulli* et *Deliae* amore scimus. Hic tum maxime vigebat, quum carmen primum scriberetur, necdum tam longas perpessus erat intercapedines, quam statuere nos jubet elegia tertia. Neque profecto post reditum laeto affectu fruendum erat misero: docet enim affatim elegia secunda, primum ei obtutum persuasisse et de jactura sua et de perfidia ac levitate *Deliae*.

Ab hoc inde tempore immutatus omnino apparet *Tibullus*, quod quis miretur? Animus lenis,

---

*) *Heynii* vit. *Tib.* p. LXX. quamquam sibi ipse contradixit introductione ad elegiam primam.

benevolus, ad innoxia ruris gaudia propensus, insignisque erga patrios Deos pietas cesserunt insanae vehementiae impotentique furori, quibus ad extrema quaeque abripi se patiebatur, in omni facinorosae urbis dedecore volutatus foedissimisque deditus falsae religionis superstitionibus *). Haec communis est facies elegiarum trium post reditum compositarum: increscens vero earum violentia et concitatius semper dicendi genus, mutatus praeterea apud *Deliam* locus, singularum seriem extra dubitationem ponunt.

Elegia in editionibus secunda inter has primum locum tenet: scripta est statim post *Tibulli* introitum in urbem, inter tempestates atque imbres hiemis meridianae: fores *Deliae* ei adhuc sunt clausae, neque cum puella colloqui licuit. Sed statutum habet cum animo et firmiter destinatum, omnibus viribus id agere, ut jura olim possessa quantocius recuperet.

---

*) Conf. praecipue I, 2, 43—66. 6, 43—56. 5, 9—16. Opinatur quidem *Vossius*, haec nimis serio accipi non debere: partim enim poetice dicta esse, partim accommodate ad sensum et intellectum *Deliae* superstitiosae. At verendum, ne nimium tribuat *Tibullo*: gravibus enim incensi animi vocibus tam tristes insunt notae veri doloris, ut vix eam potuerit servare mentis constantiam, qua opus fuisset talem de se suoque amore ludum lusuro. Et quis non recordetur verborum *Propertii* Germanici, haud secus, ut videtur, ex idonea experientia profectorum,

*Fromm sind wir Liebende, still verehren wir alle Dämonen.*

*Goethii eleg. Rom.* IV, 1.

Excipit hanc elegia in libris sexta. Haud irrita cesserunt poetae conamina: fraude deceptus bonus maritus, opitulante ***Deliae*** sive matre sive administra *); absque suspicione ***Tibullus*** inter familiares receptus; quod unice expetiverat, non difficulter eo potitus est. Verum enim vero suspicari jam incipit, non unum se gratiosum esse apud puellam, idemque sibi quod marito accidere, et quod acerbissimum, quibus artibus fallere modo docuerat, iisdem se nunc ipsum falli. Non precibus parcit, non monitionibus, non minis, finemque imponit orationi sperans fore, ut in posterum, excepto ut par erat marito, sua tantum ac propria sit futura, hominibusque, quod mirifice sonat, extrema etiam senectute conjugalis fidei inviolatae exemplar **).

At vanis exspectationibus miserum indulsisse, mox apparet. Animi enim infausto amore prorsus conturbati vitaeque turpiter efferatae absolutam nobis imaginem exhibet elegia quinta. Suspicio quae fuerat, in persuasionem evaserat. Sed antea rivalis tantum aeque dilectus ei erat timendus: jam vero opulentior adulter praevalet gratia apud puellam, et ipse in meritam importunae zelotypiae castigationem rursus ut ab initio se

---

*) Vid. quae de matre *Deliae*, ut videtur, personata disputavimus in *Ephem. litter. Halens.* 1825. Jun. nr. 134. p. 235. 236.

**) Vid. quae diximus de *Glycera Tibulli* in *Seebodii horreo philol. et paedag.* 1825. fasc. 2. p. 194.

videt exclusum. Saevae exsecrationes in aniculam quondam laudatissimam, quam nunc miseriarum suarum auctorem arbitratur, nullum furenti afferunt levamen, neque quicquam ei manet nisi triste solatium, beato idem mox esse eventurum quod sibi nunc.

Ex natura et indole talium mentis affectionum esse videtur, rapidissimum eas habere decursum, favetque haec observatio sententiae nostrae, tres istas, de quibus egimus, elegias interjecto haud magno spatio prodiisse. Externis quidem speciminibus caremus, nisi quis in amoena descriptione vitae rusticae, qualem *Deliae* amore illustratam olim sibi somniaverat, moestum veris sensum percipere velit. Liceret tunc, elegiae quintae, quae manifesto colophonem imponit amori *Deliae*, initium anni 725. V. C. assignare, et novissimus hic actus clandestinae collusionis intra paucos menses ad finem esset perductus. Poposcerat scilicet *Tibullus*, quae neque ipsi flagitandi jus, neque *Deliae* concedendi erat propensa voluntas.

Superest jamjam elegia decima: ac de hujus maxime tempore diversae eruditorum hominum sententiae in medium sunt prolatae, sed quarum nulli possimus suffragari.

Vale dicit hac elegia exquisito ornatu poetico insigni *Tibullus* Laribus paternis et praedio rustico: necessitate scilicet coactus in eo est, ut militatum sit abiturus. Praeclara cernitur vis in

oppositionibus inter belli calamitates et commoda pacis, unde per aptissimum sententiarum ordinem ad ardentissimas preces deducimur, quibus Pacem almam implorat poeta, ut ocius citius se restituat agris omni felicitate rustica affluentibus.

Vna certe res est, de qua ambigi vix possit, poetam militiae nunc tirocinia esse positurum et perinvito quidem animo, nec nisi necessitate quadam externa adductum. Quae hujus necessitatis fuerit ratio, quod tempus expeditionis, quis itineris finis, siquidem possit exputari, expiscandum relinquitur nobis.

Editores *Tibulli*, in his *Brouckhusius*, *Heynius*, *Vossius*, quorum auctoritatem temere, ut solet, sequitur *Golberyus*, acquieverunt in definiendo tempore et fine expeditionis. Nimia vero confidentia usi posuerunt, non de alia posse cogitari expeditione quam de Aquitanica: in hac comitatus sane erat *Tibullus Messallam*, acciperetque ex hac conjectura elegia decima locum suum inter primam ac tertiam. Vnus *Heynius* quamquam subdubitanter monuit, mirum tamen videri, poetam *Deliae* amorem, quo sub illius belli initia maxime flagrabat, per totum carmen ne verbulo quidem commemorasse. At huic silentium imperavit *Vossius:* severum, qui tunc in nostro obtinuerit, animi habitum haud admisisse puellae mentionem. Nobis *Heynius* verissime judicasse videtur, neque haec sola est causa, quae bello Aquitanico adversatur.

Huic expeditioni in *Messallae* contubernio interesse non nisi liberrimo arbitrio poterat commoveri: etsi variis beneficiis a potenti amico fuerit affectus, nunquam se obnoxium illi certorumque officiorum onere obstrictum reddiderat. Sic tantum elegia prima, quae reluctabantur ingenio, sine ulla haesitatione poterat recusare. Ac si tamen verecundia quaedam humanitatisque mollitudo obstabant, quo minus alteram fautoris invitationem non secus ac priorem detrectaret poeta, certe non ab omni adeo honestate potuit desciscere, ut per carmen integrum vacaret lamentis, trahi se ad bella jamque fortasse militem hostilem tela gerere, in suo latere haesura, *eleg.* I, 10, 13. sqq. Et faciamus quoque, excidisse stomachanti vocem indignatione plenam, quis credat, talia in collectionem carminum pluribus annis post institutam recipi potuisse, *Messalla* superstite adhuc magnaque ex parte meritis *Messallae* laudibus dicatam? Hoc a liberali vereque urbano *Tibulli* ingenio alienissimum erat.

Praeterea universus elegiae tenor poetam nobis repraesentat admodum juvenem, neque tenor solus: nam de eo aeque est facile, nos ipsos decipere, ac difficile, aliis persuadere. Manifestiora erunt haec.

Vbi discessurus fidei se ac tutelae commendat Larium, quaenam habet argumenta, quibus pondus addere conetur precibus suis? Vnum scilicet,

se parvulum jam puerum ab iis custoditum et educatum esse, *eleg.* I, 10, 15. 16.

> Sed patrii servate Lares: aluistis et idem,
> Cursarem vestros quum tener ante pedes.

Apte et commode ita loquitur adolescens, qui nunc primum focum paternum cum terris remotis et periculosis mutat, non vir undetricesimus, (tot enim annos natus fuit *Tibullus* temporibus belli Aquitanici) qui antea quoque longis itineribus quid posset tentaverat, *eleg.* I, 1, 25. sqq. Et nostrum poetam matura hac aetate neque plura, neque meliora Laribus dicenda habuisse, nisi se eorum in conspectu succrevisse, qui quum *Messallae* Proconsulis fieret contubernalis, sub his tectis eorumdem deorum tutelae commissis annos *Deliae* amore beatissimos transegerat, quis sibi persuadeat?

Sed objicitur nobis a *Vossio* severus ille, qui tunc in *Tibullo* regnaverit animi habitus: hunc eum impediisse, quo minus digressurus amoris sui faceret mentionem. Hic primum nobis confitendum, nos omnino non assequi, cur amor tener et fidus, qualem eum describit elegia prima, affectioni severae debeat repugnare, neque cur discessuri affectio severior esse possit, quam quae tali amori relinquat locum. At minus etiam assequimur, quid huic judicio cum carmine nostro, cujus maxime insigne lineamentum orationis omnium minime est tristis severitas. Audiamus ipsum poetam, quibus verbis adumbrat gaudia

pacis, cui nunc ipsum est vale dicturus, *eleg.* I, 10, 45. sqq.

Interea Pax arva colat: Pax candida primum
    Duxit araturos sub juga panda *) boves:
Pax aluit vites et succos condidit uvae,
    Funderet ut nato testa paterna merum:
Pace bidens vomerque vigent, at tristia duri
    Militis in tenebris occupat arma situs,
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
    Vxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
    Femina perfractas conqueriturque fores etc.

Quaenam in his praevaleat severior affectio? nonne majore jure dicat quis, lasciviorem esse poetae habitum animi, quam qui vero puellae amore captus esse possit? Totus locus ita est comparatus, ut juvenem nobis ante oculos ponat quamquam a mulieribus neutiquam alienum, nulla tamen peculiari libidine incensum atque vinctum. Quamobrem non peculiaris quaedam interiorque erat flamma, quae abitum difficiliorem redderet *Tibullo*, sed in universum jucunda vitae rusticae tranquillitas, cujus dulcedine nullo tempore non erat detentus. Ac profecto ineptum fuisset, vinculum, quo nullo alio firmius adstringebatur ad paternam domum, *Deliam* suam consulto reticere, sibique ipse efficacissimum momentum poeticum subtrahere. Nihil igitur absone celavit

*) *Panda* pro *curva* ex quattuor codicibus recepi in ordinem cum *Vossio* et *Lachmanno*.

*Tibullus*, sed nondum in deliciis habuit *Deliam*, quum carmen nostrum componeret: unde simul efficitur, neque tempora a *Brouckhusio*, *Heynio* et *Vossio* posita recte esse posita et cetera quoque omnia in alium ordinem redigenda.

Supra jam significavimus, carmen decimum non modo in universum opus nobis visum esse perquam juvenile, sed quod contineat etiam hujus indicium certum aetatis. Videndum num quid proficiamus, hinc exorsi quaestionem.

Quod juvenem nolentem ad bellum proficisci compulerat, officium erat militare, cujus initium penes adolescentem Romanum equestri loco natum ab anno decimo septimo vel octavo *): quod quamvis aliquantisper potuerit differri, prorsus tamen declinare non licebat juveni integro ac robusto, his praesertim tempestatibus, ubi bella assidua tum interna tum externa crebra copiarum deminutione frequentiorem delectum exigebant. Haec illa erat necessitas, quae *Tibullum* viginti fere annorum juvenem insignique forma praeditum **) ad arma vocabat, neque injuria conquestus est, trahi se ad bella, quae ex animo detestatur, *eleg.* I, 10, 13. sqq. Primus hic exitus e ruris angustiis in vasta militaris vitae spatia car-

*) *Ch. G. Schwarz. exercitt. acad. in quibus antiquit. nonn. capp. illustr.* ed. *Harles.* pag. 80. sqq. *Io. Masson. vit. Plin. jun.* p. 37. sqq.

**) *Horat. epist.* I, 4, 6.

mine nostro egregie est adumbratus, suffecissetque vel solus ad ejus tempus definiendum.

Bellum vero, ad quod nunc se raptum videt *Tibullus*, non aliud poterat esse, nisi istud ex quo a longis erroribus in agros pacatos rediisse sibi gratulatur elegia prima. Complures jam annos sub armis transegerat, et usu aliquo accedente rei familiaris instaurandae spes tolerabiliorem ei sensim reddiderat militiam, ita ut ipse recuperata quiete non sine aliqua admiratione fateatur, nunc demum posse se rursus parvo contentum vivere et longis itineribus desistere, *eleg.* I, 1, 25. 26.

Iam, modo jam possum contentus vivere parvo,
Nec semper longae deditus esse viae.

Per quas provincias imperii Romani interea fuerit circumvagatus, in incerto relinquendum. Forsitan intererat notae *P. Ventidii* expeditioni in Ciliciam et Syriam *). In idem haec incidit tempus, quo Penates reliquisse *Tibullum* necessarium est, in annum 715. V. C. Etiam accuratior illarum regionum cognitio, quam elegia septima prodit, hinc facile explicatur: eadem enim diligentia de Aquitania loquitur, quam cum *Messalla* permeaverat, variaque Syriae loca, ostia Cydni, Taurum montem, situm Tyri describit. Haud

*) *Tacit. hist.* V, 9. *Germ.* 37. *Appian. Parth.* 71. sqq. *Plutarch. Anton.* 33. 34. *Dio Cass.* 48, 40. 41. 49, 19. 21. *Burm.* ad *Anthol. Lat.* II, 129. T. I. p. 307.

infitiamur quidem, potuisse poetam has notitias a *Messalla* ejusve sociis reducibus accipere: sed ipsae hae expeditiones in Orientem prae ceteris fortunam amplificare censebantur, neque aliam *Tibulli* de iis fuisse opinionem docet *eleg.* I, 2, 69. sqq.

Gravissimum tamen argumentum manebit silentium de *Delia*: hujus enim mentione non poterat supersedere, si tunc jam bene noverat, nedum amabat puellam. Neque, ut videtur, fugisset hoc interpretes, nisi latuisset eos prior *Tibulli* expeditio, et in errorem induxisset, posteriorem, ut erat ultima, ita primam quoque fuisse.

Vt igitur breviter complectamur rem, veri est simile, elegiis tribus de puerorum amoribus tempus ceteris prius assignandam esse, quippe quas poeta otiosus rure nondum relicto ante annum vicesimum luserit. Excipit eam decima patrio foco vale dictura, et hanc vitae *Tibullianae* partem absolvit. Sequitur jam complurium annorum series absque ullo monumento poetico: expleta erat erroribus bellicis, reditque noster viginti fere sex annos natus. Incipit hinc novus rerum ordo: videt *Deliam*, mira ejus pulchritudine capitur, amor nascitur vehementissimus perduratque ad aetatis usque annum undetricesimum vel tricesimum. Huic vitae spatio quinque debemus elegias omnium pulcherrimas: prima beatissimum mutui amoris tempus comprehendit,

secunda post absentiam unius et dimidii anni paullo ante reditum ex Corcyra scripta est, tres reliquae celeri decursu amoris discidium conficiunt. Transit iterum annus cum dimidio, clauditque elegia gratulatoria ad *Messallam* temporis spatium decem fere vel duodecim annorum, aetatis *Tibulli* duodevicesimum ad tricesimum usque. Vicit interea dolorem secundumque condit elegiarum librum, in quo, quod in priore fecerat *Delia*, Nemesis regnat.

# XV.

## ANIMADVERSIONES

IN

PROPERT. IV, 11, 23. sqq.

---

Inter nobilissimos antiqui aevi scriptores, quibus nostra demum aetate propitior quaedam fortuna affulgere coepit, haud ultimum locum tenet *Propertius*, Elegiae Romanae princeps, qui post varia et audacissima criticorum conamina nuper editorem nactus est talem, qualem divina hujus poetae praestantia suo sibi jure diu depoposcerat, *Carolum* dicimus *Lachmannum*. Hic enim primus codices manu exaratos diligentius excussit, in familias digessit, singulorumque auctoritate probe perpensa caute plerumque et prudenter restituendis *Propertii* reliquiis adhibuit, quae a prava recentiorum sedulitate graviora quam a temporum sive iniquitate sive incuria damna perpessae erant. Qui eximiae sagacitatis vir si tamen successoribus in extremo potissimum Elegiarum libro haud pauca in quibus operam suam collocarent sciens reliquerit, hoc ipso nomine novam laudem promeruit: maluit enim, in quibus sibi-

met ipse haud satisfecerit, quod honesti simul et intelligentis hominis, ingenue confiteri, quam arroganter aut artificiose obvelare. Ex horum igitur locorum numero unum certe paulo accuratius quam a *Lachmanno* factum esse videtur hac nobis scribendi opportunitate oblata examinantes, ecquid vel tantillum ad poetam sibi reddendum conferre possimus jam experiamur.

In ultima libri quarti Elegia, quum Elegiarum reginam vocare solebat *Valckenarius*, inde a v. 23. haec leguntur *Corneliae* verba:

> *Sisyphe*, mole vaces, taceant *Ixionis* orbes,
> Fallax *Tantaleo* corripiare liquor,
> Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras
> Et jaceat tacita lapsa catena sera.

In his omnia satis sunt expedita praeter pentametrum priorem, quamvis neque de hujus sententia ambigi queat. Nam si concedis, *Tantaleo* non nisi ab adjectivo *Tantaleus* deduci posse, desideratur substantivum, ad quod referatur, et si statuis, esse dativum nominis *Tantaleus*, formam fingis idonea analogia carentem et nemini unquam lectam. Non igitur mirandum, conjecturam *Aurati* et *Nic. Heinsii*,

> Fallax *Tantaleo* corripere ore liquor,

gravissimis judicibus placuisse, *Graevio*, *Burmanno*, *Santenio*, quibus *Lachmannus* quoque assentitur, ita tamen ut eam in ordinem recipere non sit ausus. Et sane, ut alia mittamus, transitus hic e conjunctivo ad imperativum, redeunti

statim conjunctivo cessurum, tam est frigidus et inutilis, tam inconcinnus, tam parum tranquillo et sedato, quo per totum carmen utitur *Cornelia*, orationis generi aptum, ut eum ex mera conjectura perfectissimo tanti poetae operi obtrudere religioni haberemus.

Nobis verba: *fallax corripiare liquor*, tam certam sanitatis speciem prae se ferre videntur, ut omnis suspicio necessario in nomen proprium cadat: magnopere vero augetur eo, quod in hoc uno discrepet librorum lectio: praebet enim cod. *Vossianus* quartus *Tantaliae*, a quo proxime abest, quod habent *Heinsianus* et *Burmannianorum* unus, *Tantaleae*. Ac *Vossiani* scriptura genuinam fere poetae manum nobis repraesentabit, si una tantum lineola aliquantulum producta, sic constituimus versum:

Fallax Tantalide corripiare liquor.

Fraudi fuit librariis, quae *Tib. Hemsterhusio* ad *Luciani Tim.* 44. T. I. p. 452. ed. *Lehm.* recte monente, errandi ansam saepius praebuit ignoratio idiomatis cujusdam Graecis haud inusitati.

Passim enim a Grammaticis observatum est, quod rem obiter intuenti mirum accidere possit, nomina propria primitiva et patronymica subinde promiscue poni. Tres certe testes adducamus: *Eustath.* ad *Odyss.* 4, 343. haec attulit: *πολλάκις πατρωνυμικῷ τύπῳ κύριον δηλοῦται, ὡς Εὐριπίδης, Μιλτιάδης, Ἡρακλείδης.* Consentiunt

scholia in *Pindari Pyth.* 6, 4. *ἡ ποιητικὴ παρέκτασις καὶ οἱ σχηματισμοὶ ἐπὶ τῶν κυρίως πατρωνυμικῶν ἐπὶ τὰ αὐτῶν τρεπόμενα ὀνόματα, οἷον Ἡρακλείδης καὶ Ἀσκληπιάδης ἐστὶ μὲν σχήματι πατρωνυμικὰ, κύρια δέ τινων. εἴ τις οὖν τὸν τοῦ Ἡρακλείδου υἱὸν πατρωνυμικῶς βούλοιτο σημῆναι, ὁμωνύμως ἂν πάλιν πατρὸς Ἡρακλείδην καλοίη*, quae observatio *Aristarchi* esse videtur: his tertius accedat scholiorum *Theocriteorum* compilator ad *idyll.* 7, 21. *εἰσὶ καὶ πατρωνυμικὰ οὕτως ἀπαραλλάκτως λεγόμενα καὶ ἐπὶ τῶν υἱῶν ὡς καὶ ἐπὶ τῶν πατέρων.*

Nec deest exemplorum copia, quibus Grammaticorum notatio firmatur *): sed ex his certissima tantum, ut pro nostro consilio sufficientia, apponimus. Idem igitur homo Ἀγάθαρχος vocabatur et Ἀγαθαρχίδης, *Koen.* ad *Greg. Cor.* p. 290. ed. Lips. Ἄγνων et Ἀγνωνίδης, *Ruhnk. hist. crit. orat. Graec.* p. XC. Ἀλέξανδρος et Ἀλεξανδρίδης, *Hemst.* ad *Schol. in Aristoph. Plut.* 926. p. 325. Δημοκλῆς et Δημοκλείδης, *Ruhnk.* l. l. p. XCII. Ἐμμένης et Ἐμμενίδης, *Boeckh. introd.* ad *Pind. Olymp.* 2. p. 116. Ἐπαμίνων et Ἐπαμινώνδας, *Hemst.* ad *Luc. Tim.* 44. Ἐχεκράτης et Ἐχεκρατίδης, *Hemst.* l. modo l., Εὔβουλος et Εὐβουλίδης, *Hemst.* ad *Aristoph.* l. l. Κλέαρχος et Κλεαρχίδης, ibid. Λαμπρίας et Λαμπριάδης, *Theocr. idyll.* 4, 21. Μαιαν-

*) Vid. *Ranke vit. Aristophan.* p. CCXXXIII. sq.

δρος et *Μαιανδρίδης*, *Hemsterh.* ad *Aristoph.* l. l. *Μνήσαρχος* et *Μνησαρχίδης*, *Koen* ad *Greg. Cor.* l. l. *Νικόμαχος* et *Νικομαχίδης*, *Hemsterh.* ad *Lucian.* l. l. *Σίμιχος* et *Σιμιχίδης*, Schol. *Theocr.* 7, 21. p. 907. *Kiessl.* *Σίμων* et *Σιμωνίδης* atque *Τεύταμος* et *Τευταμίδης*, *Hemsterh.* ad *Aristoph.* l. l. *Φίλων* denique et *Φιλωνίδης*, *Koen* ad *Greg. Cor.* praef. p. XVIII. *Sturz.* ad *Orion. Theb.* V. *κρούειν*, p. 90, 8. Haud dissimilis est ratio nominum *Εὔρυτος*, *Ἴασος*, *Ἴκαρος*, quorum altera forma frequens, *Εὐρυτίων*, *Ἰασίων*, *Ἰκαρίων*, *Verheykio* ad *Anton. Liber.* 38. p. 256. et *Heynio* ad *Apollod.* 3, 13, 1. p. 310. testibus, nec multum differt *Λαέρτιος* sive *Λάρτιος* pro *Λαέρτης* positum, de quo v. Scholia ad *Sophocl. Philoct.* 417. et *Ajac.* 1.

Neque inter nominum propriorum fines substitit hic usus: appellativorum quoque, patronymicorum formam, non ita vim habentium exempla, *δραπετίδης*, *ἱππαλίδας*, *πολυχαρίδης* et similia opportune collegerunt *Schaeferus* ad *Mosch. idyll.* 1, 3. et ad *Dion. Halic. de comp. verb.* p. 203. et *Lobeckius* ad *Sophocl. Aj.* 879. p. 367. ejusdem est commatis *ποταγωγίδης*, de quo turpissimo delatorum genere, quod more, ut fertur, nuper recepto *Hiero* Syracusarum tyrannus exploratum emiserat, v. *I. G. Schneider.* ad *Aristot. Polit.* 5, 9, 3. et *Boeckhius* ad *Pind. Pyth.* 2, 76. addas quoque *πολυπόδης* et *Οἰδιπόδης*. nam neque postremum unquam vocabulum

patronymici vim habuisse in libello de *lex. Graec. condend. ratione* vernacule scripto, p. 95. docuimus.

Originem hujus licentiae scite ex parte aperuit *Aristarchus* in iis, quae supra e scholiis ad *Pindarum* enotavimus: sed aliud quid in veris patronymicis accessisse videtur, frequens apud Graecos mos, ex quo avorum nomina in nepotes transferre consuerant. Quum igitur, ut spectatissimo exemplo sententiam nostram illustremus, in Cyrenaico Battiadarum regno *Batti* semper et *Arcesilai* alternarent, quod *Boeckhius* in introd. ad Pythiorum Pindaricorum carmen quartum, p. 265. accurate exposuit, *Battus* secundus, tertius, quartus, quo minus ab avo jure *Battiades* vocaretur nihil obstabat. *Propertius* vero, poeta Graece doctissimus, in *Tantali* nomine id sibi facile poterat indulgere, quod in multis aliis sine controversia fieri probe sciebat: sed in *Tantalide* quoque viam fortasse monstraverant Elegiaci Alexandrini, a quibus totus pendet.

Ceterum *Musgravius* ad *Eurip. Supplic.* 71s. eandem in Scotia patronymicorum rationem obtinere memoravit: et quid? nonne in nostris quoque nominibus propriis idem et frequentius quoque accidisse videmus? Neque id de talibus tantum dictum esto, qualia *Mendelssohn*, *Iacobson*, *Schmitson*, *Paulsen*, *Petersen*, quibus progeniei indicium aperte adhaeret: eidem, nisi egregie fallimur, explicationi locus dandus est in

omnibus iis, quotquot in secundi casus terminationem exeunt, sive ea latina sit, ut in clarissimis nominibus *Alberti*, *Arnoldi*, *Bernhardi*, *Ernesti*, *Rudolphi*, sive vernacula in *Hennings*, *Hinrichs*, *Steffens*, etc. Haec enim omnia ab initio patronymica fuisse, et obsoleta demum originis memoria sensim sensimque in primitivorum nominum naturam devenisse contendimus.

Hoc unum addimus, non solum patronymica et primitiva promiscue usurpata, sed interdum, quamvis raro, ipsa quoque patrum nomina filiis aptata esse: antiquissima hujus usus exempla *Homerica* exstant *Ὑπερίων* et *Μολίονες*, ambo *Molionis* filii, Iliad. 11, 708. 750. de quibus *Heynio* rectius disseruerunt et *Eustath.* ad h. l. et *Boeckhius expl.* ad *Pind. Ol.* 11, 25. si quis plura desiderat, adeat is *Burmannum* ad *Grat. Falisc. Cyneg.* 103.

Revertendum jam ad *Propertii* locum, unde huc eramus digressi: nam de insolentiore dativo Graeco, *Tantalide*, verbo certe monendum: hunc, *Vossiani* codicis vestigia prementes, *Charisii* et *Diomedis* auctoritate recepimus, quos v. in edit. *Putschii*, p. 9. et 280., quum vero, monente *Conr. Leop. Schneidero* in *Gramm. Lat. Formenl.* T. I. p. 31. certa hujus formae exempla non nisi in lapidibus exstent, haud multum repugnaverimus, si qui vulgarem formam praeferant. Ceterum *Tantalidae corripiare* ex frequente Graecismo dictum esse pro *corripiare a*

20 *

*Tantalo*, quis est qui ignoret? quam fuerit antiquus usus *Homericus* et *Hesiodeus* nos edocet: ita *δαμῆναί τινι*, *Iliad.* 3, 429. 9, 545. 10, 403. 13, 603. 14, 353. 16, 326. 17, 2. 18, 103. 461. 19, 417. 20, 294. 22, 40. *Odyss.* 3, 90. 410. 4, 397. 6, 11. 24, 101. *Hes. scut. Herc.* 48. longe rarius *δαμῆναι ὑπό τινος*, *Iliad.* 5, 559. 11, 820. 16, 434. et *ὑπό τινι*, *Iliad.* 13, 98. 668. *Od.* 3, 304. Sed neque a pedestrium scriptorum consuetudine dativum istum verbo passivo junctum abhorrere, demonstratum est a *Fischero* ad *Welleri Gramm. Graec.* T. III, 1. p. 400., quibus si tanti est addantur nostra ad *Taciti Germ.* 3. p. 89.

# XVI.

## VARIAE LECTIONES
### EX
### DVOBVS CODICIBVS ORATIONIS MARCELLIANAE.

---

Quam anceps et lubrica res sit, non de singulis tantum veterum scriptorum locis ita statuere, ut omnibus satis fiat, sed de integrorum quoque operum consilio, praestantia, origine certum judicium pronunciare, neminem fugit, qui talium quaestionum difficultates usu et experientia vel aliquantulum cognitas habeat: vix tamen illustrius horum dubitationum reperietur exemplum controversiis nostra memoria de *Ciceronis pro M. Marcello oratione* excitatis. Haec enim, postquam ab *Asconio* inde *Pediano* per duodeviginti fere saecula et pro *Tulliana* habita, et omni laudis genere ornata sit, in ipso hujus saeculi limine fatum perpessa est tristissimum. Vir enim exortus est acerrima ingenii acie summaque nominis auctoritate pollens, *Frid. Aug. Wolfius*, qui eam variis de causis *Ciceroni* abjudicasse haud contentus, id sibi efficiendum proposuit, ut demonstraret, *orationem inanem esse rerum*, —

ipsum loquentem induximus virum immortalem. — *verbis, formulis, constructionibus saepe vix latinam, in tota compositione ineptam, stultam, ridiculam, denique fatuo principe, Claudio, quam consulari oratore digniorem:* nesciasque profecto, utrum priorum interpretum, *Manutiorum* scilicet, *Lambinorum*, *Graeviorum*, *Gronoviorum* *εὐήθειαν* demirere impensius, an inauditam recentioris critici audaciam. At vero argumentis tam fortibus tamque exquisita disputandi arte usus est *Wolfius*, ut non sibi tantum ipse litem obtinuisse videretur, sed viros etiam in hoc litterarum curriculo versatissimos sententiae suae haberet socios atque propugnatores, *Geo. Ludov. Spaldingium*, *Chr. Dan. Beckium*, *Chr. Godofr. Schuetzium*, et qui nuper in omnibus *Ciceronis* operibus ad priscam suam integritatem revocandis praeclaram operam collocavit, *Io. Casp. Orellium:* qui quamquam pro editionis suae ratione ulterius haud persequutus est rem, notitiam tamen dedit memoratu dignissimam, exstitisse diu ante *Wolfium*, qui orationis *νοθείαν*, si non habuerit clare perspectam, acute tamen persenserit, *Ioannem Andresium*, Hispanum ex soc. Iesu. Hic enim a. 1782 in *historiae suae litterariae* Italice scriptae T. II. p. 330. haec pronunciare non dubitavit: *io osservo, che nell' orazione per Marcello puó forse incolparsi talvolta l' eloquente Tullio di propendere alquanto a sottili concetti*, etc.

Vt tamen omnibus persuaderet *Wolfius*, tantum abfuit, ut acerrimos statim adversarios nactus sit *Olaum Wormium*, Danum, et *Benj. Weiskium*, ad quos postea accessit theologus doctissimus *Io. Leonard. Hugius;* neque ab horum triumvirorum judicio abhorruisse *Frid. Aug. Guil. Spohnium*, ex memoria ejus a *Gust. Seyffartho* conscripta, p. 55. verisimile fit, quocum conspirare videntur notae quaedam et sigla, margini exemplaris *Wolfiani*, quo uti solebat, adpicta: dissensum suum praeterea patefecerunt paucis, haud explicuerunt, *Christoph. Saxius, Onomast. litt.* T. VIII. p. 423. et *Frid. Schoellius, hist. litter. Roman.* T. II. p. 110. Quibus orationis nostrae patronis si eos quoque accensere licet, qui passim in commentariis suis *Marcellianam* absque ullo suspicionis indicio tanquam *Ciceronianam* ad partes vocarunt, ut *Io. Aug. Goerenzius* ad *Cic. de fin. bon. et mal.* II, 17, 54. p. 200. *Imman. G. Huschkius* ad *Tibull.* III, 6, 17. p. 514. *Ed. Wunderus* in *varr. lectt. ex cod. Cic. Erfurt.* p. XXII. CLXXVI. 36. longe jam major defensorum quam accusatorum proditura est caterva *). Sed neque numero, neque singulorum auctoritate in tali causa quicquam efficitur.

Mediam quodammodo inter utrosque viam tentavit praeclari ingenii vir *Aug. Iacobus* ean-

*) Neque prorsus praetermittendi sunt censores duo, alter Halensis in *Ephem. litter.* 1808. p. 32. seq., alter Berolinensis in *Novae Biblioth. Germ.* T. LXXVII. p. 460. sqq.

dem, qua nuper in aliis *Ciceronis* orationibus feliciter progressus est *Wunderus*. Haud enim pauca, quae defendi nulla idonea ratione poterant, ad ineptam interpolatoris manum referens, maximam gravissimamque orationis partem *Tullio* vindicare strenue est conatus.

Variae hae doctorum virorum curae ad liquidum quidem nondum adduxerunt rem: eum tamen eventum habuere, ut multis a *Wolfio* calidius neque sine aliquo ingenii abusu disputatis a *Wormio* praecipue et *Iacobo* rejectis, liberiori rursus disquisitioni via sit reclusa, quam ingens *Wolfiani* judicii auctoritas nonnullis intersepsisse videbatur. Qui critici labor ut fausto cum successu ab integro possit institui, ante omnia ipsis orationis verbis certior reddenda erit conformatio, quam a *Wolfio*, *Graevii* plerumque vestigiis insistente, ejusque successoribus factum est. Huic igitur criseos parti aliquid nunc subsidii adlaturi, codicum duorum nondum ad auxilium vocatorum varias lectiones deprompsimus.

Alter eorum Vratislaviae in bibliotheca *Rehdigerana* adversatus, partim membraneus, partim chartaceus, complectitur praeterea libros ad *Herennium* et *de officiis*, orationesque *pro Archia* et *antequam Cicero mitteretur in exsilium*. Descriptus est in *Museo crit. Vratisl.* p. XIV. et his ipsis diebus a cive nostro *Alb. Wachlero, Ludov. F.*, in perutili codicum *Rehdigeranorum* indice, p. 41., quem *vitae Thomae Rehdigeri*

patrio sermone ab se descriptae adjecit. Hunc ipse cum editione *Wolfiana* diligenter contuli, multaque praebet haud contemnenda.

Alterum deterioris notae possidet *Aug. Seidlerus*, excussit *Spohnius*, qui lectiones in margine *Wolfianae* notavit, a sectione XXIV. aliquanto ut videtur negligentius, neque id viro dum viveret religiosissimo vitio dandum. Exemplar *Spohnianum* ad nos emptionis jure transiit.

Illius lectiones littera R., hujus littera S. distinximus.

*Marci Tullii* pro *Marco Marcello* oratio R.

*Sectio* I. hodiernus attulit dies R. idem init. S. praeterire nullo modo possum. R.

II. sed etiam vocem meam R. sed etiam meam vocem S. et *ante* vobis *desideratur*. R. virum talem qui cum in eadem causa qua ego fuissem R. non mihi persuadere p. R. nostro vetere c. R. vestro vetere c. S. et quasi quodam socio et comite distracto, S. et meae prist. R. S.

III. et *ante* maxime *abest*. R. et paulo ante S. in omnibus R. S. M. Marcellum rei p. condonasti R. etiam praesertim S. praesertim etiam R. ante actae vitae S. in *ante* accepto *deest*. S. quam ad illum v., *omisso* sit, R. quam ad illum cui ventura sit S. quod quidem ei R. S. contingit S. quis est enim illo aut probitate aut nobilitate R. *Verba* aut optimarum artium studio *non habet* R., *margini*

*tamen a recentiore manu adscripta sunt.* laudis genere R. genere laude S.

IV. nullius tantum est ingenii flumen R. nullius tantum flumen aut ingenii S. nulli dic. R. S. tantaque copia S. tuas res gestas S. tamen hoc affirmo R. S. et pace, *omisso* hoc, R. ampliorem ea quam h. d. R. *quod Ernestius suspicatus erat, Weiskius probaverat.*

V. idque libet S. exterarum gentium R. externarum g. S. *Quod legitur in Wolfiana,* ceterarum, *non editori, sed typothetae debetur.* regum clarissimorum R. passibus cujusdam R. S. illustratae R. S.

VI. nisi tam magna S. alia his majora S. communicare multis S. vendicat R. quidquid prospere gestum est S. omen ducit suum R. *a manu rec. in marg. correctum.*

VII. nihil enim tibi S. de ista laude R. nihil turba decerpit R. quin etiam illa ma rerum humanarum domina S. *cum glossa* potens. *Voluit haud dubie librarius* maxima. societate S. tuam esse totam, *spreto* se, R. S. *quod jure post Ernestium receperunt Schuetzius, Orellius, alii.*

VIII. ea tamen vicisti, *omisso* sed, R. quae et nat. et cond. S. vi *omittunt* R. *et* S. tanta vis, tanta copia, quae n. f. R. S. verum animum vincere S. iram cohibere R. haec qui facit R. S. cum *ante* summis *deest.* S.

IX. itaque C. bell., *omisso Caesar*, S. nec ulla S. nescio etiam quomodo dum leg. S. et turbarum sono S. *idem*, *sed a manu secunda*, *in marg. habet R.* juste, recte, moderate S. praesertim in iracundia R. et victoria, *omisso* in, R. aut audimus aut leg. R. S. quod numquam vid. S. *sed in marg. ab alia manu vulg.* quos.

X. reliquum reliquum fecerit R. salvum esse R. velit, *sed ab alia manu correctum*, S. med. fid. C. *Caesar* S. illa futura sit auct. R. et sedibus suis S. M. *Marcelli* R. S. admemorabili R. pietate ac virtute praed. S. viderem vobiscum R. memoria offendit R. mem. effodit S. vendicasti R.

XI. anteponas R. propria *Caesaris*, *omisso* C., S. te duce g. R. multo magnoque com. R. S. *quod Schuetzio quoque et Orellio placuit.* tu idem dux es et comes R. tu ipse es et dux et comes S. ut nulla trop. R. S. et monimentis t. R. sit finem allatura aetas S. allatura sit aetas, *omisso* finem, R. nihil est enim R. nihil autem est S. opere et manu R. non aliquando R. conf. atque consumet R. at vero haec R. S. cotidie R. quottidie S. detrahat t. afferet, *utrumque a manu rec. correctum*, R.

XII. Et quum ceteros S. jam ante pietate et mis. S. hodierno autem die R. vereor ne hoc S. primum possit intelligi auditu

R. non perinde intelligi possit auditu S. atque ipse, *omisso* ego, S. quum ea quae illa erat adepta R. quum ea illa, quae ipsa erat adepta S. conditionisque dev. est S.

XIII. sumus *abest.* S. compulsi sumus S. teneremur S. corporis humani, *sed ab alia manu corr.* R. ab scelere R. deprecantibus nobis S. et *ante* iterum *deest.* R. cupiditate et crud. R. civile bellum S.

XIV. audiendum *in* agendum *mutavit manus sec.* R. agendum audiendumque esse put. S. sed etiam orat. civ. R. efflagitantium S. neque enim ego neque ulla R.

XV. hoc in ord. S. republica integra R. multa de pace *a manu rec. in marg.* R. jam *a manu rec. additum* R. aestimator S. de bello voluntas f. R. auctores pacis R. et ceteris S. minus mirum videtur fortasse R. minus mirum videretur fortasse S. maluisse se R. S.

XVI. quotiens R. S. insolentia, *correctum a manu sec.* S. ceterorum hom. R.

XVII. Vidimus etiam vict. R. C. *Caesar adscripsit manus sec.* R.

XVIII. dico R. S. *in hoc ab alia manu corr.* fut. esse vict. R. S. *in hoc* fuisse *superscriptum.* expetiverint R. S. vel etiam satiati S.

XIX. maximus fructus, *omisso* est, R. salvos tecum esse v., *omisso* simul, R. quo-

tiens R. S. totiens R. S. *utrobique.* de mirabili lib. S. audebo *manus sec. addidit in marg.* R. accommodata S.

XX. viris bonis R. aliqua aut pravitate R. sed ex spe quadam R. non enim tua culpa ulla est R. non enim ulla culpa tibi est S. summa tibi laus est S. plerique *deest.* R.

XXI. vero *expunxit manus sec.* R., *omisit* S. ad modestissimam quer. *manus sec.* R. extenuabo verbis R. magis timidus R. minus prudens R. sed si quisnam R. si qui magis R. sed qui magis S. qui tecum una f. R. at si nihil tui c. sc. R. amicissimi sint S.

XXII. nam qui est hominum tam ign. r. R. de communi omnium sal. R. ex unius tua vita pendere vitam omn.' R. ex unius tui vita vitam pend. omn. S. equidem dies noctesque de te S.

XXIII. incertosque motus val. R. consentio R. etiam si cupiat R. S. posse opitulari R. credemus R. percussa S. invocanda fides R. omnia quae dilapsa defluxerant R. omniaque quae delapsa jam fluxerant S.

XXIV. eventus belli fuisset R. nunc tibi omn. R.

XXV. Itaque jam tuam pr. S. fortasse naturae R. at id quod max. R. istam *ante* doctorum *deest.* R. esse sapiens R. ad

bus R. ut me rebus omnibus S. non conservato a te R. a te non servato S. innumerabilia in me unum merita S. magnus hoc facto tuo cumulus accesserit. R.

Haec igitur hactenus. Quae ipse de oratione nostra sentirem, quum eam Vobis, Commilitones humanissimi, hac hieme interpretarer, haud Vos celavi, neque nunc publice diffiteor, mediam illam *Iacobi* rationem unice mihi probari, quamvis non defuerint in singulis, quibus a viro optimo recedendum videretur. Cujus consensus dissensusve causas, quum hic exponere longum esset, alio fortassis loco alioque tempore pluribus persequar.

# XVII.

## DE SCORPIO
### IN
### GEMMA AVGVSTEA CONIECTVRA.

---

In maxima antiquarum gemmarum copia, quam benigna fortuna nobis conservavit, non magnitudine tantum et pretio, sed multo etiam magis absoluta fere artis perfectione, figurarum multiplici pulchritudine totiusque compositionis praestantia et dignitate onyx ille subcaeruleus eminet, qui ex Gallia per varios casus in Germaniam delatus et a ***Rudolpho*** II. emptus nunc sub ***Augusteae*** gemmae nomine thesauros Vindobonenses ornat, non, quod diu falso creditum, consecrationem ***Augusti***, sed ***Augustum*** ad summa humanae felicitatis fastigia evectum referens.

Quamquam vergentis jam glypticae artis temporibus sit adcensendus (certis enim argumentis ex historia petitis evincitur, ante annum Vrbis conditae DCCLXV., quod erat biennium ante obitum ***Augusti***, lapidem nostrum scalpi non potuisse), inde a saeculo tamen decimo septimo medio nunquam defuerunt, qui laborem suum in egregio opere illustrando vario successu posuerunt.

Ac facem quidem ceteris praetulerant *Nicol. Peirescius* et *Alb. Rubenius:* subsequuti sunt *Scip. Maffeus*, *Petr. Io. Mariettus*, *Io. Geo. Eckardus:* longum claudant agmen *Ios. Hilar. Eckhelius*, *Io. Gurlittus*, *H. C. E. Koehlerus*, *A. L. Millinus*, *Frid. Thierschius*, *Odofr. Muellerus*. Nam de multis aliis, qui gemmam in transcursu tantum attigerunt, nunc tacere praestat.

Quum igitur tot viri sagacissimi certatim tenebras dispellere sint aggressi, quibus vel singulae lapidis partes adhuc fuerint obvolutae, vel totius operis ratio atque consilium, non foret mirandum, si plurima pro confectis transactisque haberi possint. Sed quod in innumeris scriptorum antiquorum locis quotidie fere observamus, *videri* quidem multa satis illustrata, non esse, vix rarius idem in gemmarum doctrina accidere frequens nos edocet experientia. Non unum hujus rei exemplum suppeditat nobis onyx Vindobonensis, quamvis minime inter lapides referendus sit peculiari quadam difficultate insignes. Nulla enim de argumento est ambiguitas, nulla vel exigua de personis dubitatio, neque ulla in consilio aut inventione obscuritas. Attamen singula difficultatibus suis non carent, quas si omnes hac opportunitate usi velimus examinare, exponere ac si possimus explanare, verendum nobis foret, ne justos temporis spatiive limites nimiopere excederemus. Reliquis igitur in alium locum sepositis, nunc de re quadam prorsus singulari, etsi perlevis

fortasse momenti, videamus: de qua quum alii aliter senserint et ad diversissimas opiniones sint delapsi, suas ei difficultates non deesse apparet, operaeque erit pretium in novas eam disceptationes vocasse.

Constat superficiem onychis in duas areas per transversum esse divisam, quod quamvis natura perfecerit, ars tamen in suam rem scite convertit. Spatium enim superius, clarius istud magisque translucidum, ***Augustum*** repraesentat sedentem, prorsus ad ***Iovis*** victoris formam effictum: assidet a dextra manu Roma Dea: aliquanto retrorsum Terra mater et *Neptunus* sive ***Oceanus*** adstant, accumbit Abundantia duobus Geniis circumdata. Ab altera hujus areae regione, quae est lapidis sinistra, triumphali curru et habitu advehitur ***Tiberius***, nunc in eo constitutus, ut descendat e vehiculo: equos regit Victoria alata: inter solia *Augusti* et Romae adsistit ***Germanicus:*** superne vero, proxime ab Imperatoris capite, apparet signum Capricorni, quod erat ***Augusti*** thema genethliacum, de quo vid. ***Aug. epist. ap. Gell.*** XV, 7. ***Sueton. Octav.*** cap. XCIV. ***Eckhel doctr. num.*** T. VI. p. 109. ***Catal. gemmar. in thes. reg. Berol.*** Class. IV, 2. nr. 203. 204.

Securitate publica terra marique restituta orbeque pacato post victorias a ***Tiberio*** et ***Germanico*** de Pannoniis reportatas, ***Tiberius*** ipse triumphans intrat urbem, (a V. c. DCCLXV.)

sed, ut verbis *Suetonii* in *vita Tib.* cap. XX. utar, *priusquam in Capitolium deflecteret, descendit e curru seque praesidenti patri ad genua submisit*, et ipsum hunc temporis articulum lapide suo sibi exprimendum sumpsit scalptor.

Accedimus ad segmentum inferius, cujus color austerior, argumentum ex militia, ita tamen ut jam sit debellatum: reges barbari capti captaeque mulieres, milites Romani et socii, Macedones ut videtur, adstantes, quorum hi captivos turpiter vexant, illi generosiores tropaeum statuunt, superiorisque areae actionem praeparant quasi et instruunt.

Ac de militibus Macedonicis cogitare nos jussit narratio *Velleji*, II, 110. junctas Pannoniorum et Dalmatarum copias ex parte Italiam petere decrevisse, partem vero in Macedoniam se effudisse: de cujus expeditionis eventu certiores nos fecit *Dio Cass.* LV, 31. fratribus enim *Rhymetalce* et *Rhascypore* ducibus oppressos esse Dalmatas et ultra fines Macedoniae ejectos. Iam vero militum unus eo capitis tegumento est insignis, quo Macedonas et Thessalos usus fuisse novimus, *causia*, cujus frequens fit apud veteres scriptores mentio, vid. *Anthol. Palat.* V, 335. *Memn.* ap. *Polyaen.* V, 44. *Suid.* v. *καυσία.* T. II. p. 284. *Steph. thes.* Vol. I. p. CLXIV. Vol. IV. p. 4937. B. Lond. *Valcken.* ad *Theocr. Adon.* p. 345. A. *Reisig.* ad *Soph. Oed. Col.* 305. neque in monumentis artis frustra quaeritur, cujus rei

exempla reperiuntur in *Thes. gemm. reg. Berol.* Class. II, 13. nr. 986. IV, 1. nr. 19., non vero mirandum, quemadmodum periculorum victoriarumque cum Romanis fuerint participes, ita eosdem in gemma nostra repraesentatos una cum legionariis gloriae quoque in societatem venisse. Et quum duces captivi braccis ac torquibus ceteroque armaturae genere in habitum cultumque Gallorum sint adornati, hos non ex Germanorum gente esse, quae est sententia *Odofr. Muelleri, Archaeol.* 200, 2. a. p. 194., sed ex Pannonia et Dalmatia, ὧν τὸν ὁπλισμὸν Κελτικὸν εἶναι disertis verbis tradit *Strab.* VII, 5, 4. T. II. p. 418. *Siebenk.* est statuendum. Eodem vero jure et majori fortasse illo, quo milite Macedonico *Rhymetalcen* cum fratre repraesentari verisimile fecimus, conjicias quoque barbaros armorum vi prostratos hostium esse principes, a Romanis cum proelio captos, tum in deditionem acceptos, Pinnetem praecipue et Batonem, de quibus consulendi *Vellei.* II, 110. et *Dio Cass.* LVI, 12. 16.

Sed unum superest, de quo potissimum eramus disputaturi. Erigunt enim milites graviter armati tropaeum, cui clypeus aptatus est, ut res ipsa et clypei forma et insigne docent, non Romanus, sed barbarus: nam quum scuta Romana fulmen vel aquilam fulmen gestantem prae se ferre soleant, hic scorpium videmus, qualis inter signa Zodiaci in multis artis operibus apparet. Ac *Rubenius* quidem interpretationem tentavit non

ineptam: scorpium enim bellicosis illis gentibus bene convenire animadvertit, de quo *Manilius astron.* IV, 218. sq. haec:

> Scorpios armata violenta cuspide cauda
> In bellum ardentes animos et Martia castra
> Efficit et multo gaudentem sanguine civem,
> Nec praeda quam caede magis, quumque ipsa sub armis
> Pax agitur, capiunt saltus sylvasque pererrant.

Attamen ad tralaticium quoddam insigne gentilicium haec referre malis, sive ex re numaria petitum sit, sive ex doctrina quam nunc heraldicam vocant, quamquam, quod scimus, scorpii nota Africae tantum monetae propria fuisse videtur.

Etiam de signo quodam unius alteriusve ex ducibus captivis cogitare liceat, aut de monogrammate, quo ad nomen suum sive ad patriam alludere voluerit scalptor, aut si explicationem aliquanto longius repetitum amplectare, ad hieroglyphicam istam *Horapollinis* sapientiam confugere possimus: hic enim *Hierogl.* II, 35. p. 96. *Pauw.* scorpium ita est interpretatus: *ἄνθρωπον ἐχθρὸν ἑτέρῳ ἴσῳ ἐναντιούμενον σημῆναι θέλοντες σκορπίον καὶ κροκόδειλον ζωγραφοῦσιν, ἑκάτερον γὰρ ἀναιρεῖ. εἰ δὲ ἐναντίον καὶ ἀναιρετικὸν τοῦ ἑτέρου σημαίνουσι, κροκόδειλον ζωγραφοῦσιν ἢ σκορπίον. ἀλλ' εἰ μὲν ὀξέως ἀναιροῦντα, κροκόδειλον ζωγραφοῦσιν, εἰ δὲ βραδέως ἀναιροῦντα, σκορπίον διὰ τὸ δυςκίνητον.*

Quae quum ita sint, tam parum adhuc probabilis est harum conjecturarum ratio, ut ulterius investigandi necessitatem unusquisque sibi impositam facile sentiat. Et segmen fortasse superius significationem aliquam continet, non prorsus spernendam, quae ad suspicionem de inferiori nos adducat.

Capricornus enim, quem *Augusti* thema genethliacum fuisse monuimus, regnat quasi et imperium tenet in area priori: ipse ibi manifesto est expressus, orbiculo et radiis circumdatus, et fausta omina, quae statim ab hora natali puerulum sunt comitata, illustrant domum *Caesaream*, ab ipsa Imperatoris persona profecta. Sidus igitur Capricorni solem quodammodo refert, cujus sub efficientia laetissima incrementa capiunt res Romanae, optimeque vim illam ex astro redundantem significat lituus, quem dextra manu tenet *Augustus*, v. *Thiersch.* de *epoch. art.* p. 305. ed. alt.

In segmine altero a *Tiberii* auspiciis pendent cuncta: quamquam ab *Augusto* missus vicit tamen hic et triumphum meruit et militibus deus quasi apparuit, ut mirum sane foret, si scalptor facta tanta cum gloria bello gesta praetermisisset sine ulla ducis mentione ullaque militum ad eum ratione. Vix aptius quidquam excogitari poterat, quam genethliacum *Tiberii* signum Capricorno *Augusti* opponere: sed quale hoc fuerit, ignoratur, neque satis in aperto est horoscopi apud

veteres descriptio, ut hodieque exputari possit dies. *Augusti* thema Capricornum fuisse, cognitum habemus ex indubitabili historicorum fide: tamen natus est IX. Cal. Oct., quum sol in initio Librae staret (0° ♎). *Tiberii* quoque diem natalem abunde novimus, XVI. Cal. Dec. testantibus *Sueton. Tib.* V. et *Dion. Cass.* LVII, 18. sed quid de horoscopo dicamus? vix aliud, quam caliginosa esse omnia, tenebrisque involuta latere.

Verum enim vero quae a certa rerum fide desideramus, ea a liberrima conjecturandi licentia lucramur. Quid obstat, quo minus scorpium thema istud fuisse suspicemur? quod si statuimus, optime expeditur difficultas, uno fortasse hoc modo expedienda. Sed ne nimis temerarii videamur, peropportune nobis succurrit lapis alius, eadem hac conjectura facillime explicandus.

Est enim in Thesauro regio gemmarum Berolinensi, Class. IV, 2. nr. 220. quattuor colorum sardonychi incisum caput *Tiberii*, cujus in parte aversa conspicitur idem scorpii signum, quod interpretum acumen non minus exercuit. Vtriusque lapidis, Vindobonensis et Berolinensis, explicationem necessario unam esse eandemque, pro certo affirmaverim. *Augusti* imaginem in gemmis haud raro cum Capricorno genethliaco copulari, supra jam ostendimus: neque quisquam audaciae nos coarguet, si idem in *Tiberii* simulacris fieri potuisse contenderimus. Nisi igitur quis probaverit, thema *Tiberii* genethliacum aliud fuisse aut

certe a scorpio diversum, liceat in ea, quam dedimus, explicationi acquiescere. Hoc tamen extra dubitationem positum, natali *Tiberii* die Solem in Scorpio stetisse. (24° ♏)

Sed plura addere vetat tempus et locus, maxime vero nuncius cum nobis tum Vobis omnibus, Commilitones humanissimi, longe luctuosissimus. Ipso enim hoc die Academiae nostrae totique orbi litterato post brevem aegrotationem ereptus est ***Daniel a Coelln***, S. S. Th. Dr. ejusdemque in Vniv. nostra Prof. P. O., qui vir qualis exstiterit ingenio, eruditione, pietate, incorrupta fide, in summa hac animorum perturbatione copiose et ut par est persequi nondum licet. Qualem magistrum amiseritis, ipsi nostis, neque unquam ex memoria Vestra elabetur. Nam apud Germanos, teste ***Tacito***, ab omni inde tempore feminis lugere honestum visum est, viris meminisse *). Vratisl. d. XVII. Febr. MDCCCXXXIII.

---

*) Haec cecinit vir immortalis cycni instar morituri.

*ED.*

# XVIII.

## A. B. KAYSSLERI ET I. TH. SCHNEIDERI MEMORIA.

---

Magnum et doctrinae variae accurataeque, et ingenii ad gravissimas philosophiae quaestiones ab ipsa natura praeclare conformati, et severae morum sanctitatis exemplum amisimus, Commilitones, defuncto ***Adalberto Bartholomaeo Kayss-lero***, philosophiae Dr. et in Vniversitate nostra per decem annos P. P. O., nec facile videtur aestumare, quaenam jactura magis sit lugenda.

Gravis profecto res est, et cum doctori gloriosa, tum discentibus mirifice fructuosa, si quis singulas universae eruditionis partes ita cognitas animoque perceptas et quasi percursas tenet, ut nusquam erret, nusquam impeditus haereat, nusquam incerto gressu titubet aut labatur, ita vero in promptu habeat omnia, ut aptissimum cuicunque loco ac tempori proferre, prolatumque, quemadmodum res postulet, perspicue et diserte explicare possit. Longe tamen difficilius habetur rariusque invenitur, quod non nisi viro vere philosopho concessum est, disjecta multiplicis cognitionis membra colligere rursus, disponere, in

corpus bene ordinatum redigere, et tantam diversissimarum rerum copiam certo proprioque judicio penetrare, ut neque deficere quicquam videatur ad summam, neque molesta hic illic abundantia laborare, sed interior ubique partium nexus earumque in universa doctrina locus facile perspiciatur.

Raram hanc subtilis judicii conjunctionem cum eruditionis soliditate, qua quidem, utpote re operosa tenuioribusque ingeniis relinquenda, supersedere se posse interdum opinati sunt philosophiae sectatores, maximi semper fecimus in ***Kaysslero,*** qui homini cordato nihil absque Deo esse recte existimabat, et Vos uberrimos hujus judicii fructus percepistis. Hic enim vir, dum reconditis de Deo, de mundo deque mentis humanae natura unice vacare videbatur, tantam antiquarum, etiam orientalium linguarum, imprimis vero patrii sermonis sibi peritiam comparaverat, gentium litterarumque historias tanto ardore erat amplexus, tamque arctam praeterea cum scientiis naturalibus et mathematicis familiaritatem contraxerat, ut dubius haereres, utrum doctrinae copiam impensius mirarere, an ingenuam modestiam, qua haec omnia celare, quam ad ostentationem iis abuti malebat.

Quamvis suffecerint fortasse hae virtutes ad illustrandam unius hominis memoriam, tamen majus quid cum ***Kaysslero*** nobis ereptum perpetuo desiderio dolemus, insigne castissimae sancti-

tatis exemplum. Vbicunque enim haec totius vitae integritas frustra requiritur, ibi nec litterarum amor verus et liberalis, nec ingenii acumen honestate commendatum, nec in muneribus obeundis sincera fides prosperque eventus. Sed qui puro et intaminato animo ad sapientiae penetralia accedunt, neque studium suum ad ostentationis vanitatem, sed ad optimae conscientiae praemia, non ad humiles cupiditates explendas, sed ad Dei gloriam et suam gentisque humanae veram salutem referunt, in iis efficacem se praestat sublimis cui se devoverunt disciplina, neque sinit vita esse dissimiles sui. Ac sicuti omnis philosophia circa aeternam veritatem versatur, quatenus ea Deus ipse est et in operibus divinae sapientiae conspicitur, ita veritatem et pietatem adversus Deum, e schola in vitam introductas, vitae quoque fundamenta factorumque et dictorum omnium regulas fecerat *Kaysslerus*, quamquam horum quicquam in fronte ac vultu gestare aspernabatur: Deo enim, non populo, pius et religiosus esse volebat. Summa vero ex animo ita composito benivolentia redundabat in genus humanum: omnibus aequus et facilis, omnibus ad consulendum et opitulandum, ad ignoscendum bonisque mala rependendum paratus, nullis adversus quemquam vanis suspicionibus agitatus, ut qui ipse a secretis artibus et occultarum machinationum fallaciis longissime abhorreret, uni tantum gravius et ultra vulgarem captum indignabatur, quem a veritate

consulto aberrantem turpique fraudi intentum deprehendisset: hunc enim ad pessima quaeque proclivem putabat: mendacio tamen magis quam mendaci iratus, flagitium quidem acerrimo odio prosequebatur, flagitiosos vero, quantum poterat, monendo, castigando, adjuvando ad meliorem viam reducere conabatur.

Ab hujus pietatis integritate nata erat et educata et roborata decora illa, quae saepe Vobis affulsit, oris serenitas et, quod divinius quoque, perpetua animi tranquillitas, quae *Kaysslerum* non solum ultra acerbissimos fortunae casus victorem evehebat, sed ad extremum usque vitae articulum, tristem plerisque et terroris plenum, ita est comitata, ut non tam vitam morte commutare, quam ab itineris diuturni molestiis in paternas sedes redire videretur. Quod si igitur, notissimo quodam *Solonis* dicto aliquantum immutato, nemo sapiens praedicandus est, priusquam morte beata sapientiae suae fidem addiderit, ab hac quoque parte *Kaysslerus* talem se probavit, quales omnes esse cupias, paucissimos invenias.

Hic tanti exempli vir lucem adspexit die XXIV. Sept. a. MDCCLXIX. Landeccae in agro Glacensi, cujus oppiduli nomen ab aquarum salubritate clarum. In gymnasio primum patrio, tunc in Vniversitate Leopoldina Vratislaviensi tam praeclaros in liberalibus litteris profectus habuit, ut mature publici doctoris munere in gymnasio

Saganensi ornaretur, unde ad gymnasium Oppoliense brevi arcessitus nec ibi diu commoratus, honores dignitatemque Prof. philos. P. O. in Vniversitate ***Leopoldina*** suscepit. Quantum deinceps utilitatis et patriae et litteris attulerit docendo, testes sunt viri, tum ab eo ad litterarum amorem excitati, testes publica desideria, quibus eum prosequebantur, quum a. MDCCCIII. idoneis de causis munere se abdicasset. Brevi quo jam frui contingebat otii spatio bonam inferioris Germaniae partem visit, Goettingae et Berolini pedem aliquanto diutius fixit: sed mox oblatis conditionibus Halas Saxonum adiit, tum maxime et splendidissimis professorum ingeniis et honestissimis studiosae juventutis moribus florentes, nec in lectionibus tantum academicis de recentiori philosophia instituendis summo ibi cum applausu perrexit, sed operibus quoque de rebus philosophicis subtiliter et erudite scriptis per Germaniam inclaruit.

Assiduum vero deque sacris fontibus haustum religionis Christianae studium, quod a philosophicis quaestionibus — in aliquod interdum, uti quidem perhibent nonnulli, sed honestissimum certe speculationis detrimentum — nunquam separaverat, id interea necessitatis internae imposuerat ***Kaysslero***, ut, ecclesia Catholica, in qua natus et educatus erat, relicta, persuasioni optime stabilitae unice obsequutus, Evangelicae Reformatorum fidei se addiceret: qua in re gravissima

aeque abhorruisse *Kaysslerum* ab eorum turpi levitate, qui religionem haud secus ac vestem detritam mutant, atque a clandestina recentiorum nonnullorum fraude, qui, quod nullo cogente perpetrare minime erubuerunt, id ingenue quoque confiteri foede detrectant, ne virtuti injuriam fecisse videremur vix addidissemus, nisi perversi nostrorum dierum mores cuique fere ad aliam ecclesiam transitui suspicionis maculam adspersissent, a qua vindicandus erat *Kaysslerus.* Animi vero, quo nunquam non erga Christianos Catholicos fuerit affectus, egregium ipse prodidit testimonium aurea illa oratione, inter sacra ecclesiae instauratae duodecim annis post solenniter recitata, quam adeant ii, qui fidei suae sine aliter sentientium obtrectatione fideliter inhaerere non posse arbitrantur. Sed de his hactenus.

Inter varias vitae Halis transactae opportunitates ea quoque non levissima obtigit *Kayssler*o, quod felicissima tantum Vniversitatis tempora, nec quicquam calamitatum viderit, quas post cladem Ienensem in eam irrupisse constat. Haud enim multo ante Vratislaviam erat revocatus, ut gymnasii *Fridericiani* moderandi in societatem veniret, quod munus postea sibi uni imponi passus est. Scholam, quam non ab una parte laborantem invenerat, talem reliquit, quae non nisi cum praestantissimis conferri posset. Quod quanto virium omnium contentione, quanta in collegas humanitate, in discipulos cum amore vere paterno

temperata severitate, quam valido religionis exemplo perfecerit pluribus exponere, non hujus est loci: ab iis, in quorum manibus gymnasii *Fridericiani* cura, debita tantis meritis pietate grataque recordatione *Kayssleri* benefacta post mortem, quod speramus, agnoscentur et celebrabuntur.

Ipse Vratislaviam redux, ea cui hactenus totum se dederat docendi consuetudine statim renovata, quantumcunque suppetebat otii lectionibus philosophicis, cum a civibus *Leopoldinae*, tum ab aliis litterarum amicis sedulo frequentatis insumpsit. Nec quod maxime semper in votis habuerat, diu frustra optavit, ut sibi liceret, cum officio scholastico academicum munus conjungere, difficilemque educandi atque erudiendi artem in sua amplitudine exercere. Quum enim anno hujus saeculi undecimo Vniversitas litterarum Francofurtana, Vratislaviam translata, cum *Leopoldina* conjungeretur, nec defuit *Kaysslerus* insigni doctorum undiquaque convocatorum coronae. Ea conditione, ut sibi a gymnasio regundo non esset discedendum, munus Professoris P. O. honorificentissime sibi oblatum accepit, cui postea seminarii quoque Regii paedagogici moderatio addita est.

Triplicem hanc provinciam eo successu administravit *Kaysslerus*, qui a viro erat exspectandus, qualem eum et nos descripsimus et Vos novistis. In ipso virilis aetatis flore constitutus,

largis experientiae subsidiis si quis alius instructus, universum publicae educationis ambitum a primis inde rudimentis ad absolutum usque altiorum studiorum decursum uno quasi obtutu comprehendens, quae non praestitisset *Kaysslerus*, si ad raram hanc et virtutum et munerum conjunctionem longior vita accessisset! Verum enim vero, unicum paene hoc quod nobis supererat votum ratum facere noluit Deus. Lento morbo sensim sensimque exhaustus, fatique, dum familiares spei adhuc indulgerent, diu praesagus, sub noctem diei XII. Dec. MDCCCXXI., conjuge, medico, amicis adstantibus, quorum animos ipse amanter erexerat et obfirmaverat, oculis tabulae Redemptorem nostrum referenti infixis, absque cruciatu, absque angore placide exspiravit, Deoque lubens reddidit animam, qua sanctiorem terrae non tulere.

Refricuit et auxit, non repressit justissimum dolorem novus casus, ut minus inopinatus, ita aeque luctuosus, quo eodem subsequuti Januarii mensis die XII. res nostrae iterum graviter affligebantur, mortem dicimus *Ioannis Theaeni Schneideri, Saxonis* cognomine insignis, Philos. Dr., eloquentiae et philologiae per XLV. annos Prof. P. O., bibliothecaeque Regiae et Vniversitatis praefecti, quo illustrius nomen reipublicae nostrae litterariae eripi haud poterat: non enim tam nobis, quam Germaniae universaeque Europae cultiori et posteritati vixit.

Ab humilibus exortus est originibus: patrem enim habuit fabrum murarium, cui die XVIII. Ian. anno superioris saeculi quinquagesimo Colmae, Wurzam inter et arcem *Huberti* in Saxonia tunc electorali natus, prima infantiae tempora in secessu rusticano, pueritiam in ignobili oppido, Elsterwerdae, apud avunculum quendam liberis orbum peregit, utrobique sibi ipsi commissus suique fere juris: nec exigua inde in *Schneiderum* utilitas. Etenim simplex cui adsuescebat victus duriorque cum aequalibus sub dio vita roborabant corpus, ita ut assiduis viri laboribus ne provectiore quidem aetate unquam deficerent latera ac vires: recludebantur praeterea, exercebantur et acuebantur sensus molles adhuc et flexiles ad naturae contemplationem, priusquam — quae misera plerumque eruditorum hominum conditio — dura annorum et umbraticorum studiorum quasi cortice obducti, adversus purissimas obtunderentur voluptates.

Hinc feracissimae ingeniorum matri atque nutrici, scholae Portensi, ab avunculo traditus, etsi ab initio severae fereque coenobiali disciplinae reluctaretur fervidus adolescens, mox tamen ab antiquarum praecipue linguarum praestantia captus et mitigatus, primas futuri luminis scintillas ostendit. Annum nondum vigesimum agens Lipsiam se contulit, ex avunculi quidem sententia ut juris consultorum castra sequeretur, sed apud ipsum longe aliter erat constitutum. Litterarum

quo Portae imbutus erat amor altiores jam apud *Schneiderum* radices egerat, quam quae alieno arbitrio ex tenacissimo animo facile evelli potuissent: Lipsiae vero, ubi *Io. Iac. Reiskius*, *Io. Frid. Fischerus* et *Frid. Volg. Reizius* humanitatis studia summa tum cum laude docebant, nova eaque uberrima nutrimenta erat nactus. A talibus praeceptoribus excitatus, repugnantem avunculum parum curavit, genioque, cujus probe sibi conscius erat, obtemperavit: nec unquam poenituit *Schneiderum*, hujus potius monitis, quam vulgaris victumque tantum quotidianum spectantis prudentiae insusurrationibus aurem praebuisse. *Reizii* quidem accuratam et subtilem doctrinam, rectum judicium sequutus, maxime suspexisse, sibique quam imitaretur proposuisse videtur: sed eruditionem proprio Marte acquisitam eruditioni ab aliis traditae jam tum praeferre didicerat. Privatam igitur potissimum industriam conjunctis antiquitatis et naturae studiis impendit, laetasque eorum primitias edidit a. MDCCLXX. observationes in *Anacreontem* vernacule haud sine lepore scriptas, quas anno post periculum criticum in *Anthologiam Constantini Cephalae* excepit. Non aequabat tantum, sed superabat in his opusculis juvenilem quendam impetum exquisita doctrina judiciumque acutum et pro auctoris aetate mirifice subactum: eam praeterea studiorum viam ac rationem, unde

22*

nullo abhinc tempore *Schneiderum* aberrasse videmus, jam in his initiis praemonstravit.

Duriora tamen tempora juvenem a quovis externo subsidio destitutum exspectabant Goettingae, quorsum *Heynii*, ut videtur, fama tunc maxime florente bibliothecaeque instructissimae copiis allectatus, etsi dehortabantur amici, relicta Lipsia transmigraverat: ibi enim, quamvis a *Culencampio* et aliis quantum fieri poterat succurreretur, cum extrema interdum rerum omnium inopia ei erat conflictandum. Huic fortunae iniquitati, cui tamen invictum semper pectus opposuerat, a viro ereptus est de litteris nostris haud uno nomine praeclare merito, a *Ric. Franc. Phil. Brunckio*, qui quum hominem antiquitatis probe gnarum quaereret eo consilio, ut sibi in edendis poetis Graecis a manu esset, suadente *Heynio* ipseque strenui juvenis moribus delectatus, *Schneiderum* sibi adjunxit eumque secum haud mora Argentoratum abduxit. Liberaliore quo dehinc fruebatur vitae genere non ad vitae delicias, quas plurimas urbs opulentissima subministrabat, abusus est: sed consuetudine in alteram jam naturam conversa, *Brunckio* quoque vehementer instigante, juxta officia huic facienda suis se studiis totum immersit. Quod quam egregie ei cesserit, testatur liber de *Pindari* vita et scriptis, testantur *Plutarchus* de puerorum educatione una cum *Marcello Sideta* editus priorque

*Oppiani* recensio: his enim operibus, Argentorati absolutis, effecit, ut optimae spes cito transirent in fiduciam.

Neque diu tanto jam viro carendum erat patriae. Etenim a ***Zedlitio***, generoso ***Friderici Magni*** amico, ut eloquentiae et philologiae cathedram in Vniversitate Francofurtana Viadrina exornaret invitatus, domino se subducturus interdum importuno, nec, ut verum fateamur, ad seriam Germanicorum morum simplicitatem facto, conditionibus haud sane lautis statim adnuit, eodemque anno MDCCLXXVI. munus oblatum est auspicatus.

Gratum hoc diuturnorum studiorum domicilium, cui inclarescens ***Schneideri*** nomen recentem mox splendorem addiderat, nunquam fortasse reliquisset, nisi ante hos decem et quod excurrit annos Vniversitati Francofurtanae Vratislaviam transmigrandum fuisset. Vratislaviae quoque aliquantisper una cum ***Lud. Frid. Heindorfio*** doctoris publici directorisque seminarii Regii philologici munus sustinuit: quibus vero negotiis quum nullo tempore multum tribuisset — ut enim, quae sciebat, sibi ipsi fere omnia debebat, ita ab aliis quoque eandem indefatigabilem in privatis studiis assiduitatem exspectabat et exigebat, nec quaecunque aliunde sint illata in juvenum animis diu haerere arbitrabatur — gratissimum ei accidit, quod post praematuram ***Geo. Gabr. Bredovii***, optimi viri, mortem, exemta ei docendi necessi-

tate, Regiae et Vniversitatis bibliothecae praeficeretur. Huic, prosperrima plerumque valetudine usus, extremos viridis vegetaeque senectae annos ad mortem usque dicavit.

Longinquum istud laboriosae vitae spatium tanta doctissimorum operum serie distinxit et illustravit *Schneiderus*, ut sive ingentem voluminum numerum respicias, sive divites thesauros congestarum in iis rerum memorabilium ac novarum, bibliothecae ad instar habenda sint, quae posteritati tradiderit. Quae si singillatim enumerare suumque uni cuique pretium statuere velimus, non solum temerarium, sed, si vere auguramur, frustra quoque susceptum opus aggrederemur: sunt enim eruntque dum aliquis solidae doctrinae honos in manibus atque memoria eruditorum. Satis igitur habebimus, provincias, in quibus potissimum regnarit, leviter adumbrasse, vincula, quibus eas inter semet ipsas colligaverit, summatim indicasse, et ad praestantissima tantum ex quovis genere monumenta digitum intendisse.

Ac philologum quidem, grammaticum, antiquarium, scriptorum maxime Graecorum interpretem quis ignoret *Schneiderum*, quis non celebraverit aut celebratum certe audierit? Lexicorum Graecorum exstruendorum doctrinam, unde primus ad linguam et litteraturam aditus, ab *Henrico* inde *Stephano* propter difficultates suas plane neglectam et quasi proscriptam, ne dicamus ad remos et lapicidinas damnatam, primus ab

interitu vindicavit operaque tam efficace restituit, ut nos fere omnes, quotquot nunc linguarum nobilissima delectamur, discipulos habuerit. Quod si multa nihilo secius emendanda, amplianda, addenda reliquerit successoribus, causam non tam in *Schneidero*, quam in ipsa vasti operis natura sitam esse, ut peritior quisque et aequior harum rerum aestumator, ita optime norunt ii, qui latissimo huic eruditionis campo pedem ipsi inferre tentarunt. Durabit igitur, ut recte nuper judicavit doctissimus quidam *Schneideri* amicus, quem nostra haec narratio non hic solum sequuta est, durabit debitus operi honos, insigni semper cum utilitate in rebus physicis praecipue ac technologicis consultabitur, et fundamentum copiosioris et accuratioris Lexicographiae manebit.

In eligendis vero, quos ederet et illustraret, scriptoribus antiquis non iis se applicuisse videtur, quorum propria quadam et singulari pulchritudine imprimis sese detentum sensisset, sed quos difficultatibus ex rebus magis et ex argumenti ratione, quam ex lingua et dicendi genere natis prae aliis implicitos ideoque a paucissimis inspectos, nedum diligentius lectitatos animadvertisset. Rarae hujusce strenuitatis, trita ac vulgaria spernentis, recondita atque intacta studiose appetentis, praestantissimi haud dubie foetus praeter Eclogas physicas, ex auctoribus cum Graecis, tum Latinis depromptas, ut nobis quidem videtur, nominandae sunt editiones Scriptorum *rei rusticae*, *Vi-*

*truvii*, *historiae animalium Aristotelicae et* — qui extremus *Schneideri* labor — *operum Theophrasti*, quarum quaeque novas cognitionis regiones aperuit, quaeque auctorem suum posteritati transmisisset. Et ne quis opinetur, hunc virum ea judicii et subtilitate et elegantia destitutum fuisse, sine quibus de singulorum antiquitatis operum pretio et dignitate, de auctore, cui assignanda, deque aetate, qua scripta esse videantur, certi quid definiri nequeat, quae igitur, ut paucis multum comprehendamus, verum criticum faciant: verbo certe mentionem injicimus judicii de Argonautarum carmine, diu sub *Orphei* nomine circumlato: quod quum juvenis vicenarius antiquissimo Graeciae vati abjudicare haud dubitasset, statim quidem acerbum expertus est castigatorem *Ruhnkenium*: sed triginta annos post id habuit satisfactionis, ut, quae olim recte sensisset, a gravissimo sponsore, *Godofr. Hermanno*, novis et tam validis argumentis assererentur, ut hodie extra omnem fere controversiam posita sint.

Accessit ad haec, quae nostra aetate haud frequens, interior Latinorum medii aevi scriptorum cognitio. Quum enim bene intelligeret, ex his quoque opportune ad auxilium vocatis huic illive antiquitatis parti multum lucis affundi singulisque auctorum locis inexspectatam medicinam afferri posse, haud reformidavit grave taedium omnium, quotquot huc facere viderentur, variis

quoque eorum editionibus inter se collatis, diligentissime excutiendorum, nec sine magno fructu hunc laborem exanclavit. Prodiit hinc operum *Friderici* II. Imperatoris nova editio: prodierunt libelli aliquot minores, de *Diogenis Laertii* pleniore quadam recensione, a *Burleyo* Britanno saeculo adhuc XIII. exscripta, in *Analectis litterariis Wolfii*, de *Thoma Brabantino*, *Cantimpratensi*, vero libri de rerum natura auctore, aliique in *Io. Gust. Bueschingii* notitiis hebdomadalibus publicati. Sed plura ejusmodi ad crisin potissimum nonnullorum scriptorum Romanorum ex *Ioanne Sarisberiensi*, *Vincentio Bellovacensi* et aliis petita eaque quae evulgentur non minus digna in scriniis reliquit.

Omnium vero maxime semper admirati sumus arctum illud et fere necessarium, quod inter antiquitatis studia et naturae cognitionem foedus instituerit *Schneiderus*. Hujus conjunctionis utilitatem admodum juvenis persentiscens, quum primum *Aristotelis* historiam animalium, *Antigonum Carystium*, *Nicandrum* Lipsiae evolveret, tantam utrique doctrinae operam navare coepit, ut non solum antiquos de rebus naturalibus auctores ipse penitus intelligeret, aliisque eorum intellectum innumerabilibus difficultatibus obnoxium multo quam antehac expeditiorem redderet, sed ipsam quoque naturae scientiam propriis observationibus pari cum diligentia et subtilitate institutis mirum quantum locupletaret atque

augeret. Nam ut libros recentiorum his de rebus accuratius scriptos haudquaquam negligebat, plurimum tamen naturae ipsius naturaliumque exemplarium contemplationi, cui mature adsueverat, tribuere solebat. Fuitque tanta *Schneideri* cura atque industria, ut manus, ab assiduo labore hortensi rigidiores et motuum facilitati minus idoneas, nullo unquam magistro usus, ad res naturales, si non eleganter et nitide, recte certe, accurate et distincte graphide ad vivum delineandas adigeret et applicaret.

Ac plantarum quidem cognitionem a teneris fere in deliciis habuerat, nec unquam hic amor refrixit, quod *Theophrasti* historia plantarum testatur: et quum amoenissimi hortuli culturam suis ipsius manibus exercere Francofurti consuevisset, Vratislaviae pergeret, labor ei idem ac requies erat paratumque adversus valetudines minus commodas remedium. Longe tamen plurimum studii et operae dicavit Ichthyologiae atque Amphibiologiae, condiditque, ut alia taceamus, duratura harum disquisitionum monumenta, ichthyologiae veterum et physiologiae amphibiorum specimina, comparationem structurae piscium cum structura hominis et reliquorum animalium, a *Monrone* Anglice scriptam, a *Schneidero* Germanice redditam multisque accessionibus ditatam, *Petri Artedii* synonymiam piscium emendatam, auctam atque illustratam, historiam denique amphibiorum naturalem et testudinum universalem.

Eminet in omnibus operibus hisce peculiaris quaedam anatomes comparativae peritia et aestumatio: hanc enim universae zoologiae principium esse semper affirmavit. At quod nunc nemini incognitum, de quo nemini jam non persuasissimum, externarum animalium partium descriptionem sine perfecta interioris structurae cognitione parum utilem esse parumque fructuosam, quum *Schneiderus* ad scribendum sese accingeret sententia erat minime ab omnibus probata atque recepta. *Schneidero* potius una cum spectatissimis amicis, *Campero*, *Pallante*, *Blumenbachio*, insignis ea debetur laus, hujus judicii veritatem evicisse, certumque hinc zoologiae fundamentum substruxisse.

Quod si vero in universum negari nequeat, feliciorem fuisse *Schneiderum* in operum rationibus mente et cogitatione praecipiendis, describendis et adumbrandis, quam in ipsis expoliendis, uberius illustrandis, uno aequabilique tenore ad finem usque perducendis et absolvendis, ita ut interdum aut ingente eruditionis mole obrutus aut nobili quodam inquirendi ardore celerius abreptus, argumento praeclare cogitato clareque ante animum observanti dignam tantis virtutibus formae perfectionem addere neglexerit: quae igitur ut recte objecta videri possint, si contenduntur cum iis, quae ipsi huic insatiabili, ideoque nunquam cessanti, nusquam diutius insistenti cognoscendi cupidini accepta referimus, non

leviora tantum, sed cum hujus viri indole necessario fere vinculo connexa apparebunt. Haud enim satis habuit, quod in ***Claudio Salmasio***, cui comparari solet ***Schneiderus***, majore fortasse cum jure reprehendas, rudem et indigestam materiam coacervasse: sed siquidem haud omnia digessit et disposuit, viam tamen qua ultra tendi possit ubique aperuit et munivit, veramque scrutandi rationem exemplo suo ostendit. Qui vero in universum admirabilis, in singulis non est criminandus.

Et si jam quaeritis, Commilitones, qui fieri potuerit, ut tot tantaque ab uno mortali perficerentur, primas quidem partes egregio *quo* divinitus ornatus erat ingenio jure concedimus. Duo autem accesserunt, quae, uti a proprio ***Schneideri*** arbitrio pendebant, ita in omnium eorum potestate collocata sunt, qui ceteris hominibus praestare et aliquam sui famam post se relinquere cupiunt: horum alterum justus erat temporis usus summaque otii parsimonia, quae quantum faciant ad rem nemo fere erit qui ignoret, quamvis plurimi ignorare videantur: alterum, nonnullis fortasse leviusculum visum, recta valetudinis cura, non anxia illa, a medici ore ac vultu suspensa, sed virilis, strenua, aequa sedendi et si res postulet corporis vires intendendi consuetudine quaesita, temperantia et patientia fulta.

Vtrumque *Schneidero* rectius nemo nec aestumavit, nec exercuit. Nunquam lucubrabat, sed per hiemem aeque ac per aestatem ante quartam horam surgebat, nec raro ad coenam usque sine interpellatione stans plerumque scribebat, legebat, excerpebat: reficiebat vires aestate in horto, hieme ligna serrando: multorum non erat hominum, paucis vere amicus.

Antiqua hac et *Catoniana* vitae ratione assequutus est, quod irrito plerique desiderio sibi exoptant. Ad extremam usque pervenit senectutem, nullis indefessi laboris molestiis superatus, nullis morbis infractus, neque sensuum acie, neque felice fidaque memoria destitutus. Duravit tamen ultra corporis robur juvenilis animi vigor: quum enim aetatis anno LXXI. exacto vires subito decrescentes sentiret, a studiorum tamen consuetudine recedere noluit, extremoque jam morbo haud leviter afflictus *Theophrasti* editionem et supplementa ad lexicon Graecum absolvit, novam vero *Aelianeae* animalium historiae recensionem inchoavit, quam ingruente fato abruptam a viro in his litteris principe, *Frid. Iacobsio*, ad umbilicum perductum iri speramus. Gravis annis et meritis, honoribus, quibus nunquam ultra modum delectatus erat, satiatus, vitaeque cognitioni et scientiae fideliter impensae sibi conscius, sex diebus ad septuagesimum secundum annum reliquis, vita excessit.

Commendavimus, hac nobis scribendi opportunitate oblata, Vestrae, Commilitones, memoriae duumviros, inter se quidem admodum diversos, sed suo quemque genere praestantissimum vereque magnum, qui eodem fere tempore nobis erepti, nunc in eodem quoque sepulcreto alter ab alterius latere recubantes diem Domini exspectant. Scripsimus haec non tamquam laudibus nostris egerent viri ultra mortales laudes evecti: sed ut debitae erga utrumque pietatis pignus, quod in aliis Vniversitatibus lege praescriptum est, sponte exsolveremus. Vos vero, talium defunctorum recordationem fidis pectoribus recolentes, praesentibus dum concessum est bonis fruimini.

# XIX.

## NARRATIO

DE

## IOANNE CASPARO FRIDERICO MANSONE.

Multa sunt, quae regum vitas ornant et illustrant, ex quibus nonnulla quidem coeco casu feruntur, neque fortunae quadam benignitate addi tantum, sed etiam fatorum iniquitate rursus eripi atque convelli possunt: alia vero in ipsis principum virorum virtutibus altas radices ceperunt, et a temporum vicissitudinibus immunia nunquam perituras laudes peperere merentibus. Primum inter haec bona locum post universam civitatis salutem eorum sibi hominum felicitas jure vindicat, qui morum honestate, ingenii excellentia, eruditionis copia atque subtilitate aequalibus praestant, et aliquam sui nominis famam ultra angustos humanae vitae terminos extendunt. Virtus quidem, quae aeterna et immortalis habetur, nullis his eget adminiculis, quibus, ne corruant, mortalia instituta fulciantur necessum est; neque ullum probitati civium adeo vidimus infestum aevum, quin juxta omnem scelerum colluviem pectora generosiora et altius spirantia protulerit:

clarius etiam tanquam scintillae divinioris naturae per caligines emicant, *νυκτὸς ὡς λαμπόμενον πῦρ*. Vt igitur reprimantur interdum atque cohibeantur, nullo unquam tempore exscindentur prorsusque delebuntur bonarum artium germina, quae simulac fecundior quaedam adflaverit aura laetius atque hilarius pullulant, et melioris aetatis reditum faustis praesagiis significant.

Haud ergo falluntur, qui ex benigno praeclarorum ingeniorum proventu de prudenti totius civitatis conformatione deque eorum, qui imperii gubernacula moderantur, sapientia, quemadmodum ex aristarum ubertate de agri fertilitate, certam conjecturam facere sustinent, et regiae mentis altitudinem non alia re nisi civium *suo* cujusque genere optimorum publica felicitate et auctoritate rectius judicari posse contendunt. Talium igitur hominum egregie facta narrare, virtutes celebrare, memoriam rerum magis fide quam orationis artificio aequalibus commendare et posteris tradere, quid est aliud, quam bonos principes, ita ut par erat, absque ambitione et adulatione laudare?

Huic persuasioni obtemperantes, quum ex instituto nobis praeludendum esset candidissimo diei, quo *regem* nobis natum esse *Clementissimum et justissimum* omne nomen Borussum uno animorum consensu laetatur, hujus lucis auspicia a pio defuncti hominis desiderio capere non dubitavimus. Nuper enim civitas nostra gravem fecit

jacturam viri non tantum omnium judicio boni, cordati, honesti, sed de universa quoque patria per longam annorum seriem eximie promeriti et multifariis ingenii atque eruditionis suae monimentis apud exteras quoque gentes clari, *Friderici Mansonis.* Cujus viri rebus humanis jam exempti simulacrum quoddam primis fugientis calami ductibus delineaturi ne purum festi luminis splendorem funesto quasi omine obscurasse insimularemur, tam parum metuimus, ut dignissimum potius hac solennitate argumentum elegisse nobis videremur. Vt enim regibus nihil gratius, nihil acceptius, integris civium suorum moribus, ita ad hos formandos fingendosque nihil unquam novimus efficacius spectatorum exemplorum commendationibus. Boni igitur civis memoriam natali *Regis* genio consecrantes dignitati hujus diei ita consuluisse judicabimur, uti litterarum imprimis universitatem decebat.

Id quidem haud nobis fuit propositum, quaecunque ad perfectam et omnibus partibus consummatam *Mansonis* imaginem pertinerent exhausisse neque quicquam aliis sive addendum, sive ampliandum et emendandum reliquisse: haec enim neque potuimus praestare, neque voluimus. Ipsa nimirum hujus scriptionis opportunitas et temporis brevitate et spatii angustiis adeo nos constrinxit, ut summis rerum capitibus decerptis ea tantum persequi licuerit, quae praetermittere

religiosum fuisset: neque injuria in arrogantiae crimen nobis verteretur, si ea nobis occupare in mentem venisset, quae rectius et plenius ab amicis et discipulis *Mansonis* dabuntur. Nam quanto quis arctiore familiaritatis vinculo, quanto longiore consuetudine ei fuerit conjunctior, tanto copiosius et verius de privatis ejus virtutibus deque domestica vivendi ratione, de ea qua pollebat docendi facultate et de eximia in regundo cui praeerat ludo prudentia exponet. Nobis ea sufficiant, ad quae omnibus, quibus litterae curae cordique sunt, aditus aeque est apertus: vita igitur *Mansonis*, ut erat simplex et unam semper formam referebat, paucis adumbrata, quae in variis eruditionis generibus praestiterit, quaeque maxima ejus in rem publicam litterariam fuerint merita, sub unum conspectum dare conabimur. Haec quo minus silentio opprimantur cavere nostrum est: haec eum nobiscum conjunxerant, neque hoc nomine noster vocari detrectavit. Ac praevidemus quidem haud esse defuturos, qui si minus in omnibus, in multis certe a nostra sententia sint discessuri: hi cogitent, velimus, a libertate judicii varietatem secerni non posse. Nos contenti erimus, si molesta quadam nimietate laudis feliciter evitata, — verae enim excellentium virorum aestimationi gravissime officit et moderato semper *Mansonis* ingenio adprime displicebat — aequis judicibus debito pietatis officio rite functi videbimur. Quae quum ita sint, libel-

lus noster voluntatis professione si non laudabitur, tamen excusabitur.

*Ioannes Casparus Fridericus Manso* lucem adspexit anno superioris saeculi quinquagesimo nono *Cellae sancti Blasii* in ea Thuringiae parte, quae florenti tunc, nunc fatis exstinctae Gothanorum ducum prosapiae parebat: pater honestissimus rusticis per praefecturam Cellensem jus reddebat. Praeterea de gente *Mansonia* nihil certi tradere possumus, unde planum fiat, num primas origines in Italia habuerit, ipse tamen *Fridericus* haud aegre ferre videbatur, si quis, quod facile cuipiam in mentem inciderit, inter eum et doctum illum Italum, *Ioannem Baptistam Mansonem*, copiosis de *Torquati Tassi* vita commentariis satis notum, non nominis tantum et studiorum, sed sanguinis quoque conjunctionem intercedere autumaret, neque verisimilitudine caret conjectura.

Puer aliquanto diutius, quam hodie haud obscuro loco nati adsolent, sub umbra domesticae institutionis delituit. Prima litterarum rudimenta ab ipso patre accipiebat: mox praeceptoribus traditus est, quos hac aetate duos deinceps habuit. Hi, etsi non omnino satisfecerint patris exspectationi, duplicem tamen neque exiguam laudem meruerunt: filium a teneris unguiculis ad scriptores Romanos adsiduo ardore lectitandos adplicuerunt, et, quod certissimo eventu ad vires juveniles excitandas et acuendas promovet, maturae eum

privatorum studiorum constantiae adsuefecerunt. Hinc effectum est, ut annum aetatis decimum septimum nondum egressus optimos quosque e scriptoribus Latinis non perlegerit tantum, sed etiam relegerit: Graecae vero linguae cognitionem non tam doctoribus, quam suae industriae, suo, quo jam tum haud mediocriter flagrabat, liberalium artium amore acceptam retulit, neque profecto sub ullius magistri auspiciis celerius cessisset res. Casu quodam post primas difficultates superatas incidit in ***Hesiodum*** et ***Theocritum***: utrumque haud mora in patrium sermonem transfert, neque postea hos poetas maxime in deliciis habere desiit. Haec ***Mansonis*** sollertia majore etiam est admiratione digna, si miseram conditionem reputamus, qua illis temporibus Graeci sermonis studium in omnibus fere patriae nostrae scholis laborabat: quid quod in supremo ipsius gymnasii Gothani ordine nemo tum ultra ***Palaephatum*** sapere ausus sit! Caveant igitur nostri homines, quibus neque opportunitas Graecae linguae funditus ediscendae, neque subsidiorum copia deest, caveant propterea reprehendere ***Mansonem***, quod ad eximiam illam, qua in Latino sermone excelluit, peritiam in Graecis litteris haud pervenerit. Nemine enim viam monstrante, proprio Marte tam solida hujus quoque linguae fundamenta jecit, ut vir factus magno adolescentulorum numero eo, quem ipse repererat, tramite ad veram cognitionem praeiret.

Optimam vero pueritiae magistram ac ducem habuit naturam. Montes enim illi Thuringiae, quorum ipsis sub radicibus et editus fuit noster et educatus, neque enormi cacuminum altitudine, neque inaccessis saltuum sylvarumve tenebris horrore percutiunt animos, sed mira jugorum clementer adsurgentium amoenitate, frigidis nemorum umbraculis, convallium rupibus hinc illinc cinctarum grata solitudine, pratorum subjacentium integra viriditate, limpidissimorum fontium ac rivulorum ambagibus capiunt et detinent, eamque menti reddunt tranquillitatem, quae juvenilia corda ad modestum vitae usum, ad sensus teneros quidem et molles, sed puros et castos, ad id denique poesis genus vocant et informant, quod medium quemdam cursum tenens neque turpiter humi serpit, neque ardua tentans plures praecipites dat *Icaros*, quam *Daedalos* servat. Neque in *Mansone* vi sua fictrice caruerunt hi montes, haec nemora: moribus ingenuam quandam addiderunt suavitatem, quam longior vita confirmavit, primosque e puero elicuerunt igniculos poeticos, et tenuem illam venustatem atque elegantiam, quibus adulti oris ingenii monimenta nitent, quasi praefiniere.

In puerili hoc cum Musis sylvestribus consortio utiliter instituendo consilii dexteritate nonnihil, censurae severitate, interdum etiam acerbitate, mirum quantum profuit nostro vir singularis prorsus ingenii, celebratus olim *Horationorum*

carminum interpres, *Iacobus Fridericus Schmidtius*, qui tum Cellae, posthac Gothae, concionatoris sacri munere fungebatur. Talis hic *Mansoni* exstitit amicus, qualis utinam omnibus contingat adolescentibus, quotquot vatis nomen adfectant, priusquam soluta oratione probabiliter uti didicerint, quique sensuum sive mollitiem sive sublimitatem irrito conamine venantur, priusquam vel simplicissimarum cogitationum perspicuitatem sint adsequuti. Si nihil aliud liberalem certe antiquorum exemplorum imitationem et diligentem limae usum a *Schmidtio* percepit noster, neque injuria gloriatus est ille, se primum ad Permessios fontes deduxisse puerum.

Saluberrimus hic latentis vitae recessus, *in* dulci Cellanae solitudinis angulo ingenti cum fructu neque sine voluptate exactus, ad decimum octavum usque aetatis annum perduravit. Quum enim sentiret pater, filio idonea rerum maxime necessariarum cognitione instructo palaestra jam opus esse, in qua succrescentes adolescentuli vires liberius exspatiarentur, patrio eum tradidit gymnasio, quod anno MDXXIV. a *Guilelmo*, Thuringiae duce, Gothae conditum, post varias vicissitudines hoc ipso tempore sub auspiciis divi *Ernesti* II., principis sapientissimi, nova incrementa ceperat. Praeerat tum illi *Ioannes Godofredus Geisslerus*, Lusatus, *Ernestianae* disciplinae alumnus, in quo viro nescias, utrum divitem doctrinae copiam et subtilitatem, an ex-

cellentem docendi peritiam magis admirere, licet ipse illustriora in ingeniis juvenilibus praeclare excolendis, quam in scriptis doctrinae speciminibus evulgandis monimenta quaesiverit. Hic vir, quum ludum tanquam sordibus et squalore obrutum accepisset, post undecim quibus eum rexit annos talem reliquit, cui mox sub *Geissleri* successoribus, ***Friderico Andrea Strothio*** et, qui hunc excepit, ***Friderico Guilelmo Doeringio***, optimo sene, splendidus inter praestantissimas Germaniae scholas locus adsignaretur.

*Mansoni* tamen per annum tantum magistro incomparabili frui contigit, de qua institutionis brevitate senem adhuc conquerentem audivimus. *Geisslerus* enim anno MDCCLXXIX., sive difficultatum ab ephoro quodam supercilioso sibi objectarum pertaesus, sive novi muneris amplitudine invitatus, oblatam scholae Portensis regundae provinciam suscepit: noster vero, orbitatem quasi gymnasii aegre ferens, statim post, annum undevicesimum agens, in universitatem litterarum Ienensem transmigravit. Vnum tamen idque omnium gravissimum, sed paucis satis perspectum, a *Geisslero* didicisse se fatebatur, quae quantaque sibi superessent addiscenda: et ab hac parte haud male praeparatus ad altiora studiorum evolavit.

Ienam eo se contulerat consilio, ut sacris litteris operam daret: sed mox, theologorum castris relictis, ad philologos et philosophos transiit,

in qua studiorum mutatione nullam aliam sequutus est rationem, quam indolem suam atque genii admonitionem, quibus obtemperasse neminem adhuc poenituit. Multum tamen abhorrens ab eorum mobilitate, qui hinc illinc degustantes nihil exhauriunt atque consumunt, duos sibi prudenter elegit magistros, quos maxime sectaretur, quorumque scholas adsiduo ardore frequentaret, *I. A. H. Vlrichium*, philosophum, et *Christianum Godofredum Schuetzium*, philologum, quorum ille anno hujus saeculi decimo tertio admodum senex obiit, hic octogenarius fere universitatem Halensem etiamnum nominis sui fama et auctoritate ornat. Vtriusque ingenium facile et felix, acre et certum judicium, variam eruditionem, in docendo facundiam atque facetias, in disputando acumen et subtilitatem non suspexit tantum magnopere et admiratus est, sed sibi pro virium modulo propria fecit et imitando expressit, neque frustra: quis enim fuerit, quin in pulcri sensu mature exculto et in accuratissimo dicendi genere, quae vel minimis nostri opusculis impressa quasi et inusta videmus, sive ille Latine scriberet, sive vernacule, supparem talibus magistris alumnum haud difficulter agnoverit? Tertium his duumviris non quidem aequiparare, attamen insigni cum laude addere solebat *Reichardtum*, jurisconsultum, quem juris historiam tradentem Institutionesque et Pandectas juris Romani docte et eleganter explicantem cum tanto studiorum suo-

rum emolumento audivit, ut eandem doctrinarum cognatarum conjunctionem suis quoque discipulis ad perfectiorem antiquitatis cognitionem adspirantibus eo enixius commendaret, quanto eam apud jurisconsultos ipsos in dies magis rarescentem animadverteret.

At haec una tantum est vitae academicae facies, quae in doctoribus scite deligendis eorumque scholis ita ut par est frequentandis cernitur: altera, quae ad amicitias et familiaritates cum commilitonibus ineundas pertinet, haud minore cautione et circumspectione digna est. Vt enim concedamus, rem esse non adeo difficilem, hominum prorsus deperditorum nefarios coetus evitare et mores, quos incorruptos quis secum attulerit in academiam, sine labe servare, minus tamen expeditum esse videtur, ex magna proborum et strenuorum juvenum caterva eos potissimum dignoscere, a quorum societate et consuetudine non tantum detrimenti capias nihil, sed in ipso studiorum curriculo promoveare, ad honestissimam aemulationem concitere, in dubiis erigare et omnino ad sapientem usum fugacium horum annorum instituare: nam ea demum amicitia hoc nomine digna est, quae non tam ad relaxationem, quam ad perfectionem animi contrahitur, neque deliciarum et oblectamentorum vanitate, sed nobilissimorum consiliorum conscientia vitam exhilarat. Tales igitur amicos invenire, quos idem virtutum et litterarum amor firmo ac perpetuo

vinculo junctos teneat, melioris quoque notae adolescentulis haud semper contingit, ita ut innatae potius indolis bonitati, nisi genio cuidam tutelari dicere malis, quam prudentiae humanae confidere cogamur.

*Mansoni* tamen etiam ab hac parte ex voto cesserunt omnia: ipse enim veteris proverbii veritatem expertus est,

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Paucos quidem numero habuit amicos, sed juvenes lectissimos, quos viros factos maturior aetas egregie probavit. At sufficit nomina eorum omni nostra laude majora apposuisse, ***Grabneri***, ***Schatzii***, ***Iacobsiorum*** fratr., ***Car. Guilelm.*** et ***Frider.***, quorum postremo, qui unus jam ex omnibus superest, utinam anni in commune humanitatis bonum accedant, quos ceteris fatorum iniquitas detraxit!

Ex illorum magistrorum scholis, ex horum amicorum societate post quinquennium indefesso litterarum cultui fideliter insumptum Gotham rediit noster, ut munia praeceptoris domestici, quibus per extremum tempus Ienae in nobili ***Hellfeldiorum*** domo functus erat, ibi in familia ***Schalleria*** curaret. Sed statim ab initio haud fugit gymnasii ephoros, talem virum non privatae utilitati unius alteriusve ex civibus, sed universae patriae deberi: eodem igitur anno, quo Ienam reliquerat, hujus saeculi octogesimo et tertio,

primum collaboraturi, mox professoris munus et honores in eadem schola ei sunt delati, e cujus umbra in lucem academiae prodierat: tam cito ei contigit, quae summa honesti viri voluptas, almae huic adolescentiae suae nutrici beneficia accepta bene de ea merendo referre, quod quam religiose fecerit memorare, in *Mansone* virtutis non fuerit praedicatio, sed injuria.

Septem annorum spatium insequutum est, quod sive dignitatem vitae, sive suavitatem spectes, nullum fere votum *Mansoni* inexpletum reliquit. Insignis illa morum gratia totiusque vitae socialis decor et elegantia, quae Francogallis propria esse perhibentur et ex opinione vulgi ab iis tantum edisci possunt, Gothae tum alteram quasi patriam nacta erant, sed Germanica severitate et modestia temperata. Sub ipsis *Ernesti* ducis auspiciis cultissimi ingenii homines, *Thuemmelii* fratres, *Gotterus*, *Geisslerus*, qui bibliothecae publicae praeesset Porta revocatus, *Strothius*, *Koppius*, *Loefflerus*, *Kaltwasserus*, *Grimmius*, doctus *Hippocratis* interpres, *Bekkerus*, *Schlichtegrollus*, *Reichardtus*, alii, non humanitatis laude minus quam famae celebritate urbem illustrabant. Vinariae summorum tum poetarum conjunctione splendentis vicinia arctius contrahebat vincula, quae inter optimos quosque viros exstare voluit ratio. Peregrinantium doctissimi ex omnibus Germaniae partibus in utraque urbe confluxerunt, ita ut illiberalitatis cujusdam

nota ei adhaerere videretur, qui neque Gotham, neque Vinariam earumque proceres salutasset, unde tantum litterarum commercium natum est, quantum in maximis interdum et opulentissimis urbibus frustra quaesiveris. Horum annorum felicitas *Mansoni* aucta est Ienensium amicorum, Gotham repetentium, renovata consuetudine, e quibus *Fridericus Iacobsius* haud ita multo post muneris quoque societate arctissime cum eo conjungebatur, perduravitque familiaritas, litterarum crebritate sustenta et publicis ab utraque parte documentis celebrata, nunquam relaxata, nunquam interrupta, ad mortem usque *Mansonis.*

Neque vero subsidiis, neque otio carebat noster ad opera litteraria, quae juvenili ardore feliciter inchoaverat, strenue continuanda, diligenter absolvenda. Scholasticum munus neque nimia laborum mole eum obruebat, neque ab ea, quam sibi proposuerat, studiorum ratione avocabat: nec profecto quicquam juveni ad rem scholiasticam primum aditum tentanti perniciosius ingenti isto quotidianarum lectionum numero, quibus non unum quoddam alterumve litterarum genus diligenter pertractare licet misero, sed per diversissimas quasque disciplinas vagari et quae obiter corraserit puerulis suis tradere cogitur, sive inveterata consuetudo, sive domesticae rei angustiae tristem hanc imposuerint necessitatem. Praeterea bibliotheca ducalis *Mansoni* idoneam lectissimorum librorum copiam suppeditabat, ut

ab hac quoque parte haberet, quae non nisi aegre desideret eruditus homo. Quibus opportunitatibus quam dextere sciverit uti, plenissime ea ostendunt opera, quae Gothae ad umbilicum duxit, *Virgilii Georgica*, (1783.) *Bionis* et *Moschi idyllia*, (1784.) *Sophoclis Oedipus rex*, (1785.) versibus Germanicis reddita et luculenta adnotatione illustrata, libellus de *Horis et Gratiis*, (1787.) *Meleagri* denique editio, (1789.) quibus tantam sibi exquisitae doctrinae et recti sensus laudem comparavit, ut juvenis adhuc praestantissimis viris adnumerari coeperit, neque id injuria. Singulari enim et accuratae rerum cognitioni, quam diligenti sibi studio conquisiverat, judicium subactum, sed modeste semper prolatum, et miram quandam sermonis perspicuitatem et suavitatem addidit, quas virtutes, apud nostrates praecipue, raro tantum in uno homine conjunctas deprehendas.

Nunquam fortasse dulcissimum hoc indigenarum Musarum domicilium reliquisset *Fridericus*, nisi praeter spem omnem et exspectationem tam honorificae ei extrinsecus propositae essent conditiones, ut quo abnueret non haberet. Ab amplissimo enim civitatis Vratislaviensis senatu, qui quantopere semper scholis suis prospexerit quantoque bonas artes amplexus sit favore et hoc et multis aliis exemplis docuit, *Mansoni* prorectoris munus in gymnasio *Magdalenaeo*, quod in hac urbe floret, humanissime est oblatum.

nealogiam, heraldicam et similia proscribendo, ad simpliciorem cuncta et solidiorem ordinem revocando, maxime vero proprio industriae, fidei, eruditionis exemplo veterem *Magdalenaei* famam non restituit tantum, sed etiam auxit: et quum triennio post per *Leuschneri* mortem liceret, externos quoque rectoris honores ineunte anno MDCCXCIII. in nostrum conferre, eo usque processerat gymnasii instauratio, ut nulli abhinc postponeretur, plurimis praefulgeret.

Gravissima tunc ejus fuit cura, ut sermoni Latino misere neglecto debitus honor restitueretur, neque ut hoc perficeret ab elementis hujus linguae in infimis ludi ordinibus tradendis abhorruit. At maxima semper cum utilitate juvenibus primae classi adscriptis poetas, historicos et oratores Graecos atque Latinos interpretabatur, *Herodotum* praecipue, *Sophoclem*, *Theocritum*, *Ciceronem*, *Livium*, *Horatium*, *Tacitum:* at quum recte judicaret, non posse quemquam ad interiorem linguarum cognitionem pervenire, nisi pure eas atque emendate scribere didicerit, plurimum et temporis et operae impendere solebat praeceptis Latini sermonis subtilioribus accurate tradendis et speciminibus discipulorum tanta cum diligentia corrigendis, ut uno ore omnes confiterentur, perpetua hac conjunctione regularum artis cum exercitationibus aptius quid non posse excogitari. Simile institutum sequutus est in patria lingua, cui paria fere cum antiquis linguis

jura adsignaverat: scriptores optimos commendabat, selecta ex iis capita recitabat, illustrabat, praecepta rhetorices et aesthetices explanabat, historiam litteraturae Germanicae tradebat, scribendi denique et disputandi pericula moderabatur: quos eleganti docendi facilitate adlexerat, rerum varietate tenebat, subtilitate et acumine erudiebat: quaecunque vero tradiderat, sui exempli auctoritate confirmabat.

Hinc non mirandum, duplicem fuisse effectum scholarum a *Mansone* habitarum. Sunt enim doctores publici, qui unicam suam laudem in discipulis doctis et eruditis positam existiment, neque sane his carendum fuit nostro, neque parvi id fecit pretii. At quum ratio ipsa evinceret, in magno adolescentulorum numero perpaucos semper inveniri, a quibus nova litterarum incrementa exspectare liceat, omnium ei visum est iniquissimum, multorum illorum desideriis spretis, paucorum tantum rationem habere. Vt igitur utrisque aeque sufficeret, non ad peculiaria quaedam scientiae genera, sed in universum ad liberaliorem animi cultum dirigebat scholas suas. Hujus consilii fructus saluberrimos in omnibus, quotquot *Mansoniae* disciplinae alumni vocari merentur, facile agnoscas. Humanitatis studio non leviter tantum tincti, sed penitus imbuti, servant per reliquam aetatem colorem hunc mature conceptum, neque in ullo vitae genere ab integro litterarum amore desciscunt. Qua re quantopere profuerit

singulis juvenibus, quibus in talibus quoque muneribus, quae a Musarum societate longissime abhorrere videantur, comites eas perpetuas adjunxit, haud est quod pluribus exponamus: quis enim ignoret? Neque vero minor inde fructus in totam patriam redundavit, siquidem certissimae ejus opes in ingeniis civium recte excultis positae sunt. Gravissimo hoc munere per triginta et quod excurrit annos sine ulla intermissione functus, meritorum magnitudini, id quod paucis concessum est, diuturnitatem addidit, et quas severat arbores alteri aevo profuturas adultas vidit. Vberrima inde benefactorum praemia, quamquam non horum, sed conscientiae causa tot exantlaverat labores, discipulorum summa observantia, eximius civium favor, bonorum omnium amicitia, insignis ab ipso *rege* honor.

Ac multis fortasse hic meritorum cumulus suffecisset: *Mansoni* non suffecit. Scholam enim non emendare tantum emendatamque servare, sed ornare quoque secum constituerat. Quicquid igitur superesset otii, vulgaribus vitae deliciis animique remissionibus spretis, linguarum veterum et recentiorum perscrutationi, historiae et poesi tanto cum successu impendit, ut vix unus alterve effluxerit annus, quin aliquo eum adsidui laboris opere illustrasset. Noluimus nunc singula recensere: attamen haud abs re esse videtur, observato temporis ordine praestantissima ex quovis genere enumerare, ut planum fiat, quam varium

et multiplex *Friderici* fuerit ingenium. Sunt fere haec: *Torquati Tassi* Hierosolymae liberatae libri quinque priores, ex Italicis versibus in Germanicos conversi, (1791.) quaestiones de rebus ad Mythologiam spectantibus, (1794.) de arte amandi libri tres, (1794.) de Spartanorum historia atque institutis volumina tria, (1800—1805.) opusculorum varii argumenti volumina duo, (1801.) secunda *Bionis* et *Moschi* editio, quam rectius novam prorsus elegantissimorum poetarum interpretationem dixeris, (1807.) de vita *Constantini Magni*, (1817.) historiae Borussicae a pace Hubertoburgica ad pacem Parisinam secundam volumina tria, (1818. sq.) opuscula minora, (1821.) et quae longo agmini splendidum finem imponit, imperii Ostrogothici in Italia historia, (1824.) Haec erat *Mansonis* requies, haec refectio: laborum eam immutationem, non intermiſsionem dixeris.

Duplici huic occupationum rationi, quarum altera patriae, altera reipublicae litterariae gratissimam operam navabat noster, maxima quidem dierum neque raro aliqua noctium pars erat insumenda. Tantum tamen abfuit, ut totum se libris ingurgitaret, et intra musei parietes occlusus hilariores hominum conventus reformidaret, ut jucundiorem convivam atque hospitem vix inveneris. Quum nefas putaret, corpus a Deo nobis datum neglectui habere, externum quoque personae decorem non anxie quaesivit, sed diligenter obser-

vavit, ita ut ne in extrema quidem valetudine hanc cultioris habitus curam prorsus deponeret. Nunquam difficilis, nunquam morosus, familiaria domi colloquia de litterariis plerumque rebus multo sale jocoque vere *Socratico* condiebat: neque foris et publice quicquam in eo tristitiae aut arrogantiae: eminebat semper gravitas, sed summa benignitate ac modestia temperata: tantopere vero sibi constabat, ut ne acerbissimi quidem corporis dolores a consueta animi tranquillitate quicquam detraherent.

Vt vero nemini fuerit gravis, nemini infestus, singularis tamen quae ejus erat mentis continentia effecit, ut amicos in extremis potissimum vitae annis paucissimos numeraret. Neminem unquam magis admiratus es, cum nemine familiarius vixisse videtur, quam cum *Christiano Garvio*, philosopho Silesio: qui quum diu ante eum tristissimo morbo absumptus esset, nunquam invenit *Manso*, qui sapientis amici jacturam penitus resarciret. Litterarum universitas anno MDCCCXI. Trajecto ad Viadrum Vratislaviam translata novisque doctoribus insigniter aucta etiam *Mansoni* novas conciliavit familiaritates: magni fecit *Gabrielis Godofredi Bredovii* felix ingenium et animae candorem, suspexit uti par erat *Ioannis Theaeni Schneideri Saxonis* vastam eruditionem, neque publica desunt documenta, quae posteris quoque mutuae inter utrumque consuetudinis et officii memoriam sint traditura: com-

plures alios, qui superstites pie jam lugent defunctum, mirifice dilexit. Verum enim vero una mortalibus rebus lex est scripta: stato die nascuntur, florent, occidunt omnia: neque aliter amoribus et amicitiis hominum jungendis tempus suum ab ipsa natura praefinitum esse videtur. ***Manso*** certe, ex quo aetas ad senectutem vergere coepisset, quos benignior fortuna ei reliquos fecerat amicos, retinuit, novos vero in eorum locum, quos maturior mors abstulerat, haud suffecit, quippe quod juveni quam canescenti viro aptius esset atque convenientius.

Iam, quod sine dolore memorare non possumus, totus in munere suo, totus in litteris, tam exiguam sui habebat curam, ut de uxore in matrimonium ducenda ne cogitasse quidem, nedum seria unquam consilia agitasse videatur: et quamvis ceterum facillimus fuerit amicis, ab hac tamen parte fidissimas eorum admonitiones usque quaque respuit. Etsi igitur junior propter sermonum festivitatem omnemque morum elegantiam, quam exquisitiore, quantum id viro concessum, saltandi arte illustraverat, haud sane displicuit virginibus honestissimis, ipse tamen volens, dum vigeret, suavissima vitae consuetudine, quum ingravesceret valetudo, dulcissimo a conjuge ac liberis solatio caruit, neque incredibile est, solitariam hanc et contractam vivendi rationem fata adcelerasse.

Et citius fortasse perpetua illa ac nimia mentis contentio corpus *Mansonis* nunquam admodum robustum exhausisset, nisi labantibus interdum viribus frequentes peregrinationes certam semper ac promptam recreationem parassent. Haud minima nostrae urbis commoditas in multiplice totius paene Silesiae amoenitate sita est, in vicinia Sudetorum Carpathorumque montium, in modica denique clarissimarum urbium distantia, ut intra breve temporis spatium Berolinum adtingas sive Dresdam et Lipsiam, sive Pragam, sive Vindobonam; neque frustra hae opportunitates *Mansoni* erant oblatae. Quovis fere anno feriis scholasticis ita est usus, ut aliquod certe modo brevius, modo longius susciperet iter: nunc enim naturae contemplatio eum adliciebat, nunc praestantissima artis monimenta, nunc doctorum et ingeniosorum virorum hospitia, quae ubique habebat paratissima. Solebat tunc aliquem hominem eruditum sibi comitem adjungere, neque unquam nisi animo simul et corpore refectus ad solitum studiorum et laborum genus rediit. Ita anno MDCCCXIX. cum *Schneidero* suo ad Rhenum fluvium excucurrit, splendidamque Musarum sedem, quam *Regis* munificentia in ipsa nuper ripa condiderat, salutavit. Omnium vero peregrinationum longissima etiam ultima fuit. Quum enim diu maris videndi desiderio teneretur, aestate anni MDCCCXXIII., *Gustavo Stenzelio*, historiarum professore celeberrimo, itineris socio

adsumpto, citato cursu, ne diutius a schola sua abesse cogeretur, Austria transvolata, Tergeste pervenit.

Ac desiderium quidem suum explevit. Sed, proh dolor! quem antea ex mutatione coeli solique habuerat fructum ex hoc itinere non percepit. Subitus e sedentaria vita transitus, nimia cursus festinatio et ingens in montibus Stiriae solis aestus id effecerant, ut fatigatus rediret, et mox in deterius verterentur omnia. Medico, qui eum curabat, fidissimo et experientissimo, *Ioanni Kruttgio*, neque de morbi natura, neque de instanti periculo quicquam supererat dubitationis. Cuncta neuralgiam indicabant axillarem, quam, nisi cito tolleretur, marasmus senilis, marasmum ipsa mors brevi erat sequutura. Ne igitur quicquam in capite tam caro inexpertum relinqueretur, *Ioannem Wendtium*, magni nominis medicum, ad consiliorum curarumque societatem sibi adjunxit *Kruttgius*. Ac profecto si quicquam contra aeternas naturae leges valeret ars mortalium, huic excellentissimorum virorum foederi contigisset morti eripere *Mansonem*. Sed aliter visum erat Deo.

Nondum tamen mentis robur imminutum sentiebat noster: Ostrogothorum historiam feliciter absolvit, scholas suas continuavit, examina publica moderatus est. At quotidie fere corporis vires decrevere, multiplicati membrorum dolores, imminuta medicorum spes, civium sollicitudo aucta: ipse restitit adhuc: haud raro in auditorium

deduci se jussit, ut in grabato reclinatus primi ordinis cives solita cum hilaritate erudire pergeret. Sic inter perpetuos eosque gravissimos cruciatus effluxit annus MDCCCXXV., inchoatus est MDCCCXXVI. At quamquam omnibus persuasissimum erat, nullum dolorum finem nisi a morte exspectandum esse, *Manso* tamen de recuperanda salute non tantum non desperavit, sed, qui insitus est hominibus vitae amor, inter acerbissimos quoque dolores longius exoptavit aevum, quod pectori minus forti intolerabile visum esset. Ac tantum exercuit imperium in membra magis magisque deficientia, ut si colloquentis verba tantum accepisses, non vocem audivisses, neque vultum pallore et macie deformem conspexisses, optimae indulsisses spei. Gymnasium etiam e valetudinario regere non desiit: neque quicquam ex re litteraria sibi ignotum esse patiebatur. Primum ipse lectitabat; mox ab amicis, a discipulis sibi praelegi curavit, quaecunque aliqua ei adtentione digna viderentur. Quattuor praecipue sunt libri, de quibus sub extremum paene discrimen maxima cum voluptate eum disserentem audivimus, *Reinholdi* philosophi vita a filio scripta, *Henrici Ludenii* historia Germanica, *Guilelmi Suevernii* de Aristophanis Nubibus liber et *Ludovici Tieckii* symbolae dramaturgicae. Longarum vero noctium taedia, quas insomnes plerumque pervigilabat, versibus sive vernaculis sive Latinis pangendis et diligentissime elimandis fallere solebat.

Hanc vitam vix vitalem ad Maium mensem usque sine majoribus vicissitudinibus protraxit. Ab hoc tempore celeriter decrescebant vires, augebantur dolores et infirmitas corporis, neque jam priusquam exspirasset discipuli, quibus πατὴρ ὥς ἤπιος ἦεν, descriptis diurnorum nocturnorumque ministeriorum vicibus, a lecto moribundi removeri se sunt passi. Nulli igitur inexspectatus, sed luctuosus omnibus venit nuntius, die nono Iunii inter primam et secundam horam pomeridianam *Mansonem* ex vita discessisse. Tribus diebus post in majore coemeterio ante portam sancti *Nicolai* sepultus est, absque inani apparatu, sed longo discipulorum, collegarum, amicorum, civium ordine in funus sponte prodeunte, parentante *Samuele Godofredo Reichio.* Communis ille dolor ut *Mansonis* gravissima laudatio ita nobis maximum fuit solamen.

---

Haec *Mansonis* fuit vita, nullis fortunae casibus, nullis rerum vicissitudinibus, sed virtute et meritis distincta. Corpus terrae reddidimus: at melior viri pars in grata hominum memoria, in discipulis ad magistri exemplum sese componentibus, in scriptis denique mentis operibus vivit semperque vigebit.

Dilectior haec *Mansonis* proles, non a caduca mortalium natura, sed ab aeterna ingenii

vi prognata, tam varia est et multiplex, ut frustra laboraret, qui sub una specie singula comprehendere velit. Quae enim inter multos distribuere solet fortuna, ut suo quisque munere contentus idoneam inde sibi laudem quaerat, in *Mansone* amico foedere juncta vidimus.

Musa nascenti puero inter patrios montes adriserat, neque senem dulci quod praebet solatio in extrema necessitate destitutum voluit. Carmina, quorum inde ab anno MDCCLXXXII. magnus satis numerus exstat, didactici maxime, elegiaci et lyrici sunt generis, nonnulla etiam epigrammatica. Repererunt quidem in iis severiores judices, quod non sine acerbitate vituperarent, neque pepercerunt dicteriis, in artem amandi praesertim effusis, unde nota illa inter nostrum et Vinarienses Xeniorum auctores orta est rixa, quam ii componant, penes quos certum et incorruptum de his rebus judicium. Sed nisi egregie fallimur in carminibus gravioris argumenti sententias nobiles et veras, perfectam eloquii aequabilitatem et purissimum dicendi genus agnoscent omnes. Tantum enim diligentiae verbis aptissime eligendis et serendis, tantum studii versibus limandis et expoliendis insumpsit, ut ab hac parte summis nostrae gentis vatibus aequiparari mereatur. Etsi igitur neque *Klopstockii* os magna sonans, neque *Schilleri* sublimitatem, neque *Vossii* virile robur et perfectam pulcritudinem, neque divinum *Goethii* ingenium adsequutus est,

debitus tamen etiam illi manet honos, qui intactus a perversis aevi moribus cogitationem perspicuitatem vanis delirantium speciebus, sensus tranquillos, gratos, teneros impetuoso ferocientis ingenii fervori praetulit. Idem judicium, quod in carminibus suis sequutus est, ad dijudicanda aliorum opera poetica adhibuit, et hac quoque ratione ad emendatius et diligentius scribendi genus commendandum plurimum contulit. Ipse vero de versibus suis tam modeste sensit, ut nihil se repugnaturum esse publice adfirmaverit, si cui non carmina, sed contemplationes philosophae metro inclusae viderentur.

De re scholastica variisque ejus partibus rarius exposuit. Haud enim multum tribuit libris paedagogicis, quibus saeculum nostrum absque ullo scholarum commodo adfluit: systematum praeceptis obscurari artem, non illustrari: eruditione, industria, experientia prae ceteris opus esse, neque ab artificiosa constitutione, sed a magistrorum praestantia florentem ludorum statum pendere. Multa tamen in programmatis et orationibus scholasticis prolata sunt de universa studiorum ratione, de ea quae in singulis instituenda sit via deque earum in fingendis ingeniis efficacia, quae nemo sine fructu perlegerit. Ad unum omnia finem spectant, praedicant liberalius docendi et discendi genus, veram commendant humanitatem, et quod praecipiunt, exemplo suo docent. Primus haud dubie locus laudationi

*Ioannis Muelleri* adsignandus est, ex qua quid valuerit noster oratione pedestri optime colligitur. Sed et reliqua ejusmodi opuscula, diversissimis nunc locis dispersa, tam sunt bonae frugis et memorabilium ad historiam paedagogices notitiarum plena, ut magnum apud multos gratiam iniret, si quis omnia diligenter collecta in unum corpus tanquam in thesaurum scholasticae prudentiae redigeret.

Quantum verae gloriae inter philologos adsequutus sit *Manso*, vix est quod moneamus: nullo fere nomine magis inclaruit, quamvis ab ea, qua plurimi incedunt via, in libris suis haud parum recesserit. Raro de rebus grammaticis egit, raro singulis antiquorum scriptorum locis sive interpretando, sive emendando salutarem manum adhibuit, neque si juvenilem *Meleagri* et subcesivam *Ennodii* editionem excipias in evulgandis et restituendis eorum operibus sibi placuisse videtur. Minime eum his ministeriis philologis imparem fuisse, abunde docent specimina critica in *Virgilium*, *Horatium* et *Iuvenalem* edita, et quam penitus in interiores Latini sermonis recessus intraverit, quam sedulo subtilissimas ejus leges ac proprietates rimatus sit, ex quavis elucet pagina, quam Latine scripsit. Merito igitur iis adcensebitur, qui, sive poetico, sive pedestri dicendi genere usi sint, antiquum et vere Romanum colorem tenuerint, ita ut purius, emendatius et elegantius vix quicquam possit inveniri. At quum

*Manso* antiquitatis studia amplitudine sua cognita haberet, probe intellexit, nihil prorsus praestiturum esse eum, qui in omnibus ac singulis ejus partibus ultra vulgus sapere et aliquid memoria dignum relinquere gestiret. Eam igitur sibi provinciam singulari cura tractandam sumpsit, quam indoli suae maxime cognatam sentiret, prisci aevi historiam, neque politicam tantum, sed etiam litterariam et quaecunque sub uno antiquitatum nomine comprehendi solent. Inde natum est vastum de Spartanorum re publica opus, in cujus dispositione fortasse habeas, quae aliter instituta malis: tantam vero complectitur exquisitae eruditionis copiam, tot reconditas quaestiones antehac vix inchoatas absolvit, ut caliginosis his Graecae antiquitatis regionibus *Manso* absque controversia primus idoneam lucem adfuderit.

Sunt fortasse qui pernegent, tale opus inter philologa referri posse, quum historicis potius adnumerari consentaneum sit. Quod utut sit, — haud enim placet inutiles rixas de duplice philologia, quarum altera in verbis, altera in rebus versetur, hoc loco resuscitare — nihil honorificentius accidere poterat *Mansoni* hac ipsa controversia. Patet enim, philologis aeque et historicis adeo probatam esse nostri operam, ut neuter alteri eam sponte sit cessurus. Nobis vero haec ambiguitas facillimum parat transitum ad ea *Mansonis* opera, quae omnium consensu ad historiam pertinent, ad *Constantini*

vitam, ad historiam Borussicam, ad Ostrogothorum res gestas.

Ac quum *Mansonem* poetam diligimus, de rebus paedagogicis disserentem laudamus, antiquitatis scrutatorem magni facimus, tum historicum profecto admiramur, neque jam dubitamus, his ejus operibus palmam dare. Quemadmodum mortalibus tentando demum multaque experiendo ad verum pervenire concessum est, ita *Mansoni* quoque praeludiorum tantum loco fuisse videntur, quaecunque in aliis litterarum generibus effecerit, ut praestantissimas optimeque excultas maturae aetatis vires historiis scribendis dicaret, ad quas interior eum animi tulit impetus. Quod in historia primum, rectus fontium usus, quo modo *instituī* debeat, a nostro ediscant, quicunque ad similia sese studia accingunt: sed ediscant quoque summam vereque criticam in testibus adducendis modestiam, comparentque eam cum ambitiosa eorum vanitate, qui ineptam eruditionis speciem aucupantes testimoniorum undiquaque emendicatorum et nihil plerumque testantium mole chartas obplent, lectoremque omnem quam ipsi perpessi sunt molestiam repetere cogunt. Ille prudenter ignorat plurima, quorum futilitatem perspectam habebat: hi numeratis tantum, non exploratis testibus multa se scire simulant, quae neque ipsi sciunt, neque quisquam scire potest: sed spongiam admove, abstergeturque fucus, neque quicquam remanebit. Siquidem rectum fontium stu-

dium in historia jure primum vocavimus, omnes certe nobis habebimus consentientes, maximum esse in ea et gravissimum inviolatam rerum et judiciorum fidem. Haec quidem sine illo fundamento stare nequit: sed ut scriptor ad eam adsurgat, rem sibi conquisiverit longe rarissimam, neque extrinsecus parabilem, mentem integerrimam, ab omni partium studio alienam et ultra curas mortales elatam, ut haud aberraverit a vero, qui absque perfecta morum probitate et sanctimonia perfectum historicum cogitari posse neget. Summae hujus in historico virtutis splendida edidit documenta ut in religiosa, quam ubique, priusquam quicquam pro vero posuerit, adhibuit cautione, ita maxime in ingenua illa libertate, qua eum in historia rerum nostra memoria gestarum versatum esse constat, quod non voluisse tantum, sed etiam potuisse *Mansonem* in memoriam nobis revocat Trajani aevi felicitatem, quo quid senserint cives eloqui fuerit concessum.

Haec *Mansonis* merita tam sunt ampla et praeclara, ut neque majus, neque simile quid addere liceat. Attamen res ipsa poscit, ut verbo certe artem indigitemus, qua disposuerit argumenta, conjunxerit partes, ordinaverit et absolverit totum, ut nobilem in narrando simplicitatem, politissimamque sermonis elegantiam commendemus et quod plurimi turpiter negligunt singularem extollamus curam, qua patriam linguam a peregrinis squaloribus purgare non stu-

duerit tantum, sed etiam valuerit. In his omnibus ingenium agnosces liberali priscorum exemplarium imitatione excultum, neque jam fateri dubites, quae historicis *Mansonis* operibus immortalitatem spondeant, ex sacro illo et inexhausto antiquitatis fonte manasse.

Vnum tamen est, quod eruditionem, artem et ingenium superat, vitae innocentia. Hanc neque verius, neque modestius laudare possumus quam ipsius *Mansonis* verbis, quae testamento suo addidit:

**Adscriptus terrae cavi gravis esse cuiquam:**
**Sis, quem mox condes, sis mihi, terra, levis!**

---

Have, pia anima, have atque vale!

---

## A D N O T A T I O.

Quae de *Mansonis* vita retulimus, partim ex ipsius *Mansonis* narrationibus et a *Ludovico Wachlero*, discipulo ejus Gothano, accepimus, partim ex *Car. Henr. Iördentis* libro, *Lexicon Deutscher Dichter und Prosaïsten*, Vol. VI. p. 798. s. qui ab ipso has illasve notitias impetraverat, et ex *Ern. Frid. Glockeri*, prorectoris *Magdalenaei* et professoris in Vniversitate nostra, oratione, die XXIV. Iun. hujus anni in *Mansonis* honorem patrio sermone habita, nunc vero typis exscripta, diligenter hausimus.

P. 355. v. 3. Annum 1759. indicat *Manso* ipse in ep. ad *Frid. Matthisson. (Matth. literar. Nachl.* T. IV. p. 130.) „ich bin 1759 (nicht 1760) den 26. May (nicht März) zu Zelle im Thüringer Walde geboren." (cf. *Wachler. Handbuch der Geschichte der Litteratur* ed. 3. Vol. 3. p. 419.) Sic *Manso* semet ipse correxit, qui in programmate aditiali anni 1790 indicat annum 1760, quem sequutus est *Glockerus* in *orat.* p. 2.

P. 356. v. 16. De studio Graeci sermonis turpiter tum jacenti v. festivam *Frid. Iacobsii epistolam ad Doeringium, senem felicissimum,* p. 15.

P. 358. v. 1. De *Schmidtio* pluribus expositum est in *Frid. Schlichtegrolli Necrologo* a. 1796. T. II. p. 133. s. de amicitia inter *Schmidtium* et *Mansonem* p. 142.

P. 358. v. 28. Praeclara *Geissleri* merita de re scholastica in universum, inprimis vero de gymnasio Gothano, praeter *Iacobsium* in epist. laud. luculenter illustrarunt *Schlichtegrollus* in *Necrologo* a. 1800. T. II. p. 87. s. et *Christianus Ferd. Schulzius* in *histor. gymn. Gothani*, p. 261. s.

P. 362. v. 20. *Post quinquennium*, teste *Mansone* ipso, cujus haec sunt verba in programmate aditiali: *Ibi* (Ienae) *totum me per quinquennium philosophiae et philologiae dedi.*

P. 370. v. 17. A *Rege* nostro haud ita multo post absolutam Borussiae historiam anno

1822. equestri cruce ordinis aquilae rubrae decoratus est, quod eodem fere tempore accidit, quo delatoriae criminationes egregium opus lacerare minitarentur: abhinc obmutuere. — Diu ante, quum Vniversitas Vratislaviensis *Leopoldina* anno 1803. saecularia solennia celebraret, Ordo Philosophorum summos ei honores honoris causa tribuit.

P. 371. v. 12. Historiae Borussiae novam eamque multis in locis emendatam editionem curare coepit *Manso* ipse: primum volumen absolvit, ad secundum et tertium plura adnotavit: totum opus cum reliqua supellectile litteraria fidis *Reichii* manibus commisit.

P. 373. v. 1. Fuerunt in his cives nostri gravissimi et celeberrimi *Bothius*, *Buerdius*, *Reichius*, *Rhodius*, *Streitius*, *Ludov. Wachlerus*, quos honoris causa nominasse sufficiat.

P. 376. v. 8. Quam certam salutis recuperandae spem foverit ipse, satis docent novissima ejus verba in programmate anni 1826. p. 44.

P. 376. v. 29. Haud nobis potuimus temperare, quin suavissima quaedam harum lucubrationum poeticarum specimina hic repeteremus, quae *Manso* ipse in librum menstruum, *Schlesische Provinzialblätter*, Litter. Beil. Febr. 1826. p. 83. inseri curavit.

## AD SOMNVM.

(*Epigramma Iac. Frid. Schmidtii.*)

Mortis, Somne, quidem metuendae frater haberis,
At socium cupio te tamen esse tori.
Grata veni requies! Tu vivere das sine vitae
Infandis curis, das sine morte mori.

## PHILOMELA.

(*Epigramma Io. Wolfgangi de Goethe*) *).

Qui te fovit alens, Amor est. Pueriliter escam
Telo, musica avis, praebuit ipse Deus,
Faucibus innocuis instillavitque venenum.
Hinc Philomela gravi pectus amore ferit.

(*Sive ex emendatione poetae.*)

Hinc, guttur temere spirans infecta veneno,
Pectus amore gravi nunc Philomela ferit.

## AMANDA.

(*Epigramma Io. Nicol. Goetzii.*)

Antiquum stabat templum, solamen amantum,
Quisque ubi vulgabat dulcia sensa sua.
O si nunc staret! resonaret porticus omnis
Noctes atque dies nomen, Amanda, tuum.

---

*) Fugerat *Mansonem*, idem hoc carmen mellitissimum Latinitate donatum esse ab eruditissimo viro, *I. D. Fussio* in libello a. 1824. Leodii edito, *Goethei elegiae* XXIII. *et Schilleri campana*, p. 44. Comparationis causa addimus *Fussii* interpretationem:

Fallor, tene puer, siren philomela, Cupido
Eduxit, jaculo dans alimenta deus?
Innocuum sic tincta veneno guttur, amoris
Pectora vi spirans nunc, philomela, feris.

Quum suam nobis *Manso* interpretationem fracta jam voce recitasset, adtulimus ei *Fussii* disticha: haud tamen eum poenituit versuum suorum, neque quemquam aliter judicaturum esse confidimus.

MELINA.

(*Epigramma Io. Nicol. Goetzii.*)

Os quae laesit, api deceptae ignosce, Melina.
Laus tibi parta: rosae credita labra tua.

P. 377. v. 16. *Reichii*, collegae olim *Mansonis*, nunc gymnasii *Elisabethani* rectoris meritissimi, oratio funebris typis repetita legitur in *Schles. Provinzialblätter* 1826. Iun. p. 579. s.

P. 378. v. 7. Quam fidam *Manso* comitem habuerit Musam, docet carmen in Philomelam, omnium fere dulcissimum, quod, quum noctu ex propinquis aedibus lusciniam cantus suos cientem per insomnia audire solitus esset, duobus fere ante obitum mensibus utraque lingua composuit.

PHILOMELA.

Was für ein schmelzendes Lied entsteigt den Tiefen des Haines,
Sind es Töne des Grams oder Gefühle der Lust? —
Wahrlich, es singt Philomele der nie noch empfundenen Liebe
Sehnen und Ahnen — den Traum, welcher durch Amor ihr ward,
Und verräth, sich selbst nicht verstehend in kindlicher Unschuld,
Welche geheime Gewalt tief ihr die Seele bewegt.
Sängerin, singe noch oft dein ungestilltes Verlangen!
Unter dem Mond ward nie zarter von Liebe geträumt.

PHILOMELA.

Quod tenerum carmen silvas perrumpit amoenas,
Vox exsultantis, voxne querentis inest?

Ah, nondum expertum philomela dulcis amorem,
Somnia, quae mittit grata Cupido, canit:
Nec quidquam simulans, sed aperto pectore prodit,
Quae vis clam turbet mentem animumque regat.
Saepe diuque vigil desiderium cane nobis!
Talia sub coelo somnia rara beant.

Ita leguntur verba in apographo a ***Reichio*** humanissime nobiscum communicato: paulo aliter, neque tamen deteriora exhibuit ea ***Glockerus*** in *orat. laud.* p. 42.

P. 379. v. 10. ***Mansonis*** hoc de carminibus suis judicium exstat in collectione opusculorum minorum, a. 1821. Vratislaviae editorum, p. X.

P. 384. v. 11. Testamento suo hoc distichon adscripsisse ***Mansonem*** testis est ***Reichius*** in ***orat. funebr.*** p. 582.

# XX.

## HENRICI STEPHANI
## AD
## IOANNEM CRATONEM A CRAFTHEIM EPISTOLAE EX AVTOGRAPHIS NVNC PRIMVM EDITAE.

---

Inter praestantiora cimelia ***Rehdigeranae*** bibliothecae, quae urbem nostram ornat, locum sibi vindicat haud infimum collectio epistolarum novem voluminibus comprehensarum, cujus accuratam notitiam dedit ***Alb. Wachlerus*** in libello de ***Thomae Rehdigeri*** vita et meritis vernacule conscripto, p. 74. sq. Illius thesauri quum eam nuper partem mihi excutiendam sumpsissem, quae virorum in Germania, Batavia, Gallia, Helvetia atque Italia saeculo decimo sexto vergente clarorum epistolas ad ***Ioannem Cratonem a Craftheim***, trium Imperatorum, ***Ferdinandi*** I., ***Maximiliani*** II. et ***Rudolphi*** II., archiatrum eruditione et auctoritate splendidissimum *), complectitur, praeter alia multa lectu perjucunda

---

*) Natus est Vratislaviae a. 1519., obiit a. 1585., v. *Saxi onomast. litter.* Vol. III. p. 282. 684.

voluminibus sexto et octavo, quod maxime me advertebat, incidi in epistolas ***Henrici Stephani*** autographas easque, nisi egregie fallor, quemadmodum hujus sylloges plurima, nondum editas: quas ut prae ceteris occasione data typis describendas mandarem, plura erant quae me impellerent.

Et in universum quidem diu multumque miratus, interdum etiam indignatus sum, quum animadverterem, bonum illum et antiquum thesaurorum epistolicorum condendorum morem adeo in desuetudinem abiisse, ut pauci tantum, quae curiosior harum reliquiarum aetas nobis tradiderit, vel fando cognita haberent, nedum ad ipsas variae profundaeque doctrinae copias in epistolis ***Scaligerorum***, ***Manutiorum***, ***Muretorum***, ***Victoriorum***, ***Lipsiorum***, ***Casaubonorum*** delitescentes, accedere dignati sint, nemo fere post ***Burmannum*** de hoc litterarum genere locupletando et promovendo cogitaverit. Nostris tamen diebus inventi sunt, qui ab hac quoque parte desidiam et incuriam saeculi mascule propulsantes, quae diu neglecta jacuerant suscitarent, quod in epistolis ***Martini Lutheri*** insigniter auctis praestitit ***Dewettius***, in ***Holstenianis*** tunc primum evulgatis ***Boissonadus***, in ***Sylburgianis*** aliquot ***Creuzerus***, in ***Casaubonianis*** compluribus ***Frid. Schultzius:*** horum igitur virorum exemplum sequutus, quae ipse possim conferre in rem, quam vanis querimoniis indulgere malui.

*Henrici* vero *Stephani*, quamquam multorum hominum gratia floruit et commercia epistolaria latissime patentia exercuit, nulla dum exstat epistolarum sylloge, neque singularum litterarum ab ipso datarum per Germaniae certe bibliothecas frequentia esse videtur, ut is quoque qui pauca det, aliquid dedisse censendus sit. Sed quod majus, *Stephanus* noster tanti ingenii tantaeque fuit eruditionis vir, ut leviora etiam pleraque, quae ludibundus quasi in chartas conjecit, publica luce digna sint, sin minus propter argumenti gravitatem rerumque copiam, tamen propter facetum festivumque scribendi genus, quo in minoribus praesertim opusculis, in praefationibus, dedicationibus, epistolis uti solet. Neque profecto eae, quas dedit ad *Cratonem*, quamvis calamo nimis interdum currente scriptae justoque plus in rebus familiaribus occupatae, his virtutibus carent. Praeterea aliquammulta in vita ejus, vaga sane atque inquieta, tam parum sunt expedita tantisque diversorum testimoniorum repugnantiis obscurata, ut novis iisque certioribus magnopere sit opus subsidiis, quibus dubia tollantur, manca expleantur, aperte denique falsa emendentur. Vbi vero de rebus domesticis et litterariis disceptatur, certiora familiaribus ipsorum virorum epistolis frustra quaesiveris testimonia: ita, ut hoc exemplo utar, de anno, quo prior *Stephani* uxor, in dedicatione *Gellii* a marito summis laudibus celebrata, supremum

diem obierit, omnia erant in ambiguo: nunc dubitationem exemit epistolarum a nobis editarum undecima, eosque qui de *Stephanōrum* vitis scripserunt, *Theod. Ianssonium ab Almeloveen* et *Mich. Maittairium*, in gravi errore fuisse coarguit *).

Quae quum ita sint, et ipsi utilem laborem suscepisse nobis videmur, et alios quoque, quibus uberiores fortasse ejusmodi apparatus suppetunt, ut publicae luci haud invideant, quaecunque ad illustrandam *Stephani* vitam conferre queant, etiam atque etiam rogamus.

Epistolae nostrae ita per duo volumina sunt divisae, ut tomo sexto viginti quattuor priores, octavo tres reliquae et eo quidem ordine contineantur, quo sunt impressae. Omnes ab ipsa *Stephani* manu tam distincte tamque eleganter sunt exaratae, ut nulla usquam de scriptura manserit haesitatio: inscriptio epistolarum semper fere eadem, ***Clarissimo viro, Domino Ioanni Cratoni***, (rarius additum a ***Craftheim***) ***Caesaris*** sive ***Caesareae majestatis consiliario et medico intimo in aula Caesaris*** sive ***Viennae*** aut ubicunque erat Caesar. Quae quamvis omnia sint in expedito, haud leves tamen dubitationes movet ordo epistolarum chronologicus, partim ipsius *Stephani* culpa, qui pro more illius tem-

*) Conf. vita *Henr. Stephani*, *Friderici de Raumer enchiridio historico* a. 1831. a me inserta.

poris mensem quidem diemque, quibus scriptae sunt litterae, accurate indicare solet, annum vero addere saepiuscule negligit, ita ut inter epistolas nostras hujus notationem habeant quattuordecim, in tredecim reliquis desideretur. Et neque *Christianus Fridericus Henelius ab Hennenfeld* in Olbersdorf et Grünheida, qui volumen sextum d. 1. Febr. 1661. bibliothecae *Rehdigeranae* consecravit, neque *Andreas Senftleben Boleslaviensis*, qui tomum octavum collegit, hujus rei eam, quam par erat, habuit curam. *Henelius* quidem epistolas, quarum annum significavit *Stephanus*, primas fecit, et quod facillimum, eadem disposuit serie, quae erat indicata, reliquas vero permixte collocavit neque ullum sequutus est consilium: et *Senftleben*, quamquam octavi voluminis epistolae annos suos habent, hos tam parum curavit, ut primam fecerit postremam, postremam ex contrario primam: quid, quod inter ultimam et penultimam *Stephani* unam *Henrici Ranzovii*, decem *Matthiae Wesenbecii*, duas *Matthiae Stoii* totidemque *Ioannis Ferinarii* prorsus inepte inseruerit!

Mihi ad plenum epistolarum intellectum maximi semper visum est momenti, singularum chronologiam exquirere, neque nunc ab hac persuasione discedere volui, nisi periculo facto essem edoctus, incassum me laborare. Sed alia omnia inveni: nonnullarum enim tempora certissimis argumentis indicari poterant, in reliquis ad veri-

similitudinem certe adducere licebat rem. Quae igitur in ipso quem vocant contextu immutare nolui, hic paucis adumbrabo, et ordinem chronologicum, qualis mihi quidem videtur esse, statim ab initio ponam, ita tamen ut uncinis includam annos, qui ex conjectura mea fluxerint. Haec igitur epistolarum erit series:

| | | | |
|---|---|---|---|
| [1569.] | Nov. 20. | hujus collectionis epist. | XXIV. |
| 1570. | Apr. 15. | — — — — | I. |
| [1570.] | Iul. 31. | — — — — | XIX. |
| [1570.] | . . . . . | — — — — | XVI. |
| 1571. | Mart. 16. | — — — — | II. |
| 1571. | Mart. 20. | — — — — | III. |
| 1571. | Nov. 27. | — — — — | IV. |
| 1572. | Sept. 1. | — — — — | V. |
| [1572.] | Nov. 1. | — — — — | XV. |
| 1574. | Mart. 4. | — — — — | VI. |
| [1574.] | Maj. 16. | — — — — | XIII. |
| 1575. | Ian. 19. | — — — — | VII. |
| [1575.] | Mart. 25. | — — — — | XII. |
| [1575.] | Maj. 15. | — — — — | XXIII. |
| [1575.] | Iun. 8. | — — — — | XX. |
| 1575. | Iun. 10. | — — — — | VIII. |
| [1575.] | Nov. 14. | — — — — | XIV. |
| | | (Augustae Vindelicorum data.) | |
| 1576. | Mart. 15. | — — — — | IX. |
| [1577.] | Aug. 29. | — — — — | XVII. |
| 1578. | Aug. 27. | — — — — | X. |
| [1579.] | Mart. 23. | — — — — | XXI. |
| | | (Parisiis data.) | |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1579. | Iul. | 31. | hujus collectionis epist. | XXVII. |
| | | | (item Parisiis data.) | |
| [1579.?] | Nov. | 13. | — — — — | XXII. |
| 1581. | Aug. | 1. | — — — — | XI. |
| 1583. | Sept. | 1. | — — — — | XXVI. |
| [1584.] | Apr. | 1. | — — — — | XVIII. |
| | | | (Parisiis data.) | |
| 1584. | Sept. | 10. | — — — — | XXV. |
| | | | (et haec Parisiis data.) | |

Quibus rationibus ductus has ita disposuerim, paucis nunc indigitasse sufficiat. Epistolam XXIV. omnium fuisse primam non quae supersunt tantum, sed in universum quotquot unquam ad *Cratonem* misit *Stephanus*, docet inscriptio, docet totus ejus tenor, a familiaritate sequentium admodum diversus, docent ipsa verba *tum vero quia me nominatim — perspectum exploratumque habuerit.* Neque de anno ambigi potest: effecit enim *Crato*, ut exoptatum privilegium Caesareum, quo a thesauro Graeco arcerentur praedones litterarii, perscriberetur Pragae die Febr. 15. anno 1570, cujus rei nuntium die Apr. 15. nondum translatum fuisse ad *Stephanum*, liquido apparet ex epist. I., in qua de privilegio tamquam de re adhuc incerta sermo est. Die vero Iul. 31., epist. XIX., *Cratoni* pro accepto beneficio gratias agit, et ep. XVI. dedicationem *Diogenis Laertii* addit, cujus editio ipso hoc anno prodiit. Ceterum una haec epistola omni temporis nota caret, ut mensis quidem diesque

indicari nequeant, nulla vero maneat dubitatio, quin anno 1570. extremo scripta sit.

Epistola XV., die 1. Nov. data, unum habet temporis indicium, sed certissimum: sub finem enim mentio fit scelerum nocte *St. Bartholomaei* Parisiis nuperrime commissorum. Pertinet igitur ad annum 1572., et inter epist. V. et VI. inserenda est.

Sextam excipiat necesse est epistola XIII., quae nihil fere continet nisi illius epitomen. Quum enim in suspicionem venisset *Stephano*, *Cratoni* priorem istam haud esse traditam, nunc summa breviter repetita ecquid acceperit eam sciscitatur. Iam sexta anni est 1574., diei 4. Martis, decima tertia sine anno, sed die 16. Maii scripta, ut statim videas, eidem hanc quoque anno esse assignandam.

Epistolas XII., XXIII. et XX. haud ita magno temporis intervallo datas esse, evincit naufragium, quod merces a *Stephano* ad nundinas Francfordienses missae prope Solodurum fecerant: hujus nimirum in singulis mentio. Ordinem ostendunt menses, Martius, Majus, Iunius: attamen vel sic nesciremus annum, nisi aliud quid peropportune accessisset, iter *Pauli Foxii*, cui a *Cratone* litterae ad *Stephanum* commissae essent. Iter *Foxii* in sex priores menses anni 1575. ponendum esse, edocemur epistola VIII., die Iun. 10. a. 1575. data, quae his verbis incipit: *Ante paucos dies ad te scripsi, me tuas*

*literas avidissime expectare: idem et nunc scribo: simulque hoc repeto, me illas Episcopi tui literas, quas pervenisse in manus meas existimas, ne κατ' ὄναρ (quod ajunt) vidisse.* Atqui epistolam XX. biduo ante, die 8. Iun., scripserat, reperiunturque in ea haec ipsa verba: *de literis tui Episcopi scribis ac si eas accepissem: at ego ne ὄναρ quidem eas vidi.* Praeterea die 8. Iun. nunciaverat *Cratoni, ascensurum esse equum Th. B. (Theodorum Bezam) ut Basileam iret*, at die 10. Iun. narrat, *Basileam ad Condaeum ante biduum profectum esse Th. B.* Quid plura?

Sed hoc non unum est lucrum, quod ex epistola octava percepimus. Dum enim in ea de controversiis agit, in quas propter pecuniam sibi debitam cum *Fuggerorum* gente irruisset, propositum sibi esse Augustam Vindelicorum venire subjungit, ut litteris quibusdam Caesareis instructus iterum aliquid in causa sua tentet. Iam conferas epistolam XIV.: die 14. Nov. Augustae scripta est, ac potior ejus pars in ipsis illis controversiis versatur. Iure mihi et hanc ad annum 1575. referre videor.

Neque minus certus est annus epistolae XVII. Scripta est *Dionysio* de situ orbis modo absoluto, *Platone* et *Nizoliodidascalo* ad finem fere perductis: apparuit *Dionysius* a. 1577., *Plato* et

*Nizoliodidascalus* anno post, epistola scripta est die 29. Aug., qui quis alius praeter *Augustum* anni 1577. esse possit?

Pergamus ad epistolam XXI., Parisiis die XXIII. datam. Ipsa nihil continet, ex quo conjecturam de anno facere liceret. Iam succurrit nobis epistola XXVII., item Parisiis, sed die 31. Iul. scripta. Statim in initio leguntur haec: *Tam diuturnum meum silentium non miraberis, postquam intellexeris (si nondum intellexisti), me jam nonum mensem et amplius hac in urbe agere.* At in epistola XXI. habes: *ex hac Parisiorum urbe, ubi jam per quatuor menses et amplius commoror.* Nunc contendas utrasque litteras, et ab extremo Iulio retro computes: in ipsum fere diem incides, quem epistola vicesima prima in fronte gerit.

De duabus tantum epistolis XXII. et XVIII. dubius haereo: hanc Parisiis, illam post editum *Platonem*, utramque altercationibus cum *Monavio* ortis scriptum esse, haud est quod demonstremus: de *Monavio* vero simili fere causa qua de *Fuggeris* conqueri coepit anno 1579. medio, epist. XXVII. Nostram aliquanto post, sed eodem fortassis anno, scriptam esse censeam: ad liquidum perducetur res, si cui expiscari contigerit, quo anno in Italiam profectus sit *Cratonis* filius. Epistolam vero XVIII. ante alteram Parisiensem collocem, quae est XXV. et die 10. Sept.

a. 1584. perscripta. In hac enim abitum ad nundinas parantem videmus *Stephanum*, ut probabilius fiat, alterius (XVIII.) Aprilem primum ad eundem annum quam ad proxime sequentem pertinere: quod si statuimus, epistola XXV. claudit agmen.

At non epistolarum tantum seriem intactam reliqui, sed ipsa quoque *Stephani* verba talia repraesentavi, qualia in codice inveneram, quamquam apertos subinde calami errores deprehendas, quos hic notare, quam suis locis corrigere malui.

De forma vocabuli *soludus*, epist. VIII., non est quod moneam. Memorabilis vero est ratio, quam interdum in computationibus dierum secundum calendarium Romanum praeter regulam sequitur. Vt enim primum cujuslibet mensis diem significet, hac utitur formula: *I. Cal. Sept.*, epist. V., *I. Cal. Aug.*, epist. XI., *I. Cal. Apr.*, epist. XVIII.: et quod magis etiam mirabile, pro Romano illo *pridie Cal.* semel posuit *II. Cal. Aug.*, epist. XIX.

Recentissimae Latinitatis esse videntur vocabula *bacchio*, epist. IX., et *risma*, epist. XVII., illud de minore numi genere *(Batzen?)* usurpatum, hoc de certa quadam chartarum mensura, quae *scapum* Romanorum exaequat, Italis hodieque *risma*, nobis cognato vocabulo *Ries*, Gallis *rame*.

Tribus certe locis adeo lapsus est *Stephani* calamus, ut sententia aliquam inde traxerit obscuritatem. Epist. V. leguntur haec: *folia quae deesse in libris ad me missis scripsisti*, *Eustachio Vignon Francofordium hinc eunti tradidi:* corrigendum haud dubie, *in libris ad te missis.* Non minus in promptu error est ejusque remedium epist. IX., *misi etiam Mosero libro quosdam*, voluit enim *Stephanus libros.* Aliquanto difficilior emendatu tertius videtur locus, epist. XII.: *Potius certe quam litigandum sit, iniquissima etiam conditione pacis ei statui*, in quibus *ei* quo referatur non habet et infinitivus desideratur. Amicus suasit, *iniquissima etiam conditione pacis uti statui:* mihi venit in mentem, *iniquissima etiam conditione pacisci statui.* — Praeterea epist. VII. casu quodam evulsum est, quod ex conjectura supplevimus: *Eorum* (quae scilicet interrogaverat) *unum erat, qui tituli* [*Iulio*] *Comiti a Salmis essent tribuendi, quod libellum quendam Parodiarum in sententias vett. poetarum ipsi dicare vellem.* Ducunt ad hoc praenomen vestigia quaedam elementorum in codice relicta: confirmant rem epistolae nonnullae *Iulii Comitis a Salmis* ad *Cratonem*, octavo collectionis nostrae volumine asservatae. Sed mutavit consilium *Stephanus* Parodiasque consecravit *Io. Fichardo*,

senatori Francfordiensi: neque confundendus ille cum *Othone* Comite *Solmensi*, domino *Minzebergae et Sonnevaldi*, cui antea jam a. 1570. Epigrammata Graeca selecta ex Anthologia inscripserat, v. *Maitt.* vit. *Steph.* p. 348. Quamquam in orthographia nominum propriorum haud semper sibi constat noster, ut *Strennius*, quem dicit in epist. VI. et XV., in dedicatione poesis philosophicae a. 1573. *Richardus Streinnius*, Baro *Schuuarzenavius*, nuncupatur. Vid. *Th. Creenii animadv. philol. et hist.* 13. p. 180. *Sax. onom.* 3. p. 372.

Vnum de *Iacobo Monavio*, jurisconsulto Vratislaviensi *), idque satis ridiculum addam. Epistola XVIII., in qua de mala hominis fide graviter conquestus erat *Stephanus*, sive casu sive quod probabilius communicante ne purgationis locus deesset Cratone, in manus ejus venerat: et purgare se conatus est in ipso epistolae margine. Sed audiamus utrumque:

*Stephanus.* Addam et de *Monavio*, qui quum tibi fortasse dixerit se mihi illos decem coronatos persolvisse, certe ne obolum quidem numeravit.

*Monavius.* Nunquam hoc Dno Dno *Cratoni* dixi, neque dixisse me istud cuiquam scripsi.

*Stephanus.* Et tamen illi de pretio consueto primorum (nisi forte *plurimorum* legen-

*) Natus est Vratislaviae a. 1546, mortuus 1603.

dum) librorum altera propemodum pars remissa fuit, non tanquam tali in persolvendo debito futuro, sed tanquam et inopia laboranti, —

*Monavius.* Os durum.

*Stephanus.* Et quod post gratiam illam ei factam superesset extempore persoluturo.

*Monavius.* Profecto omnia se habent aliter: et si voluisset homo ille quem malim nunquam mihi visum, dudum ei satis factum esset.

*Stephanus.* At ecce decem aut duodecim anni abierunt. Pudet pudet certe.

*Monavius.* Pudeat illum hoc loqui. Atque utinam. Sed cetera coram. —

Adscripsi haec, quia frequens in litteris nostris debiti illius est mentio. *Monavium* ipsum loquentem induximus, sed melius puto tacuisset exsolvissetque nomen: certe causam non optimam pessime egit.

Sed haec nunc sufficiant: quae si non prorsus displicuerint, neque humani quid acciderit mihi, suppetunt alia ejusmodi publicatione non minus digna, possitque excipere *Henricum Stephanum Petrus Victorius.*

I.

Literas tuas accepi, *D. Crato*, quae mihi quod de tuo in me amore ex aliorum verbis persuadebam, plane confirmarunt. Ego certe in te redamando par pari referam, dum aliqua tibi gratificandi occasio se offerat. Nec vero ignotum amare dici possum, quum *Melissus*, ille Musarum amor, tuos amabiles mores egregie mihi depinxerit, penicillo quidem certe ab illis tradito.

Quod ad illud privilegium attinet de quo scripseram, si sine aliqua impensa impetrari non potest (ut facile mihi persuadeo) dabo operam, ut quicquid pro illo numeratum fuerit, per mercatorem quempiam reddatur. Sed te etiam atque etiam rogo ut quamprimum negotium hoc conficiatur, ne Thesaurus meus, qui jam a tot annis inchoatus est, et tamdiu desideratus, nunc tandem quum erit absolutus (quod propediem fore spero) delitescere, id est a publico abstinere, cogatur. Cui periculo si tu occurreris, maturando hujus privilegii donationem, non me solum sed et omnes qui primi erunt lexici lectores, tibi obstrinxeris. Vale. E typogr. nostro, XV. Apr. 1570.

Tuus omnino *H. Stephanus.*

II.

Magnam mihi admirationem pariter et tristitiam ultimae tuae literae attulerunt, vir chariss., quibus te nullas a me accepisse scribis. Statim-

que ad *Melissum*, cui eas tradideram, scripsi. Sed ab eo nihil aliud quam altum silentium. Iterum autem nunc ad eum scribere, et has literas iis quas ad eum mitto, includere libuit. Binis certe literis me privilegia accepisse, et non solum gratias immortales agere, sed referre etiam quibuscumque possem modis, esse paratissimum, significavi. Inscriptio illa epistolae qua tibi *Laertii* editionem dico, mutata ut volebas fuit: ut videbis in iis quae ad te mitto exemplaribus, quae cum plerisque aliis libris fasciculo inclusa sunt, quae cur serius accepturus sis, antea declaravi. Vale. XVI. Mart. 1571.

Tuus ex animo *H. Stephanus.*

Quoniam autem ex meis literis nullas ad te pervenire video, et ita eas velut in periculum conjicio, statui posthac epistolia potius quam epistolas periclitari.

Thesaurus ante proximas nundinas non prodibit.

## III.

Nuperrime ad te scripsi, et quantum tristitiae mihi tuae literae attulissent, ex quibus meas intercidisse cognovissem, significavi. Privilegia autem me accepisse, et tibi non solum gratias habere, sed etiam de referenda quocumque modo possem cogitare, in illis certiorem te feci. Nescio an item de mutata illa inscriptione in epistola praefixa *Diogeni Laertio*, antea scripserim: nunc

saltem scribo, et in iis quoque literis quas me nuperrime ad te dedisse dico, idem tibi indicavi. Fuisse autem mutatam eo prorsus quo volebas modo, exemplaria quae a me cum aliis libris accipies, ostendent. Deus tua vota secundet, et tibi perpetuo adsit praesitque, vir chariss. Ex typographio nostro Gen. XX. Mart. 1571.

Tuus *Henr.* Στέφανος.

Me epistolia posthac non epistolas velle periclitari, jam antea scripsi.

Thesaurum meum novem Academiis Germanicis dicare statueram, ex iis quae nostris partibus favent, (adscribendo nomina illarum, et quidem ita ut in ordine ratio temporis quo ortae sunt, haberetur) et ad unamquamque exemplar majore charta et eleganter compactum mittere statueram: sed quoniam quidam ne parum fructuosa mihi talis dicatio sit verentur, quid hac de re tibi vel sperandum vel metuendum, et quod consilium potius capiendum videatur (re etiam cum *Ioach. Camerario* communicata, si opus sit) certiorem me facias velim.

Tuus Στέφανος.

IV.

Post literas quibus te fasciculum librorum tamdiu expectatum aliquando tandem accepisse significabas, nullas a te accepi. Ego autem ab eo tempore cum de aliis rebus ad te scripsi, tum

vero de illo quod cepi de Thesauri dedicatione consilio: qua de re sententiam tuam avidissime expecto. Nam antea quidem hac de re aliquid scripsisti, sed nihil certi statuens. Scito igitur re varie apud me agitata, tandem cum *Beza* hoc consilium cepisse de compellandis academiarum quoque principibus, ut tibi placere ajebas: hoc modo, *Maximiliano Caes.* et ejus academiae Viennensi, Regi Gall. et ejus Ac., Reginae Angliae, etc. Sed quod ad Germaniae principes attinet, et de ordine et de titulis qui dandi sunt unicuique valde laboro, nam ut nihil assentatorium in illis admittere volo, ita vicissim nihil eorum omittere volo quae sine reprehensione omitti non posse videantur. Sunt qui hos compellandos censeant, *Fridericum* Palatinum comitem, *Augustum* Saxoniae ducem, *Ioannem Georgium*, marchionem Brandeburgicum, *Ludovicum* ducem Virtembergicum, *Gulielmum* Landgravium Hessiae. Sed scire cupio num quis potius alicujus horum loco ponendus sit, vel ob majorem dignitatem, vel ob aliam causam. Denique de omnibus tuum judicium cupidissime expecto.

Respondebam illis literis et ad ea quae de *Diogene Laertio* scribebas, ac primum sicut miratur *Sambucus* me non vidisse editionem illius quae *Plantini* typis expressa est, ego vicissim illum hoc existimare miror. Sed si meam editionem Graecam cum Latina sua conferat, mirari

desinet, videbit enim menda quae in margine illius editionis reposuit pauca esse vel potius paucissima prae illis quae in mea reposui, neque certe hoc mirum est quum ego multo plura quam ille exemplaria habuerim, ut omittam, majorem fortasse in conferendis aliquibus locis adhibitam fuisse diligentiam. Quod autem ad alteras literas attinet quae quorundam locorum non emendatorum mentionem faciunt, ego certe quae ex conjectura duntaxat haberem, nunquam in contextu ponenda censui, alioqui multa emendari praeterea sed non sine periculo possent. Annotationes autem accuratas in eum librum scribere meae circa Thesaurum praesertim occupationes non permiserunt. Est interim et quod de plerisque conquerar: qui, si prodeat liber ex alia officina in quo ex mille mendis centum duntaxat emendata sint, boni consulere solent: si idem ex mea prodeat, in qua octingenta emendaverim, iniquiores in meam quam in alteram editionem erunt: quasi vero unus praestare omnia possim. Verum de *Diogene Laertio* nominatim hoc fateor, me parum de Latina ejus editione fuisse solicitum, sed de Graeca potius. Haec fere sunt quae et antea ad te scripsi. Multam salutem tibi precor, idemque precatur et *Beza*. Genevae V. Cal. Dec. 1571.

Tuus *H. Stephanus.*

## V.

Ex superioribus tuis literis non parum te mea causa laborare intelligebam, ex postremis autem non frustra laborasse intellexi. Eodem tempore literas a *D. Ioachimo* accepi, quarum moerorem tuae illae absterserunt, is enim contra te non feliciter navata in simili negotio opera, graviter conqueritur. Eum siquidem rogaveram per literas, ut principis sui favorem meo muneri procuraret quantum absens procurare posset. De quibus ad me scripsisti (inquit) utinam quantum volui potuissem efficere. Incidit autem id tempus literarum tuarum in morbi acerrimam tentationem, quando tamen quae solicitudo quodque studium meum fuerit, novit qui tum forte affuit *Languetus* noster: et me praedicare, quum non evenerit id quod optavimus, piget ac pudet. Haec ille: sed longius querelam hanc extendens, nec tamen quid praecipue obstaculo fuerit, aperiens. Equidem, mi *Crato*, ut ingenue fatear, ex totis ejus literis perspicio nihil esse incertius eo quod pro certo habui, quum vix quicquam spei ab illa parte affulgeat: contra vero pro certo habere debuisse quod non solum incertum sed pene extra spem omnem mihi aliquamdiu fuit: quum de tuo quidem studio non minus quam de meo ipsius (si adfuissem) dubitarem, sed ut expugnare tot difficultates posses, quas mihi quales vere erant describebas, valde vererer. Sed haec gra-

tius mihi munus illud efficient, de quo et tui *Baptistae Heintzelii* literas accepi, alias tamen ab eodem expecto de iis quae cum domino *Ilsingo* egerit, ubi reversus hic a comitatu Tyrolensi fuerit. Folia quae deesse in libris ad me missis scripsisti, *Eustachio Vignon* Francofordium hinc eunti tradidi, ut vel *Iosiae Rihielio* vel *Claudio Demarnes* ad te perferenda daret, nam per tabellarium hinc euntem Augustam valde cara latio eorum fuisset. Quae autem vicissim superesse dicis folia, quum occasionem nancisceris, velim remittas, ut literis tuis mihi offers, fieri enim poterit ut aliquod exemplar quod alioqui imperfectum maneret, absolutum reddant. Vale, et quomodo gratum me ac memorem ostendere possim, indica. I. Cal. Sept. 1572.

Tuus ex animo *H. Stephanus.*

## VI.

Doleo, libros omnes quos miseram, perlatos ad te non fuisse: inter quos erant etiam libelluli psalmorum compacti. Sed poterunt omnia his nundinis rursum mitti, et siquid erat praeterea novi: praesertim libellus qui vocatur Francofordiense emporium, sive Franc. Nundinae. Quod te operam daturum dicis ut nihil detrimenti accipiam in pecunia quam mihi *Brutus* debet, (XL. flor.) ago gratias. Is mihi dixerat se velle suam arcam apud te manere, donec eam summam per-

solvisset. Certe nisi provideatur, periculum erit ne et hujus summae jacturam faciam. Cupio etiam scire an chirographum habeas quem dederam *Claudio Demarnes* ad te perferendum.

Est praeterea de quo te summopere rogatum velim: nimirum ut si istuc veniat ad Caesarem quidam archiepiscopus *Foxius* (qui ex consanguinitate regis Navarrae aut reginae esse ferebatur) videas quid agi cum ipso possit, super ea re quam tibi expono altera epistola quam etiam ita scripsi ut ei possis ostendere. Quoniam de negotio literario agendum est, ideo minus videtur esse verendum tibi homini et literatissimo et literarum amantissimo sermonem apud eum de illo habere. Atque omnino spero fore ut non frustra res tentetur. Is nunc est Romae apud Pontificem: ad quem priusquam pervenisset, singulos principes Italiae adierat sub legati regii nomine (qua de re autem in hac legatione agatur, ignoramus) is Viennam inde venturus dicitur, ut Caesarem salutet, inde Poloniam petiturus. Rogo ut huic occasioni non desis, si tamen nihil sit quod obstare debeat quominus apud eum hac de re agas: ut certe nihil fore puto. Ages enim non meam sed literarum et ipsarum musarum causam: deinde spero fore ut sis, non recusanti, verba facturus, sed currenti (ut est in proverbio) calcar additurus: quippe qui sponte et ultro jam olim non semel nec uni hanc operam mihi se laturum sit pollicitus. Sed tamen videbis quid

facto sit opus. *Bezae* non vacavit nunc ad tuas literas respondere, qui te plurimum salutat, et se illum juvenem, qui te reliquit, literis tibi commendasse non recordatur, ut quidem dixit, quum literas ei obtuli: sed fortasse nominis oblivione. Mitto ad te exemplaria duo illarum nundinarum Francofordiensium quarum supra mentionem feci: unum exemplar tibi, alterum D. Baroni *Strennio*, nimirum id quod deauratum erit, unicum enim nunc deauratum habebam. Id in causa erit cur facere mentionem apud illum possis, et aptissima videtur fore occasio. Velim tamen ut apud te aliquamdiu exemplar retineas, donec nimirum existimes potuisse Francofordium pervenire exemplar. Omninò enim velim dominos Senatores Francof. accipere antequam pervulgetur. Mitto etiam bina exemplaria eorundem libellulorum quos et antea miseram, quoniam eos ad te video non pervenisse. Mitto autem bina, ut altera filio dones meo nomine. Deus Opt. Max. te illi diu incolumem servet, suaque χαρίσματα tibi in dies augeat. Mart. die IV. Anno 1574. Ex nostro Typograph.

Tuus *Henr. Stephanus.*

Cupio etiam scire an literas acceperis quas Francofordio ad te scribebam.

Is legatus (de quo scripsi) vocatur Gallice Monsieur *Defoix.* Apud legatum regis ordinarium de ejus adventu certior fieri poteris.

## VII.

Domum satis ex animi sententia confecto itinere (qua in re, sicut in aliis multis, Dei benignitatem agnosco) sum reversus aliisque jam literis de hoc meo felici reditu certiorem te feci: qui tamen felicior fuisset, si mihi non contigisset *δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι.* Quantopere autem meam hac in parte vicem doleas, ex amantiss. tuis literis perspexi: quas quum scripseris antequam meas accepisses, nullam eorum de quibus te interrogaveram fieri mentionem haud miror. Eorum autem unum erat, qui tituli [*Iulio* *)] Comiti *a Salmis* essent tribuendi, quod libellum quendam Parodiarum in sententias vett. poetarum ipsi dicare vellem, cujus aliquam, quum illi sententias grandibus litteris excusas donavi, mentionem feci. Libellus erit quem non illi solum sed omnibus lectoribus placiturum spero. Ad meum negótium quod attinet, video quantopere nunc etiam pro me sis solicitus, eoque nomine summas tibi gratias ago: sed de illa via quam tenendam putas, ut nimirum per D. *Ehemium* cum *Huldricho* agatur, nihil mihi polliceor: nec ipse tibi quicquam pollicereris, si *Huldr.* ipsum nosses. Contra vero quod illo epistolio seorsum complicato de 300 flor. scribebas, aliquam mihi spem facit, fieri posse ut aliquam saltem summae par-

---

*) Fort. ill*mo*, i. e. illustrissimo.

tem extorqueam, et a 300 ad 500 saltem veniatur. Rogo igitur, ut modis omnibus hoc potius quam aliud quicquam urgeas: sed caute tamen res agatur per aliquem qui se apud me hoc efficere conaturum dicat, ut illa summa sim contentus. Quam enim aliam adversus tam potentes viros rationem ineam? Caeterum de ***Platone*** commodum mentionem fecisti in tuis literis, quod et antea de illo excudendo cogitassem, et illam voluntatem confirmaverit nova interpretatio quae mihi paulo post meum reditum oblata fuit: quo magis D. ***Sambucum*** ut exemplaria vetera si nondum Augustam misit inde ad me perferenda (sicut inter nos convenerat) ut quamprimum mittat, rogatum volo. Caetera literis proximis reservare cogor, quibus et filio tuo respondebo. Vale. Ex Heliconio nostro. XIX. Ian. 1575.

Qui totus tuus est *Στέφανος*.

## VIII.

Ante paucos dies ad te scripsi, me tuas literas avidissime expectare: idem et nunc scribo: simulque hoc repeto, me illas Episcopi tui literas, quas pervenisse in manus meas existimas, ne *κατ' ὄναρ* quidem (quod ajunt) vidisse: minimeque et alias tuas, ab eo tempore datas, accepisse. Meum consilium de tentando iterum aliquid, auxilio literarum Caes. antea tibi declaravi: et me Augustam venturum, ad accipiendas ibi ipsius Caes. literas: ne tantum itineris esset iterum

emetiendum. Valde cupio scire quomodo tibi istud βούλευμα placeat. Ostendam certe velle et in me ἀληθεύειν dictum vetus, ἀνὴρ δὲ φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται. Quae de libris missis toties scripsi, repetere, putidum esset. Quod ad statum nostrae Galliae attinet, non melior certe in dies sed pejor fit. Spes de pace concepta multos frustratur, quum legati re infecta sint reversi: iterum tamen Basileam ad Condaeum principem conveniunt, quasi aliquid spei reliquum sit: eo profectus est ante biduum et noster *Th. B.*

Heri nuntium de *Danvilleo* acceptum est, qui veneno necatus fuerit, nondum tamen multum fidei nuntio illi adhibetur: atque utinam adhibendum non sit. Simul et de quadam urbe ab Huguen. capta nuntium allatum fuit, sed nomen tacebatur. Deus Opt. Max. Ecclesiae suae misereatur: quem etiam precor sua χαρίσματα tibi et toti familiae in dies augere. X. Iun. 1575.

Tui studiosiss. et observantiss. *H. Steph.*

## IX.

Sperabam fore, chariss. *Crato*, ut vacuum ad te *Panissotum* nostrum redire non sinerem, sed duobus saltem libris novis eum onerarem: quorum unus est De Latinitate falso suspecta, alter, Novum Test. Graecum forma parva (et enchiridii, ut vulgo loquuntur) cum difficiliorum et obscuriorum vocum interpretationibus partim

meis, partim aliorum, margini appositis: sed ex nundinis tantum mitti ad te poterunt.

Ad D. ***Thomam Rhedigerum*** quum ante menses duos scripsissem, adveniente tabellario animam agebat. Amisi certe amicum a cujus liberalitate nihil non sperandum mihi erat: et quidem nominatim florenos centum aureos ab illo mihi novissime promissos amisi, nisi forte ab haeredibus aliqua mei ratio habeatur, qui ex ***Gerarto Falkemburgio*** rem totam intelligere poterunt, si velint. Eos ***Hieronymo Comelino*** nundinarum Francford. tempore missurus erat, sed quidam (ut te audisse puto) qui foro cesserat, non parvam pecuniae summam ipsi ***Rehdigero*** abstulerat: ideoque hic se excusans, operam daturum dixerat, ut ab aliquo Lugdunensi trapezita eos acciperem.

De ***Fug.*** quid jam sperandum mihi sit nescio: sed ut ad ***Huldr.*** scribatur, minime autor fuerim: praesertim quum magis etiam turbatam nunc ejus mentem esse intellexerim. Rem igitur totam Deo primum, deinde tibi, committo. Vtinam vero mihi Maecenatem aliquem (qui me ad praeclarorum operum editionem adjuvaret) nancisci posses. D. ***Sambucus*** me aliquid a sua liberalitate expectare jubet. A ***Wechelo*** ne obolum quidem adhuc accepi.

Summa pro libris D. ***Godefrido*** a me missis erat tredecim librarum Gallicarum cum dimidia: quam mihi ***Panissotus*** dedit in quatuor Hunga-

ricis, ex quibus reddidi duntaxat decem monetae Regiae solidos: qui paulo minus quam quinque bacchiones efficiunt. Misi etiam *Mosero* libros quosdam, sed ille se eos accepisse non significavit, illum ut me hac de re certiorem faciat rogo, literis hoc fasciculo inclusis.

Si noster *Panissottus* paulo diutius, nimirum tres adhuc aut quatuor dies, hic moratus fuisset, meum illum de Latinitate falso suspecta librum ad te ferre potuisset: sed primum saltem folium mitto, in quo est dedicatoria (ut vulgo vocatur) epistola. In ea quam tui mentionem et quam apposite fecerim, videbis. Non minus autem a tuo filio quam a te legi illa cupio, quo ad aemulationem hujus tuae inter alias plerasque laudis ita incitetur ut de eo quoque aliquando id testari possim. Si eum ex ista umbratili (ut ita dicam) et delicata educatione ad aliam magis campestrem et minus mollem velles traducere, nullum hac urbe locum aptiorem a te inveniri posse existimo, ubi ego quicquid possem (possem autem multum) lubentissime praestarem. Itaque tuum ad hanc etiam rem exspectabo responsum.

Quod ad negotium illud cum haeredibus *Red.* transigendum attinet, ad *Falkemburgium* antea scripsi: sed nunc quoque epistolium scribo, ejusque ad te exemplar mitto: ut si ab haeredibus aliquid obtineri posse videas, literas illas una cum tuis ad eum mittas et in eandem sententiam scribas. Fortasse tamen in omnem eventum ad eum

illas mittere, nihil nocebit. Eum, nisi fallor, optime nosti, qui cum D. *Redigero* ab aliquot jam annis versabatur, vel potius ejus domesticus erat. Nescio an nunc Coloniae agat: sed id facile scire poteris.

*Panissottum* rogavit uxor mea ut te atque uxorem suis verbis salutaret, et de officiis mihi praestitis gratias ageret. Illam rogat etiam ut quod per eum mittit munusculum boni consulat. Ipse vero ut salutem meis quoque verbis utrique vestrum et filio quoque diceret rogavi, ad quem etiam scribere statueram: sed alias id fiet. Deus Opt. Max. et tibi et illis *χαρίσματα* sua *βιόδωρα* largiatur. Idib. Mart. 1576.

Tuus *Henr. Steph.*

## X.

Respondente ad tuas literas *Dorotheo*, ego idem eodem facere tempore non potui, quod abessem ab urbe: sed et non multo post et ipse ad meas, id est, eas quas a te acceperam, respondi, ideoque hic brevior ero: et tamen iterum de diligentia in sollicitando *Hottomano* adhibita gratias agas. Mirabar initio (quum tu, ad utrum libros illos mitterem ignorares) illum, qui meus hospes fuisset, adeo esse mutatum: quamvis majores etiam cerni ingeniorum mutationes possint.

*Auberius* (de quo scribis) *Organi Aristotelei* non solum versionem sed etiam paraphrasin et

commentarios in idem fere ad finem perduxit. Idem (nam est etiam φιλίατρος) quaedam *Hippocr.* vertit et commentariis illustravit: atque mihi excudenda aliquando obtulit.

Ego *Galenum* quam *Hippocratem* excudere malim: si eorum quae magis ad τἄλφιτα conferunt, habenda sit ratio. Atque adeo statui jam pridem tota opera Latine, sed Graecis etiam, per columnas (ut vocant) e regione adjectis, excudere: si fieri possit ut qui variis sunt in locis opulenti medici symbolas in hoc opus conferre velint, sui praeceptoris memoriam honorando.

Quod ad rerum Gallicarum statum attinet, quum nuper Lugduni essem, vidi omnes tam incertos quam unquam de iis quae rex molitur. Hoc quidem certum est, conscribi militem in omni fere Galliae parte: et fama est conscribi tantum ut mittatur in Flandriam, ubi nunc est regis nostri frater. Fama est, inquam, sed non ego credulus illi.

Ad has nundinas (ad quas proficisci non potui) nihil mitto aliud quam libellum Gallicum, adversus innovatores sermonis Gallici a me conscriptum. Quaedam habebam prelo commissa: sed ea retardata fuerunt, ita ut parata ad nundinarum tempus esse non potuerint. Vale. XXVII. Aug. 1578.

Totus tuus *Henr. Steph.*

*Dorotheus* salutem verbis suis tibi precari jussit.

## XI.

Etsi pluribus solito districtus eram curis et negotiis, propter mortem chariss. conjugis (quam mecum tota propemodum urbs luget, quod in ea rarissimum exstiterit exemplum magnae nobilitatis nobilitari tamen magis morum praestantia et virtutibus cupientis) nolui tamen hunc a me vacuum omnino discedere, sed epistolio tibi gratias saltem de propensa in meos conatus voluntate (quam proximis quoque literis declarasti) agere. Aliquid his nundinis daturus eram, sed vereor ut illae curae illaque negotia extremam imponere manum permittant. Iam N. Test. cum Ann. ***Th. B.*** usque ad Epistolas est perductum, in quas aliquid praeclari molitur. Quum animo paulo quietiore ero, pleniores a me literas accipies: nunc rogo hanc ut brevitatem boni consulas. Vale. E Typogr. nostro. I. Cal. Aug. 1581.

Tuus ***H. Stephanus.***

## XII.

Satis prolixas superioribus diebus literas ad te scripsi, ideoque in his nihil aliud quam te salutabo, et quae de negotio illo cum ***Fug.*** scripseram, repetam: meque in ea esse sententia nunc quoque dicam, ut non coneris literas ab illo ***Heydelb.*** impetrare (hoc enim fuerit laterem lavare, potiusque contrarias iis quas peteres literas scriberet) sed potius de transigendo cum illis con-

ditione aliqua agas: ut saltem ad illos trecentos quos offerebant florenos ducentos addant. Potius certe quam litigandum sit, iniquissima etiam conditione pacis ei statui.

Non dubito quin antequam has accipias, fama ad te de naufragio quod meae merces passae sunt, quae Francofordium mittebantur, perveniat. Iactura illa maxima futura est et ad illam quam ob motus Gallicos patior, addita, maximum cumulum faciet. Raptim. VIII. Cal. Apr. Ex typogr. nostro.

Tui observantiss. ***Henr. Steph.***

## XIII.

Cupio scire, chariss. ***Crato***, an fasciculum literarum acceperis quem miseram Francofordium, quo inclusae erant et ad D. ***Foxium*** literae: quarum argumentum tibi exponebam, ut ipse etiam, si res posceret, verbis tuis negotium promoveres. Scribebam etiam de chirographo ***Bruti***, me non potuisse tuis e literis colligere an tibi traditum esset a ***Claudio De Marnes***, sicut illi mandaveram. Quod autem de recipienda ex ipsius ***Bruti*** genero summa sollicitum te fore dicis, gratiam habeo, ac si forte nondum summam recepisti, id facere pergas oro. In nostra Gallia horrenda nunc geruntur, in quibus quilibet facile agnoscat illius Parisinae stragis ultionem: sed multo magis

horrenda praesagiri videntur. Alias plura. Vale XVI. Maii. E nostro Typogr.

Tibi deditiss. ***H. Steph.***

## XIV.

Me repulsam passum esse, non lubenter ad te scribo, mi ***Crato:*** et te nihilo libentius lecturum esse, certo scio. Spes certe de accipienda tota summa non erat, sed aliquam ejus partem jam spe (ut ait ille) devoraveram. Debuisti (ajunt) ipsius etiam ***Huldr.*** literas afferre. Atqui, dixi, si illis instructus venissem, non mihi Viennam ad implorandum Caesaris favorem proficiscendum fuisset. Nihilo certe minus agere mecum summo jure volunt quam si nemo pro me intercessisset: adeo levis est omnium quas attuli literarum autoritas apud eos. Initio absentiam quoque ***Io. Iacobi Fug.*** objiciebant: quum tamen illum pedem non audere in hanc urbem inferre sciant. Hoc etiam incommode cedit, quod aegrotet ***Marcus:*** ita ut nihil nisi per interpretem agere cum eo possim, is autem est unus ex ejus famulis. Neque alius, praeter ***Ilsingum***, meum negotium ipsi ***Marco*** commendavit: quod et ipse tamen per famulum facere coactus est, quod podagrae compedibus vinctus teneatur. ***Ioannem***, ***Marci*** fratrem, non adii, quod eum dixisse intellexerim, nihil ad se hoc negotium pertinere. Ita hinc cras discessum rebus infectis valde tristem paro.

Caeterum quum mea Musa (nihil de futuro hoc moerore augurans) more suo inter equitandum aliquid meditari voluerit, post illos versus de Veneta inundatione et de illis quae praecesserant eam incendiis (quos ad te Cremmio misi) alios etiam varios scripsi, ac praesertim de quadam hospita Pasavina. Postea vero coeperam et quoddam παραινετικὸν carmen ad filium tuum commentari: quod partim viae incommoditate ob nives et glacies, partim etiam quod tuum de argumenti serie judicium exspectare vellem, intermisi. Mittam autem, si videbitur, illud prooemium. In illa interpretatione D. *Godefridi Scharffii* praestiti quod potui; sed difficilius est intelligere eum qui non pure loquitur Graece, quam alium. Eam reddidi D. *Heinzelio* obsignatam, ut ipse mandaverat. Aliud jam quod scribam non est, nisi ut quum me frustratum hac spe videas (remittunt enim me ad hominem, quem rationis compotem esse ipsimet negant) eo magis illi meo Thesauri specimini auxilium aliunde quaeras, et tot beneficiis hoc quoque adjicias. Deus Opt. Max. te cum tota familia protegat et tueatur. Augustae Vindel. XIV. Nov.

Tui amantiss. ***Henr. Stephanus.***

## XV.

Non dubito, vir charissime, quin speraveris nullam illi Caesareae liberalitati (quam tu tanto cum labore tantaque molestia mihi obtinuisti)

moram esse interventuram. Intervenit tamen, et quidem tanta ut mihi nescio quid suspicionis suboriatur. Nam Calendis Augusti datae fuerant D. *Heintzelii* literae, quibus se brevi certiorem responsi a D. *Ilsingo* praefecto accepti facturum me pollicebatur: quum tamen a tam longo tempore ne verbum quidem ad me scripserit (quod quidem ad me pervenerit) neque ex alio quoquam hac de re quicquam intellexerim. Videris igitur quid facto sit opus, praesertim quum periculosam his in rebus esse moram non ignores. Equidem eo gratius mihi adveniet honorarium illud, quo majorem fortunis etiam meis nefanda illa strages attulit: quae tamen nondum tigres illas satiavit: sed quo plus haustum est ab illis sanguinis, eo plus sititur. Verum in Dei misericordis ope spes nobis collocanda est: quem ut tibi tua coepta secundet, suaeque gratiae donis locupletet, precor. Vale. Ex typographio nostro Cal. Nov.

Tui amantiss. et observantiss. *H. Steph.*

D. Baronem *Strennium* officiose meis verbis salutes velim.

## XVI.

Dum eae quas ad te scripseram literae tabellarium exspectarent, vir praestantiss., accidit ut ego ultimam *Diogeni Laertio* manum imponens, eum tibi dicandum, et vel hoc modo meum in te amorem testandum censuerim. Reperies igitur

praefixam ejus fronti ad te missam epistolam: ad quam in praesentia nihil addam, sed duntaxat te orabo ut omnia tanquam ab animo benevolo, deinde candido ac sincero, profecta, bonam in partem interpretere bonique consulas.

Quod autem attinet ad privilegium generale, cujus in superioribus literis mentionem feceram, omnino existimat noster *Melissus* facile obtineri posse ut in supplici libello a me poscebatur, modo intelligatur me pro libris theologicis non petere. Qua de re se ad te scripturum pollicitus est, ut sequendo illius libelli supplicis verba, sed addendo restrictionem aliquam (si ita videbitur) a Caesare poscatur. In illa autem restrictione tuo utere judicio. Vtriusque epistolae et brevitatem et ruditatem est cur excuses, illam enim alteram valde ad iter festinans, hanc autem febricitans scripsi: sed ita ut ultimus hic paroxysmus (qui est quartus) fore speretur. Vale *καί με φιλῶν διατέλει.*

Tuus *Στέφανος.*

Tabellarius *Herodotum* ferre non potuit.

## XVII.

Nuper tibi gratias egi de navata a te in negotium meum opera, et nunc iterum ago. Quantum enim ex postremis tuis literis cognovi, nisi perfecta re de me, non conquiesti. *Platonem* nondum ad finem perducere potui, valde crassum

erit opus, et quod plusquam rismam, quam vocant, complectetur, non supersunt tamen multa. Nihil novi habeo praeter *Dionysium* de situ orbis, cum comment. *Eustathii*, cui adjuncti sunt *Mela*, *Aethicus*, *Solinus*, cum suis et ipsi sive Annotationibus, sive scholiis. Dicavi autem *Dionysium D. Nic. Rhedingero*, hospiti meo, ut esset perpetuum μνημόσυνον, quam lubenter illi dicavi, cupio ut tam lubenter accipiat. Iussi ut novem exemplaria illi quod compactum est (plura enim compingere per temporis angustias non licuit) adjungerentur: ex quibus unum ad te mitto: reliqua octo ipsi *Rhedingero*, pro amicis quibus donare volet. Loquens autem de hospite *Nic. Rhedingero*, recordatus sum alius cujusdam antiqui hospitis mei, qui vestras itidem est. Ei nomen esse puto *Marco Hottomano:* quod si id certo scivissem, literis hospitii memoriam renovassem. Puto etiam affinitatem illum cum aliqua *Rhedingerorum* familia contraxisse. Fere ad finem perductus erat quidam meus dialogus qui *Nizoliodidascalus* inscriptus est, sive Monitor *Ciceronianorum Nizolianorum:* sed eum ante nundinas vernas accipere non poteris. Rogo D. Opt. Max. quam adeo infirmam esse scripsisti, corroboret. Ex typogr. nostro. IV. Cal. Sept.

Tuus *H. Stephanus.*

## XVIII.

Quum alias ad te satis copiosas dederim, in quibus et pessimum rerum nostrarum (id est Gallicarum) statum exposui: hic mihi brevem esse, cum tua venia, ut opinor, licebit. Addam igitur ad eas *Galeni* tantum mentionem, id est, editionis *Galeni:* ad quam multa subsidia te mihi procuraturum pollicitus eras; quid enim hac de re sperandum sit, scire percupio et quoad mihi exspectandum sit ut verba in rem conferantur.

Addam et de *Monavio*, qui quum tibi fortasse dixerit se mihi illos decem coronatos persolvisse, certe ne obolum quidem numeravit. Et tamen illi de pretio consueto primorum librorum altera propemodum pars remissa fuit, non tanquam tali in persolvendo debito futuro, sed tanquam et inopia laboranti, et quod post gratiam illam ei factam superesset, extempore persoluturo. At ecce, decem aut duodecim anni abierunt. Pudet pudet certe, haec commemorare. Caetera in prioribus literis habes: ideoque finem hic faciam. Vale. Parisiis. I. Cal. Apr.

Tuus *H. Stephanus.*

## XIX.

Aliqua mihi antea spes fuit proficiscendi ad Francfordienses nundinas, simulque te visendi. Magna enim ex parte illa profectio a me ea gratia instituebatur. Nunc video (quod valde doleo) negotiorum meorum statum tam longum iter mihi

permissurum non esse. Fuit tamen ea spes in causa cur rariores a me literas acceperis. Quos autem a me postulasti libros, praeter Praedium rusticum *) (cujus nulla hic exemplaria exstabant) aliosque praeterea fasciculo inclusos servo jampridem: et Francfordium misissem ut illinc istuc mitterentur, nisi quidam alius occasionis qua haec sarcinula recta istuc vehi posset, spem mihi fecissent: qua me jam longo tempore frustrari doleo. Exspecto interim dum aliquid te dignius et testando meo erga te amori aptius se mihi offerat. Eo enim magis me tibi obstrictum reddidisti quod et in ignotum (praeterquam ex fama) et in absentem tantum beneficii contuleris, propter quod etiam, quantum ex tuis literis intelligo, certamina adversus plerosque suscipienda tibi fuerunt, quod nisi vererer ne ad illa redeundum tibi esset, rogarem ut quam reportasti ex illis victoriam, pleniorem redderes: et quod expugnare tunc temporis ab illis adversariis non potuisti, nunc expugnare contenderes: nimirum generale privilegium. Sed de his statuendum tibi relinquam. Vale. II. Cal. Aug.

Tuus *H. Stephanus.*

## XX.

Ad te nunc quoque scribere supervacaneum videbatur, quum toties easdem literas, id est

---

*) Scripsit *Carol. Stephanus* Lutet. 1554. vid. *Cat. bibl. Langii* p. 187. *Maittaire vit. Steph.* p. 165.

eodem argumento, scripsissem: sed malui tamen in hanc quam in illam partem peccare. Ac video sane te multo diligentiorem (cujus etiam rei nomine est quod tibi maximas gratias agam) in scribendo ad me esse, quam felicem in dandis tuto quas ad me scribis literis. Nam (ut alia omittam) ita de literis tui Episcopi scribis ac si eas accepissem: at ego ne ὄναρ quidem eas vidi. Superioribus literis, quae plus quam septenae eodem, uti dixi, argumento scriptae erant, quomodo omnia quae petiisses, et plura quam petiisses, misissem, indicavi: sed dubitare me an ex iis quae naufragio corrupta essent, aliquid eorum esset: quum meus institor ad me non redierit. De meo etiam negotio quae mihi ratio ineunda videretur, multis scripsi. Nisi autem brevi literas accipiam, iterum eandem cantilenam (quid dico iterum? quum jam toties idem sim repetiturus?) canam. Interim tuae diligentiae, uti dixi, gratias ago, in qua eandem quam et in caeteris rebus, tuam erga me benevolentiam perspicio. Ad *Sambucum* scribo ne me de *Dioscoride* edendo mutasse sententiam existimet, quem mihi pollicitus erat. Facta autem mihi fuit spes etiam *Theophrasti.* Deus res omnes tuas ad prosperum exitum perducat, tibique et toti familiae sua χαρίσματα largiatur. Ex typogr. nostro. VIII. Iunii.

Tuus ex animo *H. Stephanus.*

Quum has scriberem, adscensurus erat equum *Th. B.* ut Basileam iret.

## XXI.

Sperabam omnino fore ut hinc, id est ex hac Parisiorum urbe (ubi jam per quatuor menses et amplius commoror) Francfordium proficiscerer: atque id me facturum, ad uxorem scripseram. Sed fui accersitus a rege, quum nihil minus exspectarem: et quendam libellum ei sum pollicitus, qui tam cito absolvi non potuit quam sperabam. Omnes autem mihi suadent ut non discedam nisi prius quod promisi praestiterim. Audivi hic nescio quid rumoris tristissimi de morte nostri *Sambuci*, ego falsum esse ex quibusdam conjecturis mihi persuadeo, utinam non fallar. Vale. Valde properanter. Parisiis. XXIII. Martii.

Tuus *Henr. Stephanus.*

Scripsi ad meum institorem ut *Plinii* epistolas, *Theocritum* et *Manilium* mitteret.

## XXII.

Ad te non scripsi ex quo literas illas accepi quibus te filium in Italiam velle mittere significabas. Haud scio an aliud quicquam tam παϱά-δοξον de tuis quidem certe rebus (id est domesticis) scribere ad me potueris. Sed postea intellexi ex eo qui literas postremas attulit quid te ad mittendum illuc eum impulerit, quod ejusmodi est, ut ad vitandum periculum unum in aliud te conjicere dici possis, nisi mature receptui ceci-

neris. Memini quomodo filius *Fumaei* cujusdam Parisiensis (qui ex primariis erat curiae Parlamenti consiliariis) sese, ibi, praeter omnium exspectationem gesserit, in ea fere qua tuus est aetate: et non solum jugum praeceptoris excusserit, sed in eum ita insurrexerit ut etiam tandem procul fugaverit; eo tamen, quum a paternis aedibus discessit, nihil mansuetius, nihil placidius erat. Neque tamen hoc commemoro te ut terream (fortassis enim omnia tuta timeo) sed ut principiis hic, si alibi usquam, obstandum esse ostendam. Sed fortasse sus *Minervam*.

Quod scribis te nescire quid a *Monavio* et *Hottomano* sit factum, in eo tuam illam de meis rebus solicitudinem agnosco, deque ea gratias nunc quoque ago, sed nihil factum esse scito. *Monavius* se excusavit tantum, et soluturum promisit: verum non recordari se summae, adjecit. Ego, literis quas ad eum scribo, duodecim tantum coronatos tam pro illis prioribus libris quam pro iis quos misi novissime, peto. De *D. Hottomano* bene spero, nec tamen dubito quin eum a te adhuc commonefieri necesse sit. Ex tuis literis cognoscere non potui an ille sui apud me hospitii mentionem fecerit: valde tamen fallor aut ille ipse est qui hic meo hospitio usus est. Quicquid habebo novi in his nundinis ad eum mittam ut mei memoriam renovem. Cupio praenomen ejus simulque titulum quo est ornandus, intelligere. Quinque hungaricos literis in-

clusos inveni: pro quibus, ut donatis, non persolutis (si ita loqui licet) gratias ago: quum et pretium *Platonis* excedant, et tibi illum, sicut et caeteros libros, dono misissem. Vale. Id. Novembr.

## XXIII.

Literis quas ad te nuper dedi, me literas illas tui Episcopi non accepisse, monui: quas tamen in manus meas pervenisse, omnino tibi persuades, quantum ex iis quae ad me scribis perspicio. Gaudeo autem illum exspectationem nostram, vel tuam potius, in ea re saltem, id est, in eo quod responso me dignatus sit, fefellisse. Omnes quos a me petieras libros et multo etiam plures *Hieronymo*, institori meo, dederam, et uni ex doliis inclusos ab eo fuisse scio: sed quid illis in misero illo naufragio contigerit nescio. Maxima enim pars eorum quae ad nundinas mittebam naufragium prope Solodurum passa est. Vtinam autem inter pauca quae evaserunt sint ea quae ad te mittebam: cum quibus erat Glossa illa ordinaria pro D. *Cancellario:* necnon exemplar ejusdem pro D. Barone a *Zerotino.* Illa etiam *Horatii* et *Virgilii* exemplaria magno cum foenore tibi reddebam. Inter alia autem mala quae naufragium illud attulit, hoc etiam fuit, quod meus ille *Hieronymus* prae mentis sive perturbatione sive commotione, in quam ex hoc repentino casu inciderat, multa negotia magni alioqui

momenti pro me Francfordii obire non potuerit. Sed quid acceperis, vel potius quid non acceperis, simulatque intellexero, operam dabo ut in proximas nundinas provideatur.

Quod vero ad meum cum *Fugg.* negotium attinet, nihil magis e re mea futurum spero, quam si aliae impetrentur a Caes. Majestate literae, quibus se in persona mea repulsam passum esse conqueratur: et hoc praecipue urgeat, se ideo voluisse me autoritate literarum suarum munire, quod praevideret nonnulla ejusmodi qualia mihi objecta sunt, objectum iri ab illis, si quem colorem quo in deneganda mihi persolutione uterentur, quaererent: praesertimque illud, me sine literis affinis ipsorum venire. Sed illos satis sibi esse conscios quam iniquum sit denegari mihi pecuniam illam ob non allatas hominis illius literas, cujus alioqui plerisque omnibus in rebus et literas et verba et autoritatem contemnant: ac se speravisse fore ut sua unius autoritas in exigendo tam justo debito omnium literarum vice esset, praesertim quum ipsum chirographum (quod hujus negotii caput est) repraesentaretur, et ipse suam fidem velut interponere dignaretur. Ego autem quum has literas impetratas esse sciam, Augustam proficiscar. Nisi forte aliquid melius et meis rationibus utilius tibi in mentem veniat. Qualia te et pro tua prudentia posse excogitare, et pro tua in me benevolentia velle scio. Deus Opt. Max. res tuas totiusque familiae secundet.

Cui et meis verbis salutem dicas velim. Id. Maiis.

Tuus Στέφανος.

XXIV.

*Henricus Stephanus Ioanni Cratoni*, S. P. D.

Quum superioribus diebus inter ***Paulum Melissum*** et me sermo de rebus meis typographicis ortus esset, et inter alia privilegium me desiderare dixissem, quo me adversus laborum meorum ac vigiliarum praedones tueri possem: tu certe illi primus omnium in mentem venisti cui me hac in re juvandi non minor voluntas quam facultas futura esset: tum quia quoscunque de literis bene mereri nosti, de illis vicissim bene mereri cupis: tum vero quia me nominatim, a te diligi, magnoque mihi aliqua in re gratificandi studio te teneri, vel ex tuis ad se literis perspectum exploratumque habuerit. Quae ego quum facile mihi persuaderi ab illo siverim, de scribendo supplici libello cogitare coepi quo privilegium a Caesarea majestate peterem: atque adeo mox scripsi, et scriptum ad te nunc una cum hisce et ***Melissi*** literis mitto: te orans atque obsecrans ut tuo me favore in hoc negotio juvare digneris, quum praesertim in me Musas ipsas totamque literariam rempublicam magno tibi beneficio obstricturus sis, et nec me, nec illas (Deo volente) illius immemores experturus. Vale. Ex typographeio nostro. XII. Cal. Decembr.

## XXV.

Quemadmodum tu de meo silentio quereris, ita ego de tuo, nihil enim literarum a te accipio. Fieri tamen potest ut scripseris quae domum meam pervenerint: sed non ante meum discessum, qui fuit ante septem menses. Ex iis autem quae postremae redditae mihi fuerunt, binae sunt in quibus confirmas quod promisisti de *Galeno:* id est, de me juvando in sumptibus qui faciendi erunt in ejus editionem cujus specimen tibi misi. Quo autem id maturius feceris (si in eo nunc quoque es animo) eo magis illam acceleraveris. Scio enim quosdam alios exemplum tuum statim sequuturos. Quorum autem liberalitas eam adjuverit, eorum certe perhonorifica (ut par est) fiet mentio: et quidem tui praecipue, qui exemplo tuo aliis praeiveris. Mihi certe animum addit inventus tandem hac in urbe ille operum hujus scriptoris tomus, qui solus mihi deerat: adeo ut nunc totum *Galenum* ab illo doctissimo medico et linguae Graecae peritissimo diligenter emendatum (praesertim ex collatione cum veteribus exemplaribus) gloriari possim in manibus meis esse. Scribo ad *Monavium*, quem nondum fidem liberasse, valde miraberis: et ob eam causam maxime, quod se id facturum toties tibi promiserit. Ego ob tuam commendationem multum illi de pretio remisi. Vale. Parisiis. Septembr. X. (ut hic computatur) die. Ann. 1584.

Tuus *H. Steph.*

Quoddam est mihi negotium, quod si ante paucos dies conficere potero, extremae saltem nundinae me videbunt, et cum fine nundinarum cessationi meae finem imponam.

## XXVI.

Nihil aliud novi habeo hisce in nundinis quam novam *Virgilii* editionem, plerisque in locis (ad scholia quod attinet) recognitam atque auctam. Typographiam meam instaurare cupio, et cessationem etiam, si fieri queat, compensare: sed libri, de quorum editione cogito, magnos sumptus requirunt: ac praesertim *Galenus*, ad quem si mihi promissum auxilium tuleris, facturum me spero ut quicunque unquam mihi de mea editione gratiam habebunt, tibi quoque habeant. Sed vereor ne, dum res haec a te tamdiu differtur, omnis etiam spes mihi auferatur. Ex tuis postremis litteris binas meas ad te non pervenisse cognovi: alioqui enim meum minime officium desiderasses. Vale. Cal. Sept. an. 1583.

Tuus *Henr. Steph.*

Mitto *Virgilii* exemplar ad *Monavium* quoque, ut hoc illum sui debiti admoneat.

In *Terentium* quoque et *Salustium* scholia his nundinis editurum me sperabam: sed quum impressionem ante nundinarum tempus absolvi non posse viderem, ne inchoare quidem volui.

## XXVII.

Tam diuturnum meum silentium non miraberis, postquam intellexeris (si nondum intellexisti) me jam nonum mensem et amplius hac in urbe agere: quum tamen rationes meas minime ita instituissem, ut plus quam per bimestre spatium hic commorari possem. Sed quum abitum pararem, rex accersivit necopinantem, et humaniter ac comiter accepto (quum multos multa de me praedicantes se audisse diceret) mandavit ut quendam librum, quem promisisse me audierat, sibi ostenderem, se enim summo ejus videndi desiderio teneri. Quum me illum nondum composuisse dicerem, et adversaria mea in quae ad illud argumentum pertinentia conjecissem, non habere hac in urbe: iis se contentum fore dixit quae mihi memoria scriptione extemporanea suggerere posset. Eum igitur tandem pro temporis angustiis et pro tenuibus quae ad tractandam illam materiem tunc suppetebant facultatibus, ut potui, conscripsi: sed tamen ita ut sibi satisfactum esse dixerit, et prolixe mihi (sicut et ante fecerat) promiserit. Sed praeter promissa nihildum ab eo accepi, ac ne spes quidem est accipiendi (quamvis interea magnos sumptus hic fecerim). Remittor enim ad nummos quos extraordinarios vocant: quod (hoc quidem tempore, quo et plures petitores et pauciores sunt nummi) idem propemodum est atque ad Calendas Graecas remitti.

In causa hoc erit cur alius quidam liber, longe majoris momenti, et quem ille multo avidius exspectat, in aliud tempus a me differetur. Cogito enim hinc ad nundinas Francofordienses, sed petita tamen prius dimissione ab ejus Majestate.

Gratias tibi ago de tua *Hottomani* admonitione, ut tuo verbo utar. *Monavius* ad me scripsit, illum (vocat autem affinem suum) nummos aliquot aureos ad me misisse: sed vereor ne ad meas aedes non pervenerint. Vxor enim, quae me alioqui de omnibus sedulo admonet, minime hoc praeteriisset. Ejus verba sunt, Affinis meus, *Marcus Othmanus*, te salutat. Dixit mihi his diebus se nummos aliquot aureos tibi misisse. Sunt autem scriptae literae pridie Cal. Aprilis. Si de antiquis numismatibus aureis intelligit, magis dolenda erit amissio, si hic casus contigerit. Rem igitur totam ex te scire cupio.

Aliud est praeterea quod ex te intelligere aveo, quid tu mearum varietatum appellatione intelligas. Postquam enim scripsisti te omnia ad *Galeni* editionem quae poteris facturum, etiam quae vix poteris, subjungis, *Promissum satis est me semel esse tibi. Vtor enim versu poetae boni, non satis bono. Sed de his tu melius, cujus (liceat mihi hoc verbo uti) varietates saepe admiror. Minus tamen tibi licere te interdum existimare (accipies hoc in bonam partem) cupio.* Haec tua sunt verba: quae

quum ego ex ore ejus qui me paterno amore prosequitur, et cujus judicio plurimum tribuo, profecta esse sciam, tantum abest ut in malam partem possim accipere, ut contra, mihi a te explicari, in magno bono deputem.

Ad literas *Monavii* rescribo, famulum meum dixisse mihi tantam esse summam pro libris omnibus quos debet (comprehenso etiam *Platone*) quantam scripsi, duodecim videlicet coronatorum: ut tamen intelligat me nihil minus quam amicitiae ejus renuntiare velle (ut se suspicari subinnuit) ei permittere ut quantumcunque voluerit, de summa detrahat.

Sed nihilne ad me scribis de iis etiam quae istic geruntur, aut saltem parantur? Hoc tantum, omnia in dies magis incerta reddi, praesertim vero quod attinet ad nuptias fratris regis cum regina Angliae. Vale. Parisiis pridie Cal. Aug. 1579.

## INDEX NOMINVM
IN
## HENRICI STEPHANI EPISTOLAS.

*Aethicus.* XVII.
*Aristoteles.* X.
*Auberius.* X.
*Augustus*, Saxoniae dux. IV. V.
*Theodorus Beza.* IV. VI. VIII. XI. XX.
*Io. Michael Brutus.* VI. XIII.
*Carolus* IX, Galliae rex. IV.
*Ioachimus Camerarius.* III. V.
*Ciceroniani.* XVII.
*Hieronymus Comelinus.* IX.
*Io. Baptista Crato, Io.* fil. VI. VII. IX. XIV. XXII.
*Cremmius.* XIII.
*Danvilleus.* VIII.
*Defoix*, v. *Foxius.*
*Claudius Demarnes* *). V. VI. XIII.
*Diogenes Laertius.* II. III. IV. XVI.
*Dionysius Perieget.* XVII.
*Dioscorides.* XX.
*Dorotheus.* X.
*Christophorus Ehemius.* VII.
*Elisabetha*, Angliae regina. IV. XXVII.
*Eustathius.* XVII.
*Gerartus Falkenburgius.* IX.
*Paulus Foxius.* (*Defoix*) VI. XIII. Tolosae archiepiscopus. VIII. XX. XXIII.

---

*) Bibliopola Caesaris, bibliopolium habens Pragae, *Wechelii* Genev. Epist. *Sylburg.* a. 1584. ad *Victor.* Cf. Cl. Ital. et Germ. epist. ad P. V. ed. *Baudin.* T. II. p. 168.

*Franciscus, Henrici* III. frater. X. XXVII.
*Fridericus* III., Comes Palatinus. IV.
*Huldricus Fugger.* VII. IX. XII. XIV.
*Io. Iacobus Fugger.* XIV.
*Marcus Fugger.* XIV.
*Fuggeri.* IX. XII. XXIII.
*Antonius Fumaeus.* XXII.
*Galenus.* X. XVIII. XXV. XXVI. XXVII.
*Guilelmus, Landgr. Hassiae.* IV.
*Baptista Heintzelius.* V. XIV. XV.
*Henricus* III., Galliae rex. X. XXI. XXVII.
*Henricus,* Navarrae rex. VI.
*Henricus Condaeus,* Princeps. VIII.
*Herodotus.* XVI.
*Hieronymus* institor. XX. XXI. XXIII.
*Hippocrates.* X.
*Horatius.* XXIII.
*Marcus Hottomanus.* X. XVII. XXII. XXVII.
*Ilsingus.* V. XIV. XV.
*Ioannes Georgius,* Marchio Brandeburgicus. IV.
*Hubertus Languetus* *). V.
*Ludovicus,* Wirtembergiae dux. IV.
*Manilius.* XXI.
*Maximilianus* II., Caesar. IV. VI. VIII. XIV. XV. XVI. XXIII. XXIV.
*Mela.* XVII.
*Paulus Melissus.* I. II. XVI. XXIV.
*Iacobus Monavius.* XVIII. XXII. XXV. XXVI. XXVII.
*Moserus.* IX.
*Nizoliani.* XVII.
*Novum Testamentum.* IX. XI.
*Panissotus.* IX.

*) Cf. *Sax. onom.* 3. p. 380.

*Christophorus Plantinus.* IV.
*Plato.* VII. XVII. XXII. XXVII.
*Plinii* epist. XXI.
*Nicolaus Rehdigerus.* XVII.
*Thomas Rehdigerus.* IX.
*Iosias Rihielius* *). V.
*Iulius Comes a Salmis.* VII.
*Salustius.* XXVI.
*Ioannes Sambucus.* IV. VII. IX. XX. XXI.
*Godefridus Scharff.* IX. XIV.
*Stephani* uxor. IX. XI. XXVII.
*Solinus.* XVII.
*Richardus Baro Strennius.* VI. XV.
*Terentius.* XXVI.
*Theocritus.* XXI.
*Theophrastus.* XX.
Graecae linguae *Thesaurus.* I. II. III. IV. XIV.
*Eustachius Vignon.* V.
*Virgilius.* XXIII. XXVI.
*Wechelus.* IX.
*Carolus Baro a Zerotin* **). XXIII.

---

*) Typographus celeberrimus, ex cujus officina prodierunt *commentarii Sleidani* et *Homerus Ob. Giphanii.*

**) Cf. *Freytag* ad *epist.* v. v. d. d. p. 98.

# XXI.

## PETRI VICTORII

AD

IOANNEM CRATONEM, THOMAM REHDIGERVM ET HIERONYMVM MERCVRIALEM EPISTOLAE EX AVTOGRAPHIS EDITAE.

---

Quum biennio abhinc ineditas quasdam *Henrici Stephani* epistolas ex inexhaustis thesauris *Rehdigeranis* in lucem proferrem, significavi aequis harum rerum arbitris, nisi forte prorsus improbaretur consilium meum, simili me opportunitate oblata aliorum etiam hominum eruditione et ingenio clarorum epistolas ex eodem fonte esse editurum. Cessit res ex sententia, privatimque et publice addita est persuasio, non ingratam fore multis, quam primo loco pollicitus eram, epistolarum *Petri Victorii* ex autographis syllogen. Neque profecto ab ingenio temporis nostri abhorrere nunc videntur symbolae hae ad historiam litterariam nimis diu neglectae atque intermissae. Accesserant quippe nuperrime ad homines doctos, in praefatione ad epistolas *Stephani* laudatos,

duumviri clarissimi, qui de talibus reliquiis bene mererentur, *Lud. Christ. Treviranus* et *Theod. Frid. Freytagius*, quorum ille epistolas *Caroli Clusii Atrebatis* et *Conradi Gesneri Tigurini* manu scriptas, dum universitatem nostram ornaret e copiis pariter *Rehdigeranis* accurate a se descriptas, adspersis etiam adnotatiunculis anno MDCCCXXX. typis mandavit: *Freytagius* vero ineditas virorum doctorum epistolas centum fere numero ad *Bilib. Pirchheymerum*, *Ioach. Camerarium*, *Carol. Clusium* et *Iulium*, episcopum Herbipolensem, anno post e codice olim *Io. Gravii* Livoniensis, tum *Carol. Gottl. Sonntagii* Rigensis, nunc hereditario jure ipsius editoris, diligentissime illustravit evulgandasque curavit: sunt in his praeter complurium aliorum *Lutheri*, *Zwinglii*, *Ariae Montani*, *Caes. Baronii*, theologorum; *Haloandri*, *Wesenbecii*, *Giphanii*, juris consultorum; *Conr. Gesneri*, *Cornarii*, *Matthioli*, *Aldrovandi*, *Occonis*, medicorum et physicorum; *Io. Reuchlini*, *Des. Erasmi*, *Huld. Hutteni*, *Mosellani*, *Adr. Turnebi*, *Guil. Canteri*, *P. Victorii*, *Henr. Stephani*, *Aldi Manutii*, *Hier. Wolfii*, *Iusti Lipsii*, *Leonclavii*, *Cuspiniani*, *Aventini*, *Eobani*, *Melissi*, philologorum, historicorum, poetarum, neque quicquam, quantum nobis judicare licet, aut ab exemplaris fide desiderandum, aut ab editoris accuratione et doctrina. In epistolis quidem *Clusianis* et *Gesneranis*, quas ex parte cum auto-

graphis comparavimus, negligentius quaedam inveni descripta, nisi minus recte lecta: (ita primae epistolae annus est MDLXIV., non MDLXV., quod aliunde quoque evinci potest: ultimae vero p. 62. infima lineola, voculis duabus, quae unam efficere debent, perperam divulsis, sensum habet nullum,) sed haec nimis fortasse φιλολόγως sunt observata, neque minuunt animum gratissimum, editori ceteroquin debitum.

Post haec quantivis pretii cimelia ne *Victoriana* nostra magnopere distare et quae publica luce donentur vix digna esse videantur, sane est verendum. Neque enim sermonis Latini elegantia ea est, quam in multis aliis aequalium epistolis admiramur, neque rerum copia aut varietas tanta, ut indemnes praestet lectores. Praecipue vero crebris eorundem vocabulorum sententiarumque repetitionibus offendimur, cujus luculentissimum exemplum perpetuus pronominis *ipse* suppeditat usus vel potius abusus: et ubi epistolarum argumenta fere sunt eadem, sunt enim pleraeque aut commendaticiae, aut alicujus officii causa scriptae, quid mirum eloquutionem quoque non admodum variando nos delectare? Attamen nonnulla ad historiam illius temporis cum civilem tum litterariam pertinent, quae aliunde minus sunt nota: praecipue vero omnia tam purum humanitatis sensum, tam egregium animi candorem, tam sincerum patriae, principis, amicorum amorem, ut verbo dicam tam mitem *Victorii* sapientiam spi-

rant, ut monumentum praeclaro viro non indignum constituisse videantur.

Dedimus igitur epistolas *Victorii* quotquot copiae *Rehdigeranae* suppeditant omnes: sunt ab ipsius manu exaratae, sedecim ad *Ioannem Cratonem* scriptae, duae ad *Thomam Rehdigerum*, illae secundo et sexto, hae octavo collectionis volumine comprehensae. Complectuntur vero duodecim annorum spatium, MDLXVII. — MDLXXIX., aetatis *Victorii* annum LXVIII. — LXXX. Natus enim est V. Id. Iul. anni MCDXCIX., mortuus XVI. Calend. Ianuar. MDLXXXVI. *).

Nobis quidem in hoc negotio perficiendo nihil paene relictum erat praeter levidense describentis munus, quo ita sumus defuncti, ut verba *Victorii* summa cum fide etiam in orthographicis, quae parvi a multis momenti habentur, et in ipsis vitiis, quorum tamen neque multa neque gravia, repraesentaverimus. Chirographum *Victorii* tam est elegans, tam perspicuum et distinctum, ut nullam prorsus legenti difficultatem facessat, nobisque vel singularum litterarum sponsionem in nos recipere liceat. Neque tempora conscripta-

*) Mortis annum perperam indicavit *Ang. Mar. Bandinius* in vita *P. Victorii*. Florent. MDCCLVIII. p. LXXXII. *animam efflavit anno MDLXXXV. XV. Kal. Ian.* i. e. die XVIII. Dec. MDLXXXIV. v. *Tiraboscii histor. litter. Ital.* T. VII. part. IV. p. 1445. sq. et *Weissium* in *Biogr. univ. Paris.* T. XLVIII. p. 331.

rum epistolarum sunt dubia, et in collectione *Rehdigerana* recte disposita, tribus tantum exceptis ep. II. XVII. et XVIII., de quibus, quae dicenda erant, suis quaeque locis exposita sunt. Quod nobis in vicibus annuis pro festinatione scribendi quotannis accidere solet, ut in initiis novorum annorum numerum prioris repetamus, idem *Victorio*, homini occupatissimo, aliquoties accidisse videtur. Satis igitur habuimus, quae sive ex aliis ejus epistolis, sive aliunde lucem aliquam adspergere possent, ea breviter apposuisse, nullam ut par erat eruditionis inde laudem quaerentes.

Aliqua tamen fortasse excusatione egebimus, qui epistolas nonnullas repetivimus alibi jam dudum editas: sunt I. III. IV. V. VI. ad *Cratonem* et secunda ad *Rehdigerum*, quas omnes *Io. Caselius* in epistolis *P. Victorii* ad Germanos missis primus evulgavit Rostochii, MDLXXVII. Libellus perrarus viginti annis post repetitus est Francofurti, MDXCVII. cum nonnullis additamentis, *Caselii* elogio *P. Victorii* ejusdemque epistolis ad principes, nobiles et amicos scriptis, quae non tam est nova editio, quam furtim et fraudulenter inscioque *Caselio* facta *). At vero primum nus-

---

*) Patet hoc ex prooemio in epistolas *P. Victorii* ad Germanos. Datum erat hoc Rostochio a. MDLXXVII. ad *Ioachimum Fridericum*, marchionem Brandenburgicum. Ac typographus Francofurtanus urbis quidem nomen intactum reliquit, sed annum tacite mutavit in MDXCVII. Iam vero

quam confessi sumus, ineditas tantum nos esse edituros, sed tales epistolas, quarum autographa in manibus habuimus: et haec est causa, cur duas ad *Cratonem* in reliquarum ordinem recipere nolentes, in notas eas ablegare satius esse putavimus, v. ad epist. II. p. 4. et epist. IX. p. 18. Praeterea *Caselius* in iis, quas primus edidit, non ea qua par fuit fide et diligentia usus est, quod ostendit lectionis varietas, *Victorii* verbis ubique subjecta.

Non prorsus eadem est ratio epistolae ultimae ad *Hieronymum Mercurialem* Foroliviensem, medicum eruditissimum, datae, quamvis hanc quoque ex ipso *Victorii* autographo produximus *). Quum enim *Davides Schulzius*, theologus doctissimus, notitiam mihi dedisset codicis

---

*Caselius*, Rostochio anno MDLXXXIX. relicto, Helmstadium se contulerat, ibique die XXIV. Ian. MDXC. ordini professorum erat adscriptus, quod ignorabat typographus. Ceterum *Freytagius* quoque adnotatione ad epistolas virorum doctorum supra laudatas p. 73. levem errorem commisit, *Caselium* anno demum MDXCIX. Helmstadium abiisse tradens: v. *Brunsii* et *Kreyi* libros ad epist. I. init. excitatos.

*) *Hieron. Mercurialis* natus est Foro *Livii* Prid. Cal. Oct. MDXXX., mortuus V. Id. Nov. MDCVI., neque cum *Ghilino*, *Crasso* et *Saxio* MDXCVI., aut cum *Petro de Spina* MDCI., aut cum *Thuano* MDCIV., v. *Niceron. mém. pour servir à l'hist. des homm. ill.* T. XXVI. p. 21. *Frid. Boerneri* de vita, moribus, meritis et scriptis *Hieron. Mercurialis comm. acc. elog. Ian. Nic. Erythraei et Laur. Crassi.* Brunsv. MDCCLI. p. 16. *Hieron. Tiraboscii hist. litt. Ital.* T. VII. part. II. p. 610. et *Renauldin.* in *Biograph. univ. Paris*, T. XXVIII. p. 357.

cujusdam epistolarum saeculi decimi sexti propriis auctorum manibus exaratarum, qui publicam Landishutanae civitatis bibliothecam ornat, et ipse inspicere coepi, et quum animadverterem, eum non pauca memoratu digna continere, liberrimum libri usum ab humanissimis decurionibus facile impetravi, intercedente maxime ***Guilelmo Perschkio***, qui urbem illam et bibliothecam pari cum laude administrat *).

In tanta farragine rerum utilissimarum nunc duo in primis erant, quae me allicerent: primum ***Victorii*** illa ad ***Mercurialem epistola***, Vol. II. Fol. 390 — 396. et haec antea jam edita a ***Francisco Victorio*** in ***Petri*** avi ***orationibus*** et ***epistolis***, Florent. apud *Iunctas*, MDLXXXVI., cui praemittendam duxi epistolam ***Mercurialis***, ad quam altera respondet ***Victorius:*** sic enim rectius intelligentur, quae hic rescribit: illa vero prodiit in ***epist. cl. Ital. et Germ.*** ad ***P. Victorium***,

---

*) Constat codex ex voluminibus duobus formae maximae iisque satis spissis, alterum CCCLXXIX., alterum CDLXXXIII. plagularum. Historiam ejus et argumenti conspectum petas e *Guil. Perschkii* catalogo: *Verzeichniss der öffentl. von Wallenberg-Fenderlinschen Bibliothek zu Landeshut in Schlesien.* 1829. *p.* 222. *sq.*, adde ejusdem auctoris libellum, *Mittheilungen aus einer handschriftl. Briefsammlung des 16ten Jahrhunderts.* 1830. Insunt epistolae *Hieron. Welleri* ad *Casp Peucerum*, *Alberti*, Prussiae Ducis ad *Phil. Melanchthonem*, *Io. Dryandri* ad eundem, *Mart. Lutheri* ad *Ioachimum II.*, marchionem Brandenburgicum, *Valent. Trotzendorfii* ad *Geo. Vtmannum.* Ceterum liber est idem, ex quo duas epistolas minus accurate descriptas exhibuit *Guil. Mart. Leb. Dewettius* in *epist. Mart. Lutheri*, T. V. p. 380. 724.

lib. I., 48. p. 111. ed. *Bandin.* Ac fortasse de epistola *Victorii* iterum edenda non cogitassem, nisi praeter exspectationem autographum ipsum in manus meas incidisset, et collatio statim instituta ostendisset, impressa multis locis emendari ex scriptis et posse et debere, quam ob causam et hic varias lectiones diligenter apposui. Sed hoc non erat unum. Epistolae illae mutuae *Mercurialis* et *Victorii* tractant locos *Thucydideos* et *Lucretianos* notissimos de peste Attica eosdemque difficillimos, quorum nostra memoria rursus mentio est injecta, praecipue ab *Andr. Wawruchio, antiquitates typhi contagiosi Attici*, Vienn. 1812. et ab *Io. Chr. Frid. Meistero, die Kriegspest in Athen.* Zullichav. 1816. At neque hi, neque *Thucydidis* aut *Lucretii* editores doctissimi, quae in hanc rem disputata sint ab duumviris egregiis, cognita habuerunt. *Dionysius* quidem *Lambinus* in *Lucretio*, *Car. Arn. Dukerus* in *Thucydide* ablegarunt editores ad *Mercurial. var. lect.* I, 1. et ad *Victor. var. lect.* XXVII, 17., sed haec tam breviter absolvunt rem, ut cum epistolis nostris comparata compendii tantum satis exilis partes tueantur. *Victorii* praeterea orationes et epistolae rarissimis accensentur libris, ut hanc quoque ob causam operae pretium fecisse videar communicando cum pluribus, ad quae paucissimis nunc aditus patet.

Alterum quod jam protrahere e codice mihi proposui, supplementum quodammodo est pro-

grammatis superioris. Quum enim volumen secundum diligentius pervolutarem, incidi ecce Fol. 481. in epistolium breve, sed non inelegans *Henrici Stephani* nondum impressum, quod cohaeret cum nonnullis eorum, quae ante biennium edidi. Est scilicet scriptum ad eundem *Iacobum Monavium*, jurisconsultum Vratislaviensem, de quo saepius in epistolis ad *Cratonem* est sermo, conqueriturque *Stephanus* ubique fere de pecunia pro libris quibusdam sibi debita, epist. XVIII. XXII. XXV. XXVI. XXVII. et praef. p. XIII. Ejusdem argumenti et hae sunt litterae, quas jam apponam:

*Sperabam meum Iacobum Stoerum mihi a te nundinis proxime elapsis illos decem coronatos allaturum, quos mihi deberi dixi, partim pro libris antea acceptis, partim etiam pro Platone, et quidem multum remittendo de pretio quod fieri non solet quum per tot annos differtur solutio. At ille nihil a te vel tuo nomine se accepisse dixit. Rogo igitur ut si non his nundinis saltem proximis illam summam persolvendam cures. Vale. V. Cal. Sept.* 1580.

*D. Monavio Vratislaviae.*

*Tuus H. Steph.*

Et quod priori programmate contenderam, nullas dum *Stephani* epistolas, neque integras

syllogas, neque singulas per varios libros dispersas publice exstare, nunc ex parte tantum verum esse vidi. Epistolium namque ad *Franc. Nansium* Batavum, Francfordii die XVIII. Sept. MDXC. scriptum, quo pro *Nansii* in *Nonnum* appendicula gratias agit, suamque *Monitricem principem Musam* (Basil. MDXC.) ἀντίδωρον mittit, reperi in *Thom. Creenii animadv. philol. et hist.* T. III. p. 62. Alia ad *Car. Sigonium* epistola obiter laudatur a *Senebiero* in *hist. litt.* Genev. T. I. p. 363. sed locum investigare nondum potui. Tertia denique ad Iulium episcopum Herbipolensem ex nobili apud Francos gente *Echterorum ab Echt* nuper publici juris facta est a *Theod. Frid. Freytagio*, viror. doctor. epist. sel. p. 131.

## I.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Facit benevole *Caselius* *), et, ut exspectari poterat a singulari probitate ipsius, qui de me,

---

I.

*Thesauri epistolici Rehdigerani Ms.* Vol. VIII. fol. 99. Edita haec est epistola jam antea in *P. Victorii epist.* ad German. missis, nunc primum edit. ab *Io. Caselio.* Rostoch. MDLXXVII. p. 69 repetitis Francof. MDXCVII. p. 73. De *Io. Cratone a Craftheim*, trium Imperatorum archiatro, videantur post alios *Christoph. SaxI onom.* T. III. p. 382. 648. *Curt. Sprengelius hist. art. med.* T. III. p. 276. *Aug. Henschelius* in *commercio epist. soc. Siles.* T. I. part. 4. p. 327. *Theod. Frid. Freytagius* in *vir. doct. epist.* ad *Bilib. Pirchheymerum* et *alios datis*, p. 74. et 88. Natus est vir eximius, cujus in sylloge *Rehdig.* plurima exstant monumenta, Vratislaviae anno MDXIX., supremum diem obiit anno MDLXXXV.

*) *Io. Caselius*, natus anno MDXXXIII., professor Rostochiensis, postmodo Helmstadiensis, ubi mortuus est anno MDCXIII. v. *Burckhardus de Caselii erga bonas litt. meritis*, MDCCVII., *SaxI onom.* T. III. p. 442. 652. *I. P. Brunsius* de prof. Helmstad. meritis, p. 40. *Freytag.* ad *vir. doct. epist.* p. 74. et qui de eo longe ceteris copiosius et accuratius exposuit, *Io. Bernard. Krey*, *memoriae vir. doct. Rostoch. per haec tria saecula viventium*, T. II. p. 29. *append.* p. 29. De ejus et *Victorii* familiaritate omnia sunt plena, epist. III. VI. IX. X. XII. XIV. et epist. a *Bandinio* editarum lib I, 68. 76. 77. 78. II, 1. 4. 21. 22. 25. 32. 38. 41. 42. 47. 67. 75. Elogium, quod *Caselius* scripsit *Victorio*, alio tempore dabimus.

ubicumque est, cum doctis, et claris *) viris honeste ac magnifice loquitur: studetque mihi semper, quacumque ratione potest, novos amicos parare, quod ego maximum beneficium duco, et antepono multis aliis, quae a quolibet accipere hoc tempore possem, commodis. Quantum enim hoc ipsius, et quam splendidum munus est, quod opera, ac studio suo, te mihi amicum reddidit, ac totum me in animum tuum insinuavit, qua ex re, ego mirifica laetitia, ut debeo sum affectus. Cur enim, non magnopere gaudeam, cum videam me diligi, et carum haberi a viro, in primis honesto, florentique omni honore, ac gratia apud optimum, ac sapientissimum principem **). Nam quod significas ***), antea etiam ex scriptis meis †) me cognosse, et benevolentia non parva prosecutum ††) fuisse, hoc proprium est tuae virtutis, atque incredibilis cujusdam bonitatis, quotus enim quisque est hac aetate, qui non conetur potius alienos labores, et ingenii monimenta, vellicare, quam inducat in animum, ipsa probare, et honore saltem verborum tantas hominum vigilias, molestiasque compensare. Neque tamen ita

*) *praeclaris* ed. *Cas.*

**) Significat *Maximilianum* II. Imperat. Rom., quem quantopere etiam *Victorius* sit admiratus, plenissime ostendit oratio in Caesarem mortuum ab ipso habita, v. *Orat. et epist.* p. 60. ed. *Iunct.*

***) *significat* ed. *Cas.*

†) *meis* omisit ed. *Cas.*

††) *persecutum* ed. *Cas.*

ego illa admiror: nec tam stultus sum amator rerum mearum, ut putem oportere ipsa ab omnibus celebrari, sed non loquar nunc de me ipso, sed de vitio, quod flagrat in animis multorum, libenter extenuantium scripta aliorum, suaque tantum in caelum summis laudibus ferentium, quae certe *) causa est, ut caeteri pigriores sint ad labores subeundos. Quam magni autem illi sint, ac superent opinionem eorum omnium, qui nunquam hoc experti sunt, tu optime scis, qui in hac palaestra summa cum dignitate, ac gloria versatus es, ac multum denique in ea desudasti. Quanto autem tenuiora sunt, opera ingenii mei, tanto te majore amore complecti debeo, qui ipsa non despicis, et aequi cuncta bonique facis.

Sed, ut ego, unde discesseram **), revertar, ago maximas gratias apud te *Caselio*, qui hoc pio munere functus est: tibique vir optime non minores, quod facile ipsi credidisti, mihique te totum tua admirabili comitate impulsus tradidisti. Quod autem mihi etiam omnia officia polliceris, quae magna sane a te proficisci exspectarique possent, cum isto loco sis, tantumque valeas gratia, et auctoritate apud Caesarem ***), sum tibi eo nomine valde obligatus, ac si res feret, audacter etiam tua ista eximia benignitate

*) *certa* ed. *Cas.*

**) *decesseram* ed. *Cas.*

***) V. adnot. 3.

utar. Ego vero *), cum tanta de me tibi **) spondere non valeam, quidquid tamen potero, libenter semper tua causa, cumulateque geram. Vale, ac perge me amare. Florentia VIII. Cal. Ian. MDLXVII.

Clarissimo et optimo viro ***Ioanni Cratoni de Craftheim***, medico Caesareo,

Viennae.

## II.

PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI S.

Mitto ad te tandem ***Crato*** optime librum illum meum *), de quo saepe inter nos per litteras locuti sumus: nunc enim ad finem hujus laboris perveni, quem dum ille excuditur, magnum profecto sustinui, ac sane multo majorem quam fuit ille, quem in his meis animadversionibus, vel potius ineptiis, explicandis necessario perpessus sum: tunc enim voluptatem simul aliquam sentiebam ex cogitatione harum rerum: nunc autem negotium mihi fuit cum hominibus agrestibus et quaestus tantum pecuniaeque cupidis. nosti ut arbitror, quod genus hominum hoc sit quod operam suam locat in libris formis exa-

---

*) *vero* omisit ed. *Cas.*

**) *tibi de me* ed. *Cas.*

II.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 101.

*) Loquitur *Victorius* de *Variarum Lectionum XIII.* novis libris. Florent. MDLXVIII., conf. epist. XVII.

randis. Librum vero tu in manus capies, cum eris valde otiosus, si quando hoc tibi per multas magnasque occupationes contingit: nihil enim in eo est, quod honestum aliquem virum: et qui consilio operaque sua ceteros juvare possit, avocare a negotio debeat. hujuscemodi autem res litteris mandantur, ut prosint adolescentibus deditis humanioribus studiis, et in lectione poëtarum toto pectore involutis. sed haec non opus fuit me nunc tangere, cum tibi praeclare cognita sint. ***Rehdigerus*** tuus *) jampridem e peregri-

*) Pertinent huc litterae a *Victorio* ad *Cratonem* datae in *Epist.* ad *German.* a *Caselio* editis, p. 95. hae: *Petrus Victorius S. D. Ioanni Cratoni. Fasciculus ille epistolarum, quem ad me miseras, delatus est ad me IV. id. Octobr. cum ruri essem, illo ipso die, quo Thomas tuus Rehdigerius ad me salutatum venerat. Est enim villa mea viae Romanae propinqua. Cum ipso autem totum paene diem consumpsi, ostendens illi ordines olearum: totumque agrum meum satis eleganter consitum: delector enim mirifice rebus rusticis: sed etiam stirpes nonnullas peregrinas, quas animi causa in illo sevi, ut platanum, pistacium, cythisum* [sic], *rhu* [sic] *obsoniorum: interimque multa philologa: et quae pertinerent ad studia bonarum artium: tendimus etiam retia turdis, quorum magna vis ipsis diebus, ut natura ejus avis est, in haec nostra loca trans mare advolarat, cepimusque non paucos. Libenter autem ille mihi visus est illi aucupio adesse. Omni igitur genere sermonis, et quibuscumque praeterea potui muneribus, atque ipse passus est, studui ipsi placere. Filius vero meus, qui in urbe erat, cum Rehdigerius venit, et ipse ante operam illi dederat, et monstrarat praeclara quaedam, quae cuncti advenae, politi homines, qui huc veniunt, visere solent. Cum autem ille in sermone mihi indicasset, se Neapolin etiam accessurum, ne illuc plane hospes veniret, scripsi ad amicum summum meum, qui illic vivit, honestum et eruditum virum, mandavique, ut Rehdige-*

variis temporibus, honesti et eruditi viri, qui mihi idem, quod tu, consilium dederunt, ut conficerem scilicet volumen latinarum mearum epistolarum: atque ederem: quare statui parere vestrae voluntati: hac igitur aestate in eam curam incumbam *). Quod mihi narrasti, ***Sambucum*** **) lectione mei libri se oblectare, audivi libenter. exemplar, quod ad eum miseram, non periisse in itinere ***), de quo non parum sollicitus †) eram: neque enim certo homini: et qui ipsum visurus esset, perferendum dederam, nisi forte tu illi tuum commodasti. Volo ut mihi significes aliquid diligenter de ***Caselii*** invaletudine: torqueor enim magnopere hoc casu ipsius: pauci namque sunt, quos aeque atque illum diligam. Nihil aliud habeo, quod ad te nunc scribam. tantum praeterea rogabo, ***Crato*** humanissime, ut me ames et istam eximiam voluntatem erga ho-

---

*) Haud stetit promissis aliquoties repetitis, uti Epist. VIII. IX.: quanquam enim extrema senectute Latinarum orationum et epistolarum collectionem inchoavit, ipse tamen non absolvit. Post avi mortem orationes XIV. et epistolarum libros X. edidit *Franc. Victorius* Florentiae apud *Iunctas*, MDLXXXVI.

**) *Io. Sambucus*, natus MDXXXI., mortuus MDLXXXIV., clarissimus sui aevi medicus, philologus et historicus, *Cratonis* amicus, *Saxl onomast.* T. III. p. 318.

***) Deest verbum, quod ex proxime praecedentibus quodammodo obversatum esse videtur animo *Victorii.* Ceterum Variar. Lect. liber non pervenerat ad *Sambucum*, ipso teste in *epist. Cl. Ital. et Germ.* lib. II, 6. T. II. p. 20. *Bandin.*

†) *solicitus* ed. *Cas.*

norem meum, in quam sponte tua ingressus es, retineas. Vale. Florentia. XIV. Cal. April. CIↃIↃLXVIII. *).

Clariss. viro et summo medico ***Ioanni Cratoni***, archiatro ***Maximiliani.***

IV.

PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI, ARCHIATRO CAESARIS SAL.

Singularis tua humanitas ***Crato***, mihi ex tuis litteris perspecta ac cognita: et invitatio liberalis, qua usus in ipsis es, ut uterer gratia *) et auctoritate ista, qua flores apud optimum et sapientissimum principem **), in omnibus meis rebus, fecit ut auderem tibi aliquid oneris imponere: cum enim ingenio talis sim, ut non facile abutar benignitate amicorum: nec levi quaque de causa adduci possim, ut ipsis molestus sim, idem cum major aliqua necessitas urget, quae honesta sit, non vereor confugere ad illos et petere ut auxilio sint, ut sane mihi usu venit hoc tempore, non in privata mea re, sed publica: totum autem tibi

---

*) *CIↃIↃLXIX.* **ed.** *Cas.*

IV.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* **Vol. VIII. Fol. 105. — Et haec publici juris facta est inter Epist.** *P. Victorii* **ad** *Germ.* **a** *Caselio* **editas, p. 84. repet. Francof. p. 90.**

*) *et gratia et auct.* **ed.** *Cas.*

**) **conf. Epist. I. adnot. 3.**

hunc veterem nostrum honorem reip. nostrae: ductorique ipsius, optimo atque ornatissimo, eripi jure ac legibus non posse *), quod tu etiam, si volueris, leges. Vale. Florentia. V. non. maias. MDLXVIII.

Optimo viro ac summo medico, ***Ioanni Cratoni***, archiatro ***Maximiliani.***

## V.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI, ARCHIATRO CAESARIS SAL.

Et hic quoque probus adolescens ***Crato*** optime, splendidusque eques, ***Belisarius*** nomine *),

---

*) Nunquam lucem adspexisse videntur commentarii hi politici: haec certe de iis habet *Bandin. vit. Vict.* pag. LIV. *Victorii opusculum, quod exstat in Bibliotheca Magliabechiana hunc prae se fert titulum: De maxima dignitate Cosmi Medicis, Ducis reip. Florentinorum, ac senensium, qua demonstratur, ipsum vincere in hoc certamine honoris aemulum ipsius Alphonsum Estensem, Ducem Ferrariensium. In fine haec leguntur: Ego P. Victorius, Patricius Florentinus, et Senatorii Ordinis, auratae quoque militiae eques, Comes item Palatinus manu propria subscripsi, et obsignavi. Alii quoque Germaniae, Galliae, atque Italiae praestantissimi juris consulti Magni Ducis causam propugnarunt, ut videre est in vol. Bibl. Magliab. cl. XXIX.*

V.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 107. — Et haec epistola publicata est in Epist. *P. Victorii* ad Germ. a *Caselio* editis, p. 86. repet. Francof. p. 92.

*) Est hic *Belisarius Vintha* sive *Vinta*, *Antenorei* in legatione Viennensi socius et aeque dilectus *Victorio*, de quo conf.

valde a me diligitur, qui istuc a duce nostro eadem de causa missus est, id est ut causam, quae ipsum valde solicitat *) studio diligentiaque sua adjuvet, una cum oratore, quem tibi altera epistola commendavi, quare peto a te diligenter, ut hunc quoque comitate tua complectare: et quacunque re potes, ornes, erit hoc mihi vehementer gratum: nec mihi tantum, verum etiam duci ipsi nostro, qui si audiet dignitatem suam tibi curae fuisse **), multum te amabit: et omni etiam re, qua poterit, officium istud tuum compensabit. Patere igitur tibi a me hoc oneris imponi: et honorem florentissimi principis totiusque nostrae gentis, fidei atque humanitati tuae commendari. Possem ego tibi accurate multa narrare, quae me

---

Cl. Ital. et Germ. epist. lib. II, 6. 25. T. II. p. 20. 62. *Vinthae* est epistolium ad *Victorium* eodem die scriptum, quo hoc ad *Cratonem*, ibid. lib. II, 5. dicitque inter alia: *Quod me, quae tua est humanitas, honorificentissime, amantissimeque Ioanni Cratoni commendasti, ingentes ago tibi gratias, tantoque sum devinctus tuo in me amoris, et studii officio, ut nemini sane plus debeam; amplissimum enim est, quod tuo judicio, et testimonio me adsequutum puto, et non parvum fructum tuae commendationis me ex eo viro laturum confido, qui, quum complures alii quoque Germani, honorati quidem illi, et principes homines singulari probitati, atque doctrinae tuae plurimum tribuant, te praecipue diligere, colere, atque observare videtur, et apud Caesarem est gratiosus, et in omnes, ut audio, humanissimus.* Supremum diem obiit *Vinthd* anno MDCXIII., aetatis annum septuagesimum et secundum agens, *R. Galuzzi istor. del Granduc. di Tosc.* T. III. p. 337.

*) *sollicitat* ed. *Cas.*

**) *fuisse curae* ed. *Cas.*

movent, ut pro quaestione hac tantopere laborem, sed si librum, quem scripsi *) in manus ceperis, omnia facile cognosces ac vera prorsus esse judicabis. Vale et mihi audacter aliquid impera, in quo tibi aliquo modo prodesse possim, cujus rei, ut debeo, ac nisi fallor, quotidie magis debebo **), mirifice cupidus sum. Vale. Florentia V. non. Mai. MDLXVIII.

Optimo viro ac summo medico, ***Ioanni Cratoni***, archiatro ***Maximiliani***.

## VI.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Fecisti tu quidem, ***Crato***, quod ego maxime volebam, ac libenter quidem cumulateque fecisti: nunc enim demum *) respondeo tuis litteris, quas XVI. C. Quinct. dedisti, quare ago tibi gratias immortales, ac semper dum vivam, istius tuae humanitatis memor ero: utinam compensare aliquo facto ipsam possem: rationemque inire, qua animo meo satisfacerem, cupido vehementer

---

*) V. epist. IV. adnot. 7.

**) *debeo* ed. *Cas.*

VI.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 109. — Non minus haec jam excusa est in Epist. *P. Victorii* ad *Germ.* a *Caselio* editis, p. 92. repet. Francof. p. 98.

*) *denuo* ed. *Cas.*

se tibi probandi ac par pro pari, quod requirit officium boni viri, reddendi, certe si facultatem aliquam ejus rei aliquando nactus ero, non dimittam: ac toto animo voluntati atque honori tuo serviam, sed ut haec relinquam, audivi cum magna mea voluptate judicium tibi meum probari: testimoniumque quod dedi apud te duobus nostris hominibus *), qui missi sunt istuc a duce nostrae reipublicae, de non vulgaribus ipsorum virtutibus, verum a te existimari. Tu vero **) perges quacumque ratione honeste facere poteris, eos juvare: et amore, benevolentiaque tua singulari prosequi: erit id mihi mirum in modum gratum. Verum tibi ***Caselius*** narravit, me in manibus habere novos quosdam meos libros variarum lectionum ***), quos edere cuperem, sed negotium hoc valde lentum fuit, nec tam cito quam optabam, culpa impressorum, res haec †) initium habuit, sed tamen aliquando excudi coepti sunt, et opus jam ad dimidiam partem perductum. Statim igitur ut absolutum erit, volumen ejus ad te mittam, postquam tu quoque non omni-

---

*) *Ludovico Antenoreo*, Volaterrae Episcopo, et *Belisario Vinthae*, legatis Florentinis, de quibus v. Epist. IV. et V.

**) *Tu ergo* ed. *Cas.*

***) Hi libri aut nunquam prodierunt, nam post duodequadragesimum exstant nulli aut de nova novorum XIII. librorum editione intelligendus locus: haec vero anno sequente MDLXIX. apud *Iunctas* vulgata est.

†) *haec res* ed. *Cas.*

no despicis *) genus hoc scriptionum vel, ut veriore nomine ipsas appellem, has meas ineptias. *Thomam Redigerum* **), civem tuum, quem mihi commendas, cum huc veniet, videbo libenter, et quibuscumque potero officiis prosequar: cum enim hujus animi sim erga omnes vestros homines ***), cujus meae praeclarae voluntatis in ipsos, multos testes habeo, quanto magis esse debeo in illum, quem tibi tam carum acceptumque esse video. Vale. Florentia. XIX. Cal. Sept. MDLXVIII.

Optimo viro summoque medico *Ioanni Cratoni*, archiatro Caesaris

Viennae.

## VII.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Accepi litteras tuas XIII. die Octobr. datas, quibus ostendis cupere te scire quid de illo fasciculo litterarum factum sit, quem ad me misisti, ut *Redigerio* redderem. Significaveram jam antea tibi diligenter, ut debebam, me mandata illa

*) *despicis omnino* ed. *Cas.*

**) *Redigerium* ed. *Cas.* De *Thom. Rehdigero* adeas vitam ejus ab *Alb. Wachlero* patrio sermone enarratam MDCCCXXVIII. praecipue p. 14. et Epist. II. adnot. 2. 3. XVII. XVIII.

***) v. Epist. XV. adnot. 9.

VII.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 114.

tua executum fuisse: ac sine ullo quidem labore, quod optabas effecisse: paene enim mecum erat *Redigerius* *), utinam sine hoc paene tibi rem narrare potuissem, sed non concessit hoc mihi maluitque in diversorio cenare, paene igitur mecum erat, cum ad me ex urbe (ruri enim tunc eram) **) fasciculus missus est: multas certe horas una consumpseramus in sermonibus de studiis litterarum et aliis rebus, nobili et polito viro dignis, reliquis etiam omnibus officiis, propriis humanitatis, functus sum erga illum, quae potui: et ipse non recusavit, quae tamen nunc non repetam, quia spero epistolam meam ad te perlatam esse ***). Quod videris vereri, ne mihi gravis sis his tuis litteris, miror hoc tibi in mentem venisse: ac nescio quem tu me hominem putes. Noli igitur amplius hujuscemodi quicquam cogitare: atque exploratum habeto tuas mihi semper gratissimas fore ac quanto crebriores longioresque fuerint, tanto suaviores: nihil enim magis cupio, quam servire commodis et honori amicorum. Doleo autem magnopere gravibus malis, quae nunc terram istam premunt: optoque ut terminus aliquis ipsis imponatur, sine clade atque interitu

---

*) Conf. Epist. II. adnot. 2. 3. VI. adnot. 7.

**) In agro suo *Cassianensi*, v. Epist. II. adnot. 2. et *Bandin. vit. Vict.* p. XIX.

***) Ea ipsa est epistola, quam integram in adnot. 2. ad epist. II. p. 4. 5. exhibuimus.

ipsius, de quo tu non sine causa times. Vale. Florentia. non. Novembr. MDLXVIII.

Mag$^{co}$ viro Dno *Ioanni Cratoni*, Caesaris medico primario

Viennae.

## VIII.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Multae magnaeque occupationes meae causa fuerunt ut tibi purgandus diligenter sim: fateor enim me culpam non parvam admisisse, qui veteribus tuis humanissimis litteris non statim responderim: nec tamen cessavi facere quod rogabas: illicoque epistolam tuam misi ad quem mandaras, in quo si lapsus essem, magis (ut opinor) peccassem: negligentia enim illa mea aliquid majoris incommodi parere potuisset. Volumen epistolarum mearum *) nondum typographo dedi, ut ostenderam me facturum: antequam enim eas divulgem, volo ipsas accurate legere: sunt enim non paucae, in quibus dissero de locis nonnullis obscuris antiquorum scriptorum. tempus autem idoneum non habeo hujus rei faciendae. hortatu namque amicorum suscepi magnum onus et quod superat meas vires: vereorque non sine causa ne

---

VIII.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 113.

*) V. quae diximus ad Epist. III. adnot. 2.

me opprimat. toto autem animo nunc in eo occupatus sum, ut, quod intelligo me non facile doctrina posse praestare, videam si possim ullo pacto diligentia et assiduitate conficere: notum autem tibi est, ut perspexi, quod significo. cum ad finem perduxero, quod conor, et istud et alia nonnulla, quae instituta habeo, edam. non sinit autem magnitudo hujus operis mentem me alio convertere: volo enim hoc esse quasi ἐγγήραμα *) statuique ab omni alia cura me hoc tempore sejungere.

In συναγωγῇ vero illa mea latinarum litterarum erit testimonium certum benevolentiae nostrae **). dicerem perpetuum, si sperarem scripta mea diutius victura. utinam etiam conjunctionem nostrorum animorum apte οἰκείωςque [*sic*] amicitiam appellare possem. sed spatium magnum terrarum, quo separati sumus, hoc non patitur: quaecumque tamen a vero fidoque amico officia exspectari possunt, in me numquam desiderabis: nihil enim malo quam probari honestis et eruditis viris et ab iisdem diligi: et hujus inprimis rei cupiditate flagro: sibi habeant alii divitias, sibi

---

*) Respexisse videtur *Victorius* *Cic. epist.* ad *Att.* XII, 25. et 30.

**) Mirandum sane *Victorium*, quod hic et epist. IX. et X. pollicetur, non explesse: nullum enim nunc amicitiae monumentum exstat in Orat. et Epist. post ejus mortem editis, sive *Victorii* ipsius mors praepediverit, sive *Cratonis*, qui paullo ante eodem anno defunctus erat.

corporis voluptates, sibi populares honores. Tu igitur valeto et me (ut jam pridem fecisti) amato. Vale. Florentia. XV. Cal. Iun. CIↃIↃLXX.

Clariss. viro *Ioanni Cratoni a Craftheim*, archiatro *Maximi*.

In aulam Caesaris.

## IX.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Multas tuas accepi epistolas breves, quas ad me scripsisti, nactus occasionem ex amicis: quibus, aut litteras tuas a me mitti velles, aut qui tibi onus imponerent, ut suas ad me mitteres. non debes autem dubitare quin statim in mittendis epistolis, quibus mandas, officio fungar: nullus enim hic labor est, ac si magnus etiam foret, molestus mihi nullam in partem esset: cupio enim inservire tuis commodis, capioque voluptatem non parvam, cum omni re, qua possum, praesto sum probis eruditisque hominibus. abjice igitur hunc metum inanem ex animo tuo: vereri enim videris ne mihi molestus sis, cum hujuscemodi levia munera injungis. Quod me hortaris ut latinas epistolas meas colligam atque edam, impedior hoc tempore id facere occupationibus non parvis meis. cum autem onus, quo premor deposuero, quod

IX.
*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 115.

erit (ut spero) ante quam annus transeat, partem aliquam meorum studiorum in istam curam conferam *): sunt autem alii quoque honesti viri, qui mihi auctores sunt hujus rei, urgentque quantum possunt, ut in hoc opus incumbam, exstabit autem in illis testimonium certum amoris, quo te prosequor et admirationis non vulgaris doctrinae et humanitatis tuae **). Erit cum hac epistola mea ad te, epistola altera ad ***Caselium*** ***),

*) De hac epistolarum sylloge v. ad Epist. III. adnot. 2.

**) Hoc amoris testimonium *Cratoni* spoponderat itidem Epist. VIII., non perfecit.

***) Legitur epistola haec Prid. Non. Nov. MDLXX. ad *Caselium* data inter Epist. *P. Victorii* ad *Germ.* p. 115. repet. Francof. p. 123.

---

Quum nobis propositum sit omnes, quotquot exstent, *Victorii* ad *Cratonem* epistolas hoc volumine comprehendere, quod tanto facilius fieri poterat, quum duae tantum nobis innotuerint, quae abessent a collectione *Rehdigerana*, temporum ordinem sequuturi alteram hoc loco dabimus: alteram enim supra adnot. 2. ad Epist. II. deprompsimus: est vero petita e *Victorii* Epist. ad *Germ.* a *Caselio* editis, p. 117. repet. Francof. p. 124.

PETRVS VICTORIVS S. D. IOANNI CRATONI.

*Scripsi ad te, vir optime meique amantissime, paucis antea diebus: cum tamen Ioachimus Bassevitius, cum quo mihi magna consuetudo fuit (vixit enim Florentiae plures annos, dans operam politioribus litteris) istac iter facturus sit, volui ipsi quoque ad te litteras dare. is autem te, si scire volueris, de omni statu meo certiorem faciet. Sed etiam, cum idem Senis nostris diu manserit, juris civilis perdiscendi studio inflammatus (putavit enim oportere se quoque domum redire ornatum scientia hac utili magnopere vitae ac rebus gerendis accommodata)*

et fasciculus itidem ad **Sambucum**, si salvus ad vos, ut confido pervenerit. Tu vero me ama, et compertum habeto me tibi amicum esse ac valde studiosum laudis ac dignitatis tuae, quam cupio cotidie augeri, tanta certe virtus et fides hoc maxime requirere ac postulare videtur. Vale. Florentia. V. Cal. Novembr. CIↃIↃLXX.

Clarissimo viro ***Ioanni Cratoni***, medico intimo ac consiliario Caesaris.

## X.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Pusilla epistola tua, sed suavis et amoris plena, quam dedisti IX. Cal. Nov. fuit mihi perjucunda, et suo nomine, et quia secum habebat litteras ***Caselii*** nostri, quem scis, quam diligam. statim autem respondi ambobus vobis *). rogo te ut cures diligenter suam ad illum perferendam:

---

*de Nericio tuo multa narrare poterit. Fuit enim illic valde ipsi familiaris. Quod autem praeter haec multum valet, inprimisque me impulit, ut tibi illum traderem, omnibus de rebus dignus est amicitia tua, cum sit probus juvenis, suavissimisque moribus praeditus, et omni eleganti doctrina decoratus. Amabis igitur hominem, et, si qua re poteris, ipsum juvabis: spero te ex congressu colloquioque ipsius, voluptatis non parum capturum. Vale. Florentia. Prid. Non. Novembr. MDLXX.*

X.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 117.

*) *Victorii* responsio ad *Caselium* servata nobis est in Epist. ad Germ. p. 118. repet. Francof. p. 125.

interest enim mea cito ipsum scire nonnulla, quae fasciculo isto continentur.

*Bellisarius* *), probus et eruditus adolescens jam diu huc venit: reversusque, ut arbitror, ad vos fuisset, nisi hac aestate graviter aegrotasset. *Botuitum* tuum **) saepe vidi: contigit enim ipsi non semel, ut huc veniret variis de causis, ac semper ipsum, quibuscunque rebus potui, juvi: in qua voluntate perseverabo, putans me tibi quoque, cum hominem complectar, gratum facturum. Ego valeo et toto animo corporeque occupatus sum in illo magno opere, quod institui, ac paene ad exitum perduxi ***). quod si perpolire potuero, statim in alteram illam curam incumbam, de qua saepe ad me scripsisti. quod etiam monimentum ingenii mei ornatum a me studiose, antequam foras prodeat, testis erit,

---

*) Conf. Epist. V. adnot. 1.

**) *Botuitum* quem hic dicit, idem est, qui *Nericius* in *P. Victorii* epist. ad *Germ.* p. 117. repet. Francof. p. 125. Etiam *Botuitus Nericius* ex magno erat numero discipulorum *Victorii*, *Bandin. vit. Vict.* pag. XXX. frequens ejus fit mentio in epistolis nondum editis *Caselii* ad *Cratonem*, quae sexto thesauri *Rehdigerani* volumini insunt, et ejusdem ad *Victorium* lib. II, 17. p. 52. et 21. p. 55. *Bandin.*

***) Magnum hoc, quod respicit opus, haud dubie sunt *Commentarii in octo libros Aristotelis de optimo statu civitatis.* Florent. ap. *Iunct.* MDLXXVI. primum scilicet post epistolam nostram hoc nomine dignissimum, conf. Epist. nostras, XII. XIII. XIV. XV. et epist. ad *Germ.* a *Caselio* editas, p. 99. repet. Francof. p. 106.

dum manebit, mutui nostri amoris et meae erga te observantiae *). Vale. Florentia. IX. Cal. Decembr. CIↃIↃLXXI.

Excell^mo^ viro ac summo medico *Ioanni Cratoni*, archiatro et consiliario Caesaris Viennae.

## XI.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Noli putare *Crato* me non valde atque ex animo te diligere, quia numquam te aspexerim, neque suavitate ingenii tui coram frui potuerim: amo enim eruditionem tuam, et voluntatem erga me singularem: quam benevolentiam non corrumpit distantia locorum. illam autem perspexisse mihi videor et testimoniis communium amicorum, et aliis multis hujus rei signis non malis. quomodo autem possum non diligere et toto animo complecti eum, qui et me vehementer amat: et propter multas magnasque ingenii sui dotes dignus est qui ab omnibus, probis et honestis viris, ametur? hanc igitur voluntatem meam promptissimam erga commoda et dignitatem tuam, quibuscunque rebus potero, semper et tibi et ce-

*) Sunt orationes et epistolae Latinae, v. Epist. III. adnot. 2. et VIII. adnot. 3.

XI.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 119.

teris omnibus cupidis bonarum artium declarabo: nec patiar te ulla in re studium officiumque meum desiderare. neque tamen calamum sumpsi, ut tibi nunc hoc praedicarem. quod satis certum et exploratum in animo tuo esse confido, sed cum facultatem nactus essem ad te litteras dandi certo homini et probo, qui te visurus esset, nolui quin ad te scriberem omittere. nullum autem argumentum aliud habebam. is autem est ***Paulus Seghedeus*** *), natione Pannonius, missus istuc a reip. nostrae magno duce, cujus domi vivit, utilitatibus ipsius fideliter serviens. a me quoque homo non alienus est. quare, si ope tua ulla in re egebit, gratum mihi facies, si ei non defueris. Vale, meque ama, ut soles. Florentia. III. Id. Sept. CIↃIↃLXXII.

Optimo viro ***Ioanni Cratoni***, medico et consiliario Caesaris. Viennae.

## XII.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Non arbitror vir optime te e genere hominum eorum esse, qui leves etiam quasdam culpas

*) *Seghedei* meminit praeterea epist. XIII., quem eodem hoc itinere Viennensi etiam cum *Sambuco* convenisse hujus docent litterae ad *Victorium:* haec enim scribit VI. Id. Dec. MDLXXII.: *Paulo Segedo, tuarum laudum praeclaro encomiasti,* [sic] *tua quoque causa, quod potui, praesto fui.* Lib. II, 27. p. 65. *Band.*

XII. *Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 121.

in amicis aequo animo non ferunt, sed stomachantur, atque eos vehementer accusant, quamvis etiam nulla malitia, id quod fecere, commissum sit. quare confido te mihi ignoturum, et longum silentium meum in bonam partem accepturum. peccavi sane, qui statim tuis amantissimis litteris, ut debebam, non responderim, praesertim cum illis mihi commendaris duos nobiles et probos adolescentes: et, ut in amicitiam meam ipsos reciperem, rogaris: dignos quidem illos propter eximiam indolem, et suaves mores, qui ab omnibus sine ullius opera diligantur. me tamen in posteriore hoc voluntati tuae non defuisse, sed quacunque re potuerim morem illis gessisse, ipsi, ut puto, tibi significarunt. sed etiam postquam Pisas profecti sunt, ut et veterem illam urbem, et celebre optimarum artium gymnasium viserent, praesto semper ipsis fuit nepos meus *), qui illic juri civili operam dat; et cuncta

*) Nepotem intelligit *Franciscum Victorium*, postea juris consultum, qui post avi mortem orationes ejus et epistolas edendas curavit, Epist. II, 28. p. 66. 4. p. 95. 66. p. 142. 75. p. 157. III, 30. p. 245. Duo vero adolescentes nobiles et probi qui fuerint, in tanta juvenum multitudine *Victorii* hospitium certatim quasi colentium, vix certo dicas. Vero tamen est simillimum, alterum eorum esse *Hugonem Vleremanum Blotium*, *Belgam*, *juris legitimi doctorem*, quod suadent duae ejus ad *Victorium* epistolae in sylloge *Bandiniana*, lib. II, 28. et 36. anno MDLXXIII. et MDLXXV. utraque Pisis scripta. Ex harum posteriore praeterea edocemur, et a *Cratone* eum fuisse commendatum *Victorio*, et *Pisis* arcta amicitia junctum cum *Francisco* nepote: prior epistola una

studia ipsorum honestaque desideria fovit. quod autem ut necesse nunc haberem me tibi purgare praestitit, fuit quod toto animo versor in vigiliis illis meis *), quas nosti, perpoliendis, ut possim aliquando grave hoc onus, et quod superat vires meas, et aetatem satis longam **), deponere. neque enim mihi concedit senectus, etsi adhuc non valde molesta, ut procrastinem, praesertim cum instituta habeam alia quaedam, quae si absolvero, antequam discedam e vita, non ingrata, ut spero, neque inutilia studiosis humaniorum litterarum erunt ***). Sed his nunc relictis gratum mihi facies, si curabis epistolam, inclusam

---

cum *Io. Guilelmo Svendio, libero Barone Hohenlantsbergio*, et *Io. Listhio*, *Cancellarii reginae Vngariae apud Imper. Rom. filio*, conscripta est, quorum unus adolescentium illorum duorum alter fuisse videtur. Ceterum tres hi juvenes a *Victorio* petunt, ut imaginem suam, quam Florentiae in atrio inferiore adfabre depictam et vivis coloribus elegantissime illustratam vidissent, alicui pictori suo ipsorum aere in tabula modica depingendam concedere velit, ut quaecunque tandem se terrae habuerint, in hac memoriam *Victorii* jucundissimam recolere, in hac eum amplecti absentem queant. Studio *Blotii* haud ita multo post a *Cornelio Cort.* in aere incisa est, *Bandin. vit. Victor.* p. LXIII. et epist. III, 21. Ceterum *Blotium* postea a bibliotheca Caesaris fuisse testatur *Foppens. biblioth. Belgic.* P. 1. p. 491. testantur praeterea epistolae duae anni MDLXXVII. *Vienna ex bibliotheca Caesarea* Vratislaviam ad *Cratonem* missae.

*) Commentarii in *Aristotelis Politica*, Epist. X. adnot. 4.

**) Agebat, dum haec scriberet, annum septuagesimum quartum.

***) Orationes et epistolae Latinae, Epist. III. adnot. 2. et IX. adnot. 1.

in hac, *Caselio* nostro reddendam. Vale. Florentia. Prid. Non. Mart. CIↃIↃLXXIV.

Optimo viro *Ioanni Cratoni*, summo medico, ac consiliario Caesaris.

Viennae.

## XIII.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Cum veniat istuc *Paulus* ille *), quem ego vobis olim commendavi, et quem vos opera studioque vestro tunc ornastis, compotemque sui magni desiderii fecistis, non potui non ei litterarum aliquid ad te dare: quibus significarem me valere, et in opus meum arduum **), quod scis, toto animo incumbere. Multo prius arbitror ad vos tristem nuntium perlatum esse de obitu magni nostri ducis ***), qui sane, quemadmodum nunc, cum penitus animam efflavit, ita non male omnino mortuus esse pluribus antea mensibus dici potuisset, cum ob gravem morbum voce et usu paene omnium membrorum captus esset, ac saepe etiam novis temptationibus pre-

---

XIII.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 123.

*) Est *Paulus* procul dubio *Seghedeus*, v. epist. XI. adnot. 1.

**) Haec quoque de Commentariis in *Aristotelis Politica* dicta sunt, v. epist. X. adnot. 4.

***) *Cosmus Medices*, Magnus Etruriae Dux, obiit XI. Cal. Maias anni MDLXXIV.

meretur: quae tandem quidquid restabat spiritus ei eripuerunt. extremum autem hoc vitae tempus ille traduxit non sine aliqua laude: nam et patienter tulit atrocem vim morbi, et cum reliqua vita valde liberalis fuerit, nunc in hac ipsa animi magnitudine semet ipsum vicit. ipse certe omne officium meum ei praebui, et dum vixit cotidie paene praesens adfui cum pranderet: conabar enim quantum poteram tristitiam ejus minuere. delectabatur autem mirifice memoria rerum, a clarissimis viris gestarum: et vocibus etiam eorundem plenis prudentiae. nunc quoque in inferiis tanti principis, quae sumptuosae, et magnificae parantur, de magnis verisque laudibus ipsius orationem habebo *): cujus exemplar, statim ut edetur, ad te mittam. Tu vero *Victorium* tuum amabis, atque eum tibi deditum esse, exploratum habebis. Vale. Florentia. Calend. Mai. CIↃIↃLXXIV.

Clariss$^{o}$ viro *Ioanni Cratoni*, summo medico, et consiliario Caesaris.

Viennae.

---

*) Pronunciavit *Victorius* epitaphium disertissimum in aede *Divi Laurentii* XVI. Cal. Iunias anni MDLXXIV. Oratio eodem anno et mense typis est mandata in officina *Bartol. Sermartelli*, conf. *Epist.* ad *Germ.* a *Caselio* editas, p. 125. iterum evulgata est in *Victorii orat.* et *epist.* p. 47. sqq. ed. *Iunct.* Italice eam reddidit *Franc. Bocchius*, MDLXXIV.

## XIV.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Haec brevis admodum epistola erit, qua tibi leve onus impono, ut cures fasciculum, inclusum in ea, fideliter mittendum ad *Caselium* nostrum. Ipse valeo, et toto animo et corpore incumbo in editionem meorum in libros *Aristotelis* de optima rep. commentariorum *): sustineoque labores et molestias incredibiles. Tertia pars operis fere jam absoluta est: ante quam tamen ad exitum totum perductum sit, annus paene integer requiritur. Cupio me apud te excusari ob tam longam litterarum intermissionem. spero autem, cum intelligas causam hujus mei silentii, te mihi facile ignoturum: omnis enim temporis erepti huic studio, quod quanti intersit ad existimationem meam vides, rationem mihi diligenter reddendam puto **). Vale. Florentia. XIII. C. Septembr. CIↃIↃLXXV.

Clariss$^{o}$ viro *Ioanni Cratoni*, medico et consiliario Caesaris.

---

XIV.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 125.

*) V. Epist. X. adnot. 4.

**) Neque fefellit senem egregium spes de operis *Aristotelici* pretio ac dignitate concepta. V. *Fabric. Bibl. Graec.* T. III. p. 271. 366. Harl. *Io. Gottl. Schneideri praef.* ad *Aristot. polit.* p. XX.

## XV.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Postremae tuae litterae, illo ipso tempore datae, quo grave vulnus acceperas *), una cum reliquis probis viris et publicae quietis amatoribus, ex interitu optimi imperatoris, sero admodum mihi redditae sunt. ut autem videas mihi tecum in hoc quoque convenisse, ego etiam morte *Maximiliani* valde dolui: audiveram enim eum, ut qui institutus prima sua aetate omnibus ingenuis artibus, toto animo diligere solitum studia litterarum: et qui multum in ipsis profecissent, ornare, atque omni genere benignitatis prosequi. quare cum mihi mandatum esset, ut ἐπιτάφιον λόγον in eum haberem **), libenter suscepi hanc curam: tetigique pro tempore particulam summarum ipsius virtutum; cunctas animi dotes et praeclara facta commemorare non potui: neque enim mihi plane nota erant, et spatium etiam

---

XV.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VI. Fol. 239.

*) *Maximilianus* II. Imperator discessit e vita IV. Id. Oct. MDLXXVI., non eodem anno quo *Cosmus Medices*, ut ait *Bandin. vit. Vict.* p. LXVII., sed biennio post.

**) In exequiis *Maximiliano* Imper. Florentiae in aede Divi Laurentii persolutis publici oratoris munere rursus functus est *Victorius* Prid. Id. Novembr. anni MDLXXVI. Eodem anno impressa est oratio Florentiae in officina *Iunctarum*, repetita in *Victorii orat. et epist.* p. 60. sqq. Italice expressit *Petrus Deius* anno post.

pusillum non sivit, ut accurate colligerem. Quod incommode factum fuisse in curatione ipsius extrema et contra praecepta veterum innuis, non bene intellexi. De lege etiam illa vetere Atheniensium nihil umquam me legisse memini: et praeterea cum quaesiverim de eo e pluribus eruditis hominibus, nihil ab ipsis expiscari potui *). Commentarios meos in *πολιτικὰ* ***Aristotelis***, statim ut editi sunt **), ad te misi, ut voluntati tuae satisfacerem, qui mihi non semel ostenderas te hoc valde cupere. sive incuria igitur, sive parva fide ejus, qui receperat se hoc munere functurum, evenit ut ad te non pervenirent. quare nunc iterum ad te mitto. dedi autem ***Ioanni Albertio*** ***), amico meo summo, qui missus est istuc orator Magni nostri ducis †). gratum igitur mihi

---

*) Neque nobis de vetere illa Atheniensium lege satis constat, quum litterae *Cratonis*, ad quas respondet *Victorius*, periisse videantur: nisi forte legem Atticam respexerit de medicis, aegroti mortem non praestantibus, apud *Antiphontem*, *ὁ μὲν ἰατρὸς οὐ φονεύς ἐστι, ὁ γὰρ νόμος ἀπολύει αὐτόν*, *Tetral.* III. *accus. poster.* 5. p. 40. *Bekk. Wachsmuth. de antiq. Athen.* T. II, 1. p. 269.

**) Commentariorum *Aristotelicorum difficillimum opus* anno MDLXXVI. ad finem perduxerat et emiserat. Vrgebat editionem jam ab anno MDLXIX., v. Epist. X. adnot. 4.

***) Brevem *Io. Albertii* mentionem invenimus apud *Scip. Amiratum*, *histor. Florent.* lib. XXXI. T. III. p. 420.

†) *Franciscus* I. *Medices Cosimum* patrem in regno Etruriae sequutus erat, intercessitque familiaritas non exigua inter eum et *Victorium*. Plures hujus ad *Franciscum* leguntur epistolae in editione *orat.* et *epist. Iuntina*, ipsamque Magno Duci inscripsit.

facies, si quacunque re potueris, ipsum, dignum profecto virum, cui omnes libenter placeant, juvabis. quod spero te facturum ob singularem tuam in me benevolentiam. Praeterea recordor te misisse ad me in quodam fasciculo litterarum tuarum inclusam imaginem meam *), quam amanter curavit exprimendam in aere ***Hubnerus*** **), vir doctissimus, et mei amantissimus.

---

***) Imaginum *Victorii* in aere incisarum elenchum dedit *Bandin. vit. Vict.* p. VIII., enumeratque quinque: ab his tamen omnibus differt ea, de qua hic sermo est.**

****) *Thomas Hubnerus*, Berolinensis, magister fuit *Ioachimi Friderici*, Marchionis Brandeburgensis, ad quem inter *epist.* ad *German.* a *Caselio* editas complures exstant *Victorii*, p. 43. 56. 126. (Francof. p. 46. 60. 134.) Ipse quidem nunquam fuit in Italia, sed *Caselio* intercedente inter eum et *Victorium* mutui officii et litterarum commercium erat ortum. In epistola postrema prid. Id. Dec. MDLXXV. ad *Hubnerum* data ejusdem imaginis mentionem facit *Victorius*: *missa est ad me a Ioanne Cratone imago mea profecta a te, illa quidem eximie facta et a bono artifice expressa: qui tamen in meliore argumento summum ingenium suum exercere debuit.* Pergit tunc: *sed nolo hoc reprehendere, cum a vobis nimis magnis mei amatoribus, exortum sit: in quo etiam partes aliquas fuisse puto Ioachimi Friderici, regis tui, optimi et doctissimi adolescentis, quem tu omni liberali arte perpolisti, reddidistique ceu Phoenix ille Achillem, testimonio summi poetae fertur, oratorem verborum et actorem rerum.* Ipsius *Hubneri epistola* una ad *Cratonem* in *Thesauri epist. Rehdg. Ms.* Vol. II. adservatur, viginti et una ad eundem datae ibidem Vol. IX. Etiam in his aliquoties mentio fit imaginis *Victorii*, primum Berol. XXI. Sept. MDLXXV. *Cum ad te proxime scribam, Petri Victorii imaginem una mittam. Curavi enim eam studio et impensa mea typis aeneis insculpendam, ut in charta exprimi possit et communicari cum pluribus. Qui Victorium viderunt, ad vivum ejus faciem repraesentari testantur. Cum haec scriberem absoluta nondum erat:* tunc Berol. postrid. Cal. [sic] Oct. MDLXXV. *Quod tibi me facturum***

illam unam tunc honoris mei causa dedi Magno nostro duci, qui delectatus est ea vehementer laudavitque amorem egregium vestrae gentis in me *). studui postea istinc eruere exemplar ali-

*superiore epistola receperam, id jam facio. Mitto enim ad te doctissimi et optimi nostri P. Victorii imaginem sic expressam, ut ipsius faciem ad vivum referat, testibus iis omnibus, qui Victorium noverunt familiariter. Consilii autem mei ratio haec est. Cum me sperarem ejus negotii gratia, quod jam tractas, ipsum Ratisbonam venturum, atque omnino vellem propter me ipsum afferre aliquid, quo nonnihil delectareris, in mentem mihi venit de Victorio, ut cujus eruditionem et sapientiam praeclaram ex editis ab illo ingenii sui monumentis perspexisses, atque nisi fallor, admiratus esses, probitatem vero et humanitatem summam jam pridem amares; ejus etiam vultum et os placidum et amabile studio meo adspiceres. Archetypum nostrum, justa magnitudine depictum in tabula linea,* [lignea?] *Franciscus Victorius, Petri nepos, ad Ill. Princ. meum Ioach. Fridericum anno abhinc quinto dono misit: et in hanc quam vides formam redegit pictor egregius, et ipse patria Florentinus, qui Victorium saepissime vidisset: ut quin vera sit, quam mitto, imago minus dubitandum videatur:* denique Berol. XXIII. Octobr. MDXXV. *Gratam tibi fuisse in effigie Victorii mittenda voluntatem meam laetor. Elaboratam fuisse Romae nesciui: alioquin cura et sumptu hoc supersedere poteram: tametsi me adhuc quidem non poenitet. Ab aliquibus enim non ulli notae hominibus, cum quibus effigiem hanc communicaui, gratiam me studio meo iniisse intelligo. Qua re ... Tantum ... clarum me operae pretium fecisse arbitror.* ... de imagine *Victorii.* Eximium *Hubneri* elogium dedit *Leuthinger. Scriptor. de reb. Marchic.* Brandenb. MDCCXXIX. Vol. I. p. 413. *Ioachimus Fridericus jam quartum decimum attigerat aetatis annum, in honestis disciplinis a ... Thoma vero Berlinense, viro sapiente industrioque et in Latina Graeca lingua aeque ac in aliis artibus ... exercitatus ... ipsi pater praeceptorem asciverat ... us.*

*) De insigni amore *Victorii* ... ipse VI. et epist. ad Germ. p. ... adv. T. III. p. 60. *Freytag.* ... doct.

quod ipsius, usus opera mercatorum nostrorum, qui responderunt, se nullibi invenire potuisse. quod magnopere miratus sum. morem mihi gesseris, si renovabis munus illud: valde enim pertinet ad dignitatem meam, intelligi ab omnibus me carum esse vestrae honestae nationi, et omni genere laudis abundanti. Vale. Florentia III. non. Quinct. CIↃIↃLXXVII.

Clariss. viro dno *Ioanni Cratoni*, medico et consiliario Caesaris.

Viennae.

## XVI.

## PETRVS VICTORIVS IOANNI CRATONI SAL.

Accepi epistolam tuam *Crato* sex. C. Febr. Praga datam, quae mihi fuit periucunda: perspexi enim ex ea, veterem tuum in me magnum amorem nullam in partem diminutum esse tam longo temporis spatio, quo ad te nunquam scripsi: neque tamen id a me commissum est, quod ceperit me oblivio singularis tuae benevolentiae erga me, sed omni hoc tempore vixi in maximis molestiis: acerbisque casibus conflictatus fui, quae mala nescio quomodo sustinere ac tolerare potuerim, omnes certe, qui me cognoscunt, non sine causa magnopere mirantur. remedium autem

---

XVI.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. VIII. Fol. 126.

unum fuit tantorum fortunae vulnerum, quod me totum in litteras conjeci, expertusque sum verum esse, quod a sapientibus doctisque viris memoriae proditum est, in aliis multis bonis, quae secum ferunt studia bonarum artium, portum ipsas esse, solaciumque rerum adversarum. Sed haec omittamus, quae libenter, si fieri posset, penitus ex animo delerem. Narrabo tibi potius in quo operam tuam desidero, ut serviam voluntati amici hominis, quem valde diligo. Vetus quidam auditor meus *), civis noster, et honesto sane loco natus, cum studii multum posuisset in humanioribus litteris, totum se postea dedit juri civili perdiscendo, in quo cum multum profecisset, exerceri postea voluit in eo aliis tradendo: pluresque annos publice in Pisano gymnasio ipsum docuit, laudemque inde aliquam consecutus est, is cuperet, si honestum locum apud vos inveniret, in eo interpretando versari, in aliqua istarum urbium in qua haec studia florent, potissimum autem in Ingolstadiensi, atque hoc quia audivit isthic morem potius esse accurate exponere responsa antiquorum jurisconsultorum, veteresque leges quam in quaestionibus ac saepe etiam sophismasi doctores illarum totos occupari, quam viam rationemque ille amavit ac veriorem esse putat. Rogo te ut suscipias aliquam curam de hac re. Scripsi etiam de hoc iis ipsis diebus ad

---

*) Nomen viri ignoratur.

*Sambucum* nostrum. Vale. Florentia. Idib. Febr. CIↃIↃLXXIX.

Clarissimo viro D. *Ioanni Cratoni a Craftheim*, medico et consiliario Caesaris.

XVII.

PETRVS VICTORIVS THOMAE REDIGERIO S.

Audivi libenter *Redigeri* optime, te nunc in vicina nostrae urbe morari, atque istic studiis tuis diligenter operam dare: spero enim fore ut aliquando tibi aliqua in re ex hoc loco commodare possim, quod si contigerit, invenies me promptum paratumque tuis utilitatibus *). noli igitur dubitare, quin utare studio atque ope mea in omni re quae tibi prodesse possit. Si scribere etiam ad *Cratonem* hoc tempore volueris, ego facultatem habeo magnam litteras ad eum tuto celeriterque mittendi. quare possum etiam in hac re te aliquantulum iuvare: demumque, ne longior sim, ero semper praesto, quacumque ratione potero, tuae voluntati. Mitto autem nunc ad te librum meum **), qui modo est editus. eum tu,

---

XVII.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. II. Fol. 88.

*) *Rehdigerum Victorio* per litteras XVI. Calend. Quinctil. MDLXVII. datas commendaverat *Crato*, *P. Victor. epist.* ad *Germ.* a *Caselio* edit., p. 92. Francof. p. 98., conf. quae monuimus ad harum epist. sextam.

**) *Variarum lectionum* novi libri XIII., primum anno MDLXVIII. ineunte, iterum MDLXIX. editi.

cum feriatus eris, et gravioribus litteris solutus in manus aliquando capies; hoc enim profecto ille boni in se habet, quod paucis singulis capitibus id quod tradere et admonere vult, explicat: potestque qui legit, ubi ipsi commodum est, finem facere suae lectionis: varietate enim quoque retinere animum ipsius conatur, aut saltem reficere et fastidio, si quod forte ex illis rebus exortum esset, liberare: quanta enim vis sit novitatis nosti. cum ea etiam quae valde jucunda sunt, soleant saepe mortales satiare: ne dum hae meae satis tenues: nec valde sua vi suaves animadversiones. Sed de hoc tecum non amplius disputabo. munusculum igitur meum qualecunque est ab optimo animo profectum, et tui honoris cupido, laeto animo accipies, et sodales istos tuos, probos et eruditos juvenes *), meis verbis salutabis. Vale.

**Florentia. VII. id. Ian. MDLXVIII. **).**

Al molto mag$^{co}$ Sg m. *Tommaso Redigero*, Sg suo oss$^{mo}$

**a Siena.**

---

*) Qui hi fuerint juvenes, ambigitur: *Bassevitius* enim tum jam redierat in patriam, *Neodicus* vero Patavii remanserat, v. *Alb. Wachleri vita Rehd.* p. 14.

**) Errat *Victorius* in anno: debet haec epistola scripta esse Ian. MDLXIX., conf. epist. II. adnot. 3. et epist. XVIII. adnot. 8.

## XVIII.

## PETRVS VICTORIVS THOMAE REDIGERIO SAL.

Perspexi ego statim, te ut vidi, egregiam tuam indolem adolescens optime: incensusque sum desiderio magno tibi placendi, cui voluntati meae viam antea munierat suis litteris *Crato*, qui te mihi diligenter commendarat *): et ut quacumque re possem, honori tuo commodisque praesto essem rogaverat. *Cratonem* autem ego diligo vehementer, ut probum et doctum virum: valdeque dignitatis meae studiosum. omni igitur re, qua cognovero me posse illi satisfacere, toto animo semper in ipsam incumbam. feci autem, quod potui, accommodatumque esse existimavi ad honorem tuum atque animi voluptatem: conatusque sum etiam nonnulla, quae nescis, eodem pertinentia: etsi illa exitum non habuerunt, voluissem vero **) multo plura praestare me posse, quae digna erant persona et probitate tua: illa tamen cum superent meas vires, confido me apud te excusatum fore: nemo enim cogi potest id moliri, quod efficere non valet: atque hoc semper judi-

---

XVIII.

*Thesauri epist. Rehdig. Ms.* Vol. II. Fol. 89. — Iam antea impressa est in Epist. *P. Victorii* ad *Germ.* a *Caselio* editis, p. 113. repet. Francof. p. 120.

*) De primo hoc *Rehdigeri* ad *Victorium* accessu in agro Cassianensi IV. Id. Oct. MDLXVIII. audias ipsum *Victorium* narrantem litteris ad *Cratonem*, hoc libello p. 4. repetitis.

**) *vero* non habet ed. *Cas.*

cium fuit sapientium virorum: quod *Hesiodus* etiam, cum sedulo hortaretur ad gratiam referendam, tetigit *). hujus autem animi erga te et laudem tuam, donec vivam, semper ero. videbis ergo tu omni tempore, si qua in re utilitatibus tuis inservire possim; me certe semper **) habebis promptum paratumque tuis commodis persequendis. Neque tamen te nunc oportebat ob tam tenue munus exileque ***), praesertim cum liber communis pervulgatusque jam factus sit, tantopere me laudare. praeterquam quod ampliore dono ipsum compensasti. nesciebam autem ego †) te venatorem esse: aut si forte studio illo delectarere, quod proprium est aetatis et nobilitatis tuae, istic saltem ipsi operam dare. Sed puta me in hoc tecum jocatum esse. quod vero ad rem ††) pertinet, commendo ego valde liberalitatem tuam; atque id, quod supra etiam, ab animo sincero profectum, tibi narravi, itero asseveroque me semper, quacumque re potero, laudi tuae fauturum.

Vale. Flor. IV. C. Febr. CIↃIↃLXVIII. †††).

Al molto mag$^{co}$ Sg m. *Tommaso Redigero*, Sg suo hon$^{do}$ in Siena.

---

*) *Hes. oper.* 355. sq. **) *semper* non habet ed. *Cas.*
***) V. Epist. XVII. adnot. 2. †) *ego* non habet ed. *Cas.*
††) *ad te* ed. *Cas.*
†††) *MDLXIX.* ed. *Cas.*, quae anni notatio unice est vera: nam IV. id. Oct. MDLXVIII. primum ad *Victorium* salutandum Senis Florentiam pervenerat *Rehdiger*, v. epist. II. adnot. 3. et epist. XVII. adnot. 4.

## XIX.

# EPISTOLAE
# HIERONYMI MERCVRIALIS ET PETRI VICTORII MVTVAE.

---

HIERONYMVS MERCVRIALIS MEDICVS PETRO VICTORIO S. P. D.

1. Hactenus doctissime *Victori*, per illustrissimum Dominum meum *) tecum egi, ut *Lucretium* virum maximum ea modestia, qua debeo, contra te defenderem: nunc vero quum ex postremis, quas ad ipsum dedisti, literis non modo ab incoepta opera te non desistere, verum etiam defensiones meas, quasi leves et vanas parvi facere perspexerim, eas magis confirmare decrevi; illud unum hac laudabili occasione me consequuturum sperans, ut a te viro omnium aetatis nostrae doctissimo, quod maxime opto, multa edocear. Quare id ante cetera a te summopere peto, ne quae dixero, tui, quem omnium maxime veneror, incusandi, aut meae opinionis, quod obstinatae mentis homines facere solent, tuendae gratia dicta putes, sed ne hujus disputationis ve-

---

XIX.

Prodiit inter epist. cl. Ital. et German. ad *P. Victorium*, editas ab *Ang. Mar. Bandinio*, Florent. MDCCLVII. lib. I, 48. p. 111.

*) *Alexander Farnesius* Cardinalis, v. hujus epistolae sect. 5. adnot. 3.

ritas a quoquam desideretur, neve *Lucretius* a me, qui ejus auctoritatem maximi facio, indefensus maneat. Et quoniam in iis, quas dixi, literis ad disputationem de particula *cor* tantum respondisti, de eadem solum a me sermo habebitur.

2. Scribebas enim stomachum ab antiquis *καρδίαν* esse appellatum, et idcirco *Thucydidis* verba male a *Lucretio* interpretata fuisse, qui *καρδίαν* non stomachum, sed *cor* dicere maluit. Respondebam, ni fallor, ab antiquis non proprie stomachum, sed tantum ventriculi os *καρδίαν* vocatum inveniri, quod *Rufus* Ephesius et *Galenus* docent, neque absurdum videri, ut latini potuerint, quemadmodum graeci, sub cordis nomine, ventriculi os intelligere. Has rationes, quoniam tibi admodum probatae non sunt, firmiores reddere conabor, atque illud inprimis dicam, *Lucretium* eo in loco minime in animo habuisse *Thucydidis* orationem in linguam suam exacte transferre, et propterea nequaquam damnandum, si quid apud ipsum ab auctoris graeci sententia diversum legatur; quod autem hoc ita sit, omnibus perspectum esse potest, qui latinis graecas conferentes, facile cognoscunt, multa apud *Lucretium* mutata, transposita, diversa, atque aliter intellecta, narratave, ac in *Thucydide* reperiantur, esse.

3. Sed quum hoc in aliis sexti illius libri locis pro comperto habeam, in hoc tamen a te

notato, minime ipsum a *Thucydidis* sensu recessisse credo; ad quod adserendum tria mihi statuenda sunt. Primum apud veteres omnes, *καρδίαν*, aut os ventriculi, aut cor ipsum fere semper, stomachum raro significare; id namque testatum saepissime fecit *Galenus*, cui magnam deberi fidem nemo inficiatur: alterum est *στόμαχον* apud graecos duo significasse, aliquando ventriculum scilicet universum, ubi conficiuntur alimenta, frequentissime autem ductum illum, qui inter fauces ac ventriculum collocatur, quemve Graeci, et praesertim *Aristoteles* interdum *οἰσοφάγον*, Latini gulam nominarunt, aliud ab his duobus *στόμαχον* Graecis designare raro observavi; quando *Homerum*, *Hippocratem*, *Platonem*, *Aristotelem*, *Rufum*, *Galenum*, non alio fere significatu, quam praedictis duobus unquam accepisse quisque cognoscere queat: quod si interdum pro ore ventriculi usi reperiuntur, id non proprie, sed *καταχρηστικῶς*, ut *Galenus* VII. *aphor.* LVI. adserit, fecisse videntur; et ne quis *Pollucem* in II. lib. *) mihi adducat, stomachum, asperam arteriam quoque vocatam dicentem, sciri velim apud ipsum, stomachum eo in loco pro gulae principio, quod ductibus ambobus quasi commune est, capi; ut etiam paullo infra. Nam et literam *Pollucis* mendosam esse reor, quando

*) *Iul. Poll.* II, 202. 207. eandem conjecturam profert *Mercurial. var. lect.* I, 1.

scribit: ὁ δὲ στόμαχος ἔγκειται μὲν ἔνδοθεν τῇ ῥάχει, κατατείνει δὲ εἰς πνεύμονα, ubi legendum puto εἰς κοιλίαν; ex his enim subsequentibus verbis sic esse legendum apparet, τοῦ δὲ στομάχου καταλήγοντος εἰς τὴν κοιλίαν.

4. Tertium est stomachum Latinis quoque frequentissime ventriculum, saepe gulam significasse; quod vero pro ore ventriculi ea vox fuerit usurpata, numquam hactenus observavi: sed ne haec temere adserere tibi videar, quaeso *Lucretii*, *Horatii*, *Celsi*, *Plinii*, *Caelii Aureliani* locos omnes perscruteris, ubi stomachi mentio aliqua habeatur; facile, spero, intelliges, numquam aliud apud ipsos stomachum designare, nisi gulam, aut ventriculum. Quibus ita positis, neminem futurum arbitror, qui non judicet, *Lucretium* latinae linguae observantissimum minime potuisse καρδίαν, quae *Thucydidi* ventriculi os significabat, stomachi nomine quod nihil minus quam id sonat, transferre, et ideo satius ipsi visum, ut Graecos imitatus, cor diceret; quod si auctores alii ea voce ita usi non inveniantur, propter hoc absurdi nil a *Lucretio* commissum fuerit, si loquendi libertate in multis aliis absque crimine usus, quum stomachum eo in loco transferre non posset, neque stomachi os dicere vellet, latinam vocem in graeca significatione usurpaverit, praesertim quum tu optime memineris multa alia hujusce generis penes scriptores semel tantum,

praeter communem aliorum consuetudinem, usurpata inveniri.

5. Porro quod dixerit *cor moestum*, alias ex *Galeno* rationem adtuli: nunc idem repeto, nihil in corpore nostro aeque moestitiam parere, atque ventriculi os male adfectum, et propterea *Lucretium*, sapienter *cor moestum* dixisse, ut eam partem, videlicet ventriculi os, proprie exprimeret, quam *Nemesius* etiam in libro de *nat. hum.* cap. XX. ex *Galeni* sententia τῆς λύπης ὄργανον statuit: quid quaeso, bone *Victori*, inconvenit, ut alibi cor pro ore ventriculi, alibi pro corde *Lucretius* noster adceperit? certe quando dixit

Omnia tum vero vitai claustra lababant

felicissime ea *Thucydidis* verba μετὰ μεγάλης ταλαιπωρίας interpretans, id totum expressit, quod in oris ventriculi pravis adfectibus non raro evenire sciunt medici, animi scilicet defectiones, syncopas, atque etiam interdum mortes. Quare videre nequeo, cur hoc *Lucretio* non facile condonare tibi placeat. *Plutarchi* demum, quos ad *Alexandrum Farnesium* Cardinalem Dominum nostrum misisti, restituti loci magnam tibi sane laudem pepererunt: majorem autem peperissent, nisi *Hieronymus Frobenius* Basilaeensis Typographus, multis annis ante hanc gloriam praeripuisset; quippe qui volumine opusculorum *Plutarchi* graeco a se edito ita plane, quemadmodum tu prudenter conjecisti, eos restituit.

6. Plura de hac re ad te non scribam, persuasum illud habens, te postquam rem hanc exactius consideraveris, vel sententiam mutaturum, vel saltem gravioribus rationibus eam comprobaturum. Interim scias velim, te a me plurimum observari, et coli, non tantum, quod videam Dominum meum te aeque ac quemvis alium aetatis nostrae eruditum hominem aestimare, et incredibili amore prosequi, verum etiam quia animi tui singularis bonitas, nec non doctrinae praestantia, ita omnibus notae sunt, ut qui te non diligat, ac veneretur, a nemine amari mereatur. Vale. Romae VIII. Eid. Decembr. MDLVII. *).

---

*) Errore aperto laborat subscriptio epistolae, quae data est Romae et eo quidem tempore, quo maxima auctoritate apud *Alexandrum Farnesium* Cardinalem florebat *Mercurialis.* Anno enim MDLXII. quum Foro *Livii*, patria ejus urbe, legatus Romam mittendus esset ad *Pium* IV. Pontificem, ipse a civibus suis dignus habitus est, qui obiret munus: ibi tunc in *Alexandri* notitiam et consuetudinem pervenit, peregitque in ejus familia integrum septennium, donec anno MDLXIX. a Senatu Veneto Patavium vocaretur, *Frid. Boerneri* de *vita Hieron. Mercurialis*, p. 12. et *Renauldin. Biogr. univ.* Tom. XXVIII. p. 356. In hoc igitur septennium incidit epistola nostra, et brevi ante responsum *Victorii*, igitur VIII. Id. Dec. MDLXVII. scripta esse videtur, v. epist. seq. adnot. 41.

## PETRVS VICTORIVS HIERONYMO MERCVRIALI S.

1. Duo primum fuere, *Mercurialis* *) humanissime, quae me scriptis tuis statim respondere non siverunt. alterum eorum fuit quia nomen auctoris eorum in ipsis, ut moris est, additum non erat. alterum vero, quia arbitrabar illum ipsum quicunque foret, ludere mecum ac jocari; cujus rei argumentum erat quod nomen reticuerat. nunc vero cum te patefeceris, videareque serio mecum agere, simulque pergas opinionem illam meam oppugnare, non mihi visum est amplius tacendum: ne forte silentium meum aliquid incommodi pareret. quod multis modis in ista nobili civitate et regina cunctarum aliarum, usu venire ac contingere posset.

2. Non possum autem non magnopere mirari te, doctum hominem ac summum medicum; eundemque magni ingenii virum, ut ego accepi, ac facile credo, veritatem hujus rei non videre, quae tam plana et aperta est. [*nam quid aliud te impellere potest, ut mecum tam vehementer contendas?*] **) neque enim ego cum *Lucretio* mihi bellum gerendum unquam putavi: quem

Thesauri epist. Landishut. Ms. Vol. II. Pol. 390—396. — Iamiam impressa in *P. Victorii orat. et epist.* pag. 146. ed. *Iunct.*

*) *Mercuriali* ed. *Iunct.*

**) Quae cancellis circumsepsimus, absunt a cod. Landish.

semper laudibus extuli, ac quacunque re honeste potui ornavi. quod parva ingenii mei monumenta multis locis testantur. neque tamen debeo, si quando ille lapsus est, et alicui errori affinis invenitur, ipsum sectari. cum enim hominem, quantum ratio patitur, diligam, puroque ipsius et copioso sermone magis quam sententiis delector *), non debeo tamen minus homines aetatis nostrae amare, ac quacunque re possum illis non prodesse conari. Solus ne ego aut primus hoc tempore docui veteres illos, magnos auctores, in exprimendis Graecorum sententiis aliquando peccasse? nonne exstitere, qui et *M. Ciceronem* et *Virgilium* reos hujus criminis aliquando egere? nec tamen ita astute aliqui ipsos aggressi sunt, contraque eos tantus tumultus excitatus est. (non accuso te hoc loco, *Hieronyme*, qui amice id et moderate fecisti) semper enim veritas amicitiae anteponenda est: cunctosque hoc facere oportere, sententia et judicio sapientium testificatum est. Sed ad ipsum locum, his nunc relictis, veniam, de quo mihi tecum concertatio est.

3. Scripsi ego videri *Lucretium* **) errasse, qui in sententia *Thucydidis* ***) vertenda, non viderit, καρδίαν illic non cor, ut ille putavit, sed stomachum valere. notum enim est et testi-

---

*) *delecter*, ed. *Iunct.*
**) *Lucret.* 6, 1150.
***) *Thucyd.* 2, 49, 3.

moniis optimorum scriptorum confirmatum, in Graeco sermone non unum tantum ostendere id nomen; sed duplicem ejus notionem esse, cum significet etiam superioris ventris principium, et quasi os, ac totum quoque saepe illum. tu vero putas cor etiam apud *Lucretium* idem eo loco valere: voluisseque illum id Graecum verbum exprimere. Velim autem mihi indices ubi forte, aut ipse alio loco, aut alius quispiam bonus Latinae linguae auctor, sive etiam non satis bonus, ita hoc nomen usurparit. nam si *Lucretius* ita purus scriptor candidusque est, ut est, quod tu quoque fateris, debuit magnopere cavere ne nova hac inauditaque notione hujus nominis patrium Latinumque sermonem inquinaret. Notum est etiam, ipsum de egestate suae linguae vehementer queri, quod si hujusmodi aliquid moliri, sibi licere putasset, non oportuisset eum tantopere paupertatem Latinae orationis accusare: cuncta enim, ita ipsi facilia dictu, procliviaque fuissent. Nec potest etiam dici *Lucretium* more poetarum id fecisse. neque enim fuisset hoc unum aliquod eorum verborum, quibus passim poetae orationem suam illustrant et grandiorem honestioremque reddunt. aut enim translatis, aut externis, aut vetustis verbis utuntur, cum aliquid dignitatis suae dictioni comparare volunt: aut aliqua hujuscemodi ratione, quae cunctae diligenter traditae sunt ab optimis hujus artis magistris. id est immutant communem aliquam vocem, aut demendo inde aliquid,

aut ipsi addendo. Nec tantum sibi tribuerent, ut longe aliter caperent pervulgatam vocem, ac consuetudo ipsa soleret . nulla autem aetas aut gens, Latini sermonis particeps, stomachum cor appellavit.

4. Sed hoc relinquamus, quod ita certe firmum solidumque est, ut convelli posse non videatur . videamusque ea quae sequuntur . unde manifesto deprehendemus, quae sit ratio illic ejus vocis, conferamusque inter se sententias utriusque scriptoris . nam tu certe concedis *Lucretium* illic proposuisse sibi exprimendum *Thucydidem*. aliter enim numquam diceres inusitatam, penitusque novam ipsum notionem huic nomini assignasse, nisi imitari Graecum scriptorem voluisset. Latinus igitur inquit *):

Inde ubi per fauces pectus complerat:

significans vim illam saevam ejus morbi, totum pectus oppressisse . quod non dixerat Graecus, qui tantum commemoravit ipsam in pectus descendisse . non potuisset igitur, si hoc fecisset, non pervenire ad cor, quod illic quidem certe sedem suam habet . quae sequuntur vero **)

et ipsum
Morbida vis in cor maestum confluxerat aegris,

si quis accurate attendat hoc declarant, et quod obscure prius dixerat, aperiunt: morbum scilicet

---

*) *Lucret.* 6, 1149.
**) *Lucret.* 6, 1149. 1150.

illum ex omnibus pectoris partibus se conjecisse in cor. neque enim novi aliquid addit: ad aliamve ullam corporis partem pervenisse ipsum narrat, his verbis, sed omne suum virus illuc effudisse: est autem ἐμφατικώτερον additum illud ipsum, quasi enim dixit in arcem praesidiumque vitae. Hoc praeterea verum esse testatur versus qui sequitur *).

**Omnia tum vero vitai claustra lababant.**

cujus versus quis umquam sensum hunc esse negaret? nisi qui veritati repugnare prorsus vellet, et obstinate sententiam suam tueri. cum id factum esset, morbusque ille acer in cor confluxisset: tunc firmamenta vitae, quaeque ipsam sustinent **), cuncta temptari et labefactari coepisse, quod necesse erat fieri; principio vitae et quasi domicilio, fracto ac debilitato.

5. Tu vero putasti, ipso interpretari voluisse *Lucretium* Graeca haec *Thucydidis* ***) verba, μετὰ μεγάλης ταλαιπωρίας, quod cui probaturus sis, videbis. Ego certe neminem te arbitror inventurum cui hoc persuadeas. quis enim non videat apta haec verba esse e superiore nomine, ἀποκαθάρσεις, quod ostendit praenomen, αὗται, ante ipsa positum, intellexisseque *Lucretium* varias illas rationes, quibus bilis †) e stomacho

---

*) *Lucret.* 6, 1151.
**) *sustinet* ed. *Iunct.*
***) *Thucyd.* 2, 49, 3.
†) *quibus morbus* ed. *Iunct.*

ejicitur, quae purgationes molestae in primis et aerumnosae eo tempore erant. perperam igitur ac misere illa convertisset, nedum felicissime id facturus fuerit, ut tu existimasti, si illo modo ipsa reddidisset.

6. Quod autem supra dixi, etsi satis sua sponte planum est, magis tamen adhuc perspicuum foret, nisi duo illi versus inter superiorem illum et inferiores hos, itidem duos, interjecti fuissent, non sane suo loco, si verum ordinem *Thucydidis*, prudentissimi et accuratissimi scriptoris spectamus, collocati. quod etiam aliter cognosci ac certo teneri potest. intelligo autem hos *):

Spiritus ore foras taetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.

secutum enim fuisset, quod comprobat et auget superiorem sententiam **).

Atque animi prorsum vires totius et omne
Languebat corpus, leti jam limine in ipso.

nam supra posuisse verba Graecum auctorem, quae vertit *Lucretius* illis versibus, apparet: etsi posteriore illorum imaginem exposuit, ut rem magis illustraret, et quasi ante lumina eorum, qui legerent constitueret ***). *καὶ πνεῦμα ἄτοπον, καὶ δυσῶδες ἠφίει.* Hoc etiam strictim attingere alienum non fuit, ut perspiceretur, quam

*) *Lucret.* 6, 1152. sq.
**) *Lucret.* 6, 1154. sq.
***) *Thucyd.* 2, 49, 2.

parum diligens fuerit in tota ea parte interpretanda *Lucretius* . sed redibo jam ad ea, quae antea explicabam.

7. Attende sodes sententias Graeci auctoris, qui tantum commemorat, morbum illum in pectus descendisse; neque adjungit ipsum cunctas pectoris partes pervasisse . puto autem eum ostendere voluisse recta semper morbum iter fecisse atque ita ad stomachum pervenisse, quo cum accessisset, illic tamquam in firmiore sede mansisse, aliquantumque in eo loco restitisse. hoc enim aperte valet illud *), *καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι* . unde secuta sunt ea, quae exponit, quae sine ulla dubitatione stomachi propria sunt, non cordis . id est eversiones ipsius, vomitusque et cuncta quibus inde bilis ejici solet. Quis igitur jam non videat perperam accepisse hanc vocem *Lucretium*, et quod apud Graecum, stomachum valebat, ipsum cor appellasse. nam quod moestum ipsum vocat, ipsemet suo indicio perit. neque enim hoc quod additum cordi recte est, nomen stomacho convenit: durumque est ac nimis ab usu remotum putare stomachum moestum vere posse appellari, quia aegritudo inde originem ducat. neque enim consuetudo sermonis haec tam subtiliter attendit, neque etiam docti viri plerumque ita loquuntur. Eodem pacto nimis subtilis est tua ista observatio, et quae non solum a

*) *Thucyd.* 2, 49, 3.

caeteris, verum etiam a vestris ducibus custodita minime sit, intelligo, quod de propria notione *καρδίας* et stomachi protulisti. ubi affirmas, non potuisse *Lucretium* recte stomachum *καρδίαν* vocare. video enim *Celsum* *), non malum Latini sermonis auctorem, ubi cardiaci morbi remedia tradit, semper partem eam, quam ille morbus vexat, stomachum appellare. quod unum exemplum ambas illas tuas animadversiones evertit. Tu enim existimas, *Lucretium* tanquam coactum, et necessitate sibi imposita, cor vocasse, quod apud *Thucydidem* erat *καρδία*. quia nullum invenire Latinum vocabulum posset, quod aptius ipsam exprimeret. Quod si licentia (ut tu arbitraris) ipsi utendum erat, magis certe ferri poterat: si vocem illam usurpasset, qua **) *Celsus* partem eam corporis nostri vocare ***) consuesset, id est, si stomachum ipsam nominasset, quam si inauditam notionem usitatae vocis in patrium sermonem intulisset. sed nulla in eo licentia fuisset: in hoc vero tanta, ut verisimile non sit, ipsum unquam id commissurum fuisse.

8. Nullo autem negotio possent a me alia quoque proferri, quibus omnibus supersedebo, quia illa nullam in partem necessaria arbitror. Praeterea iterum infra in hac ipsa pestilentiae

---

*) *Cels.* 3, 19.

**) *quam* ed. *Iunct.*

***) *vocari* ed. *Iunct.*

descriptione *) cor moestum proprie appellat, ubi interpretatur **) ἀθυμίαν, quae, ut verbum ipsum ostendit, in animo est, non in stomacho. nam cum stomachum hic intelligit, suo ac proprio nomine ipsum appellat, non inaudito auribus Latinorum, et quod novitate sua duplicique significatu merito posset quemlibet, qui legeret, perturbare: et caliginis multum menti ipsius offundere. nulla enim res est, quae tantopere fugienda sit ei, qui plane dilucideque loqui vult, quam ὁμωνυμία. quamquam non potest haec ita vocari in Latino sermone: nemo enim umquam aliter cepit hoc nomen cor: neque aliud majores errores gignere potest in animis eorum, qui audiunt. ut autem ὁμωνυμία Graecae vocis, quod memoriae quoque prodidit *Galenus* ***), neminem fallebat, qui in veterum scriptis aliquantum versatus esset, ita contra haec, quae nulla est omnes, et doctos homines, et idiotas fefellisset. Peccasset igitur magnopere *Lucretius*, si ita locutus fuisset, atque a semet, ipse †) descivisset, qui ita facundus est et eloquens, mirificusque Latinae linguae observator.

9. Sed ad alterum *Lucretii* locum ††) veniam, quem etiam leviter reprehendi, ne mihi

---

*) *Lucret.* 6, 1231.

**) *Thucyd.* 2, 51, 4.

***) *Galen. de plac. Hipp. et Plat.* 2, 8. Vol. V. p. 274. sq. *Kühn.* conf. 2, 4. p. 228.

†) *ipso* ed. *Iunct.*

††) *Lucret.* 6, 1206.

rursus necesse sit de his rebus tecum, quod facere nollem, praeliari. addam autem nonnulla quae valent (ut opinor) aliquid ad judicium meum vetus confirmandum. illa vero a me relicta tunc fuere, qui non omnia ambitiose colligere volui, cum peccatum ejus satis certum apertumque foret. Quod enim affirmavi tunc velle de ea quaestione stare judicio eruditorum, non mutavi animum: neque tamen arbitror illis verbis me cogi a paucorum, et fortasse iniquorum judicum, sententiis ad veriores ac justiores hujus rei existimatores non provocare.

10. Apud Graecum scriptorem *) est tantum *στερισκόμενοι*. quo verbo significatur solum eos illis partibus corporis orbatos, et quasi mancos et debiles factos. impetum autem illum morbi id mali creasse apparet. nam si ferro id factum fuisset, tetigisset profecto aliquid *Thucydides*, quo id significaret; sed etiam *Galenus* **) hoc morbi genus id efficere solere testatur, ubi accurate disserit de crurum humanorum utilitate: et quam apte pedum forma talis a natura fabricata sit, ponit ante oculos. ut scilicet auxilio crurum et stare et moveri possimus. quorum altero ipsorum munere privantur homines, quibus pedes mutilati sunt. id autem demonstrasse affirmat pestilentiam, quae paulo ante quam ipse libros eos scri-

---

*) *Thucyd.* 2, 49, 8.

**) *Galen. de usu part. corp. hum.* 3, 5. Vol. III. pag. 188. *Kühn.*

beret, ingruerat: summam enim pedum *) partem illam in magno hominum numero putridam reddidisse narrat, ut alterum taceam ut minime hic accommodatum, quo idem tunc perspectum esse significat.

11. Praeterea quod addit *Lucretius* **), inventos etiam aliquos qui oculis privati evaserint; quis non milies mori malit, quam caecus ***) in vita permanere? aut quando auditum est, effodere alicui oculos, remedium esse alicujus morbi, certamque ei salutem dare? In primis autem declarat, existimasse *Lucretium* aegrotos volentes, illique praesidio fidentes, aequo animo passos esse illam jacturam membrorum, quod in extremo ab eo positum est †).

Vsque adeo mortis metus his incusserat acer.

Hoc enim ἐπιφώνημα ††) id aperte testatur. miratur namque repertos aliquos, qui tam cupidi vitae fuerint, ut ad hoc miserum auxilium confugerint: ita enim vos quoque medici, ac vere quidem haec remedia morborum acerbissimorum vocatis, ut *Celsus* †††), ubi loquitur de cancraena. suo autem jure hoc facit *Lucretius*. sciebat enim ducem suum auctoremque ejus ra-

---

*) *pedem* autogr. Landish.
**) *Lucret.* 6, 1209.
***) *caecum* ed. *Iunct.*
†) *Lucret.* 6, 1210.
††) ἐπιφώνυμα ed. *Iunct.*
†††) *Cels.* 5, 26, 34.

tionis optimum esse censuisse: cum homo in hujuscemodi aliquem atrocem casum incidisset, fugere e vita, in qua nihil amplius ipsi jucundi restaret: quaeque referta esset acerrimis continentibusque doloribus, praestoque portum esse clamitare *Epicurum* *) solitum. Vnde etiam *Lucretius* alio loco **) insimulat quosdam, ac despicit, qui cum gravibus malis atque omnibus denique aerumnis affecti essent, tamen viverent. quod numquam facturos fuisse illos putavit, si quam falso ipse veram putabat rationem, ab *Epicuro* inventam, didicissent.

12. Quod si quis ex me quaerat unde haec tanta *Lucretii* incuria nata sit. nam possem etiam alia non parvae culpae affinia in eadem descriptione loca demonstrare, dicerem id factum fuisse, quia cum carmen illud pangeret, librum in manibus non haberet: nec accurate singulas sententias, toto animo in versibus faciendis occupatus, examinaret. quod autem aliquando legisset, ipsum memoria tunc non tenuisse. non enim ita rudem ipsum fuisse Graeci sermonis dicere auderem, ut vim etiam pervulgatorum vocabulorum non teneret. Quemadmodum cum erravit etiam in numero dierum ostendendo, quo acer ille morbus aegrotos absumeret***). quod profecto cum omnino naturae illius rei adversetur, non modo histo-

*) *Menag.* ad *Diog. Laert.* X, 124. 139.
**) *Lucret.* 3, 50.
***) *Lucret.* 6, 1195. conf. *Thucyd.* 2, 49, 6.

riae, vos quidem certe medici ferre nullo modo debetis. Non dico praeterea ego *Lucretium* cuncta, quae scribit eo loco *) a Graeco historico accepisse, omnibusque in partibus eum secutum fuisse. quis enim non videt ipsum **) *προγνωστικὸν* quoque *Hippocratis* ***) explicasse, ubi notas mortis exponit: ac de suo etiam nonnulla illi narrationi aspersisse, et non pauca quoque diligenter a *Thucydide* commemorata omisisse: nec tamen non apparet quando ipsum interpretari voluit: quamvis non semper id ei feliciter successerit, ut contigit †) duobus his, quos ego notavi, locis.

13. Sed jam finem faciam disputandi, hoc tantum addam, cum initio litterarum tuarum significaris me debuisse ab incoepta opera desistere (his enim verbis usus es) non video cui tanto flagitio, vel scelere potius affinis sim, ut tam gravibus verbis coerceri debeam, quasi ego male sentiam de pietate *Christiana*, a quo nefario crimine longissime absum, vide ne tu potius ab iniquo aliquo hujus criminis arguare, qui fateare te *Lucretii* auctoritatem maximi facere. quod sane ego, ut jocari desinam, vehementer miratus sum. nec mecum cogitare possum quomodo hoc verum sit: quasi *Hippocratis* aut

---

*) *Lucret.* 6, 1180 — 1194.

**) *ipsum* non habet ed. *Iunct.*

***) *Hippocr.* praenot. 2.

†) *contingit* ed. *Iunct.*

*Galeni* dixeris, quos merito suspicere et quasi venerari debes. non enim puto te ullo pacto rationem, quam ille tradit probare, ut philosophi, quae semper a polito omni eruditoque viro contempta irrisaque est. non potest etiam ille, ut poeta, dignitatis plurimum habere, quippe cum in numerum gregemque poetarum a doctis non recipiatur. quod si aliquid ipsi auctoritatis restat, optimo scriptori Latinaeque linguae accuratissimo magistro, merito illa *) ipsi conceditur. quam laudem vide quaeso ne tu ei eripias, si pergis ipsius purissimum sermonem hujuscemodi notionibus verborum contaminare. quare magis laudavi, quod in extremis illis litteris a te moderate magis sapienterque positum est, me debere hoc *Lucretio* condonare. quod ego libenter faciam, si ut videris illic facere concedis ipsum errasse: non enim tantum condonabo ipsi hoc crimen: sed ne pilo quidem ipsum minus amabo: neque enim corrumpunt hujuscemodi lapsus id, quod semper in ipso mirifice amavi, ac toto pectore colui, id est ubertatem et elegantiam orationis. de qua **) eximia *Lucretii* virtute (sic enim judico) multo plura dicerem, nisi aliis locis plene id, cumulateque fecissem. Vale. Florentia. VI. Cal. Ian. MDLXVII. ***).

---

*) *illi* ed. *Iunct.*

**) *deque* ed. *Iunct.*

***) Notavimus vitium in fine epistolae praecedentis, fortasse ex errore typographi ortum: simile quid *Victorio* ipsi acci-

# INDEX NOMINVM.

## LITTERA M. SIGNIFICAT EPISTOLAM HIERON. MERCVRIALIS.

*Io. Albertius.* XV.
*Alexander* Farnesius Cardinalis. M. 1. 5. 6.
*Alphonsus* II. Ferrarensium Dux. IV.
*Ludov. Antenoreus.* IV. VI.
*Aristoteles.* M. 3. XIV. XV.
*Atheniensium* lex quaedam. XV.
*Caelius Aurelianus.* M. 4.
*Ioachimus Bassevitius,* ad epist. IX.
*Bellisarius,* v. *Vintha.*
*Nericius Botuitus.* X. ad epist. IX.
*Caesar,* v. *Maximilianus* II.
*Ioachimus Camerarius.* II.
*Io. Caselius.* I. III. VI. IX. X. XII. XIV.
*Celsus.* M. 4. XIX, 7. 11.
*Cicero.* XIX, 2.
*Cosmus Medices,* Etruriae Dux. IV. V. VI. inde ab anno MDLXIX. Magnus Dux. XI. XIII. XV.
*Io. Crato.* XVII. XVIII.
*Epicurus.* XIX, 11.
*Etruriae* Magnus Dux, v. *Cosmus.*
— — — v. *Franciscus.*
*Farnesius,* v. *Alexander.*
*Ferrarensium* Dux, v. *Alphonsus* II.
*Franciscus* I. *Medices,* Etruriae Magnus Dux. XVI.

---

disse videtur in hac responsione: epistola enim Mercurialis, ut nos conjecimus, die VI. Dec. MDLXVII., sed responsio *Victorii* die XXVII. Dec. MDLXVI. scripta est, inverso temporis ordine, quem facillime restitues, uno tantum signo addito, MDLXVII.

*Hieron. Frobenius.* M. 5.
*Galenus.* M. 2. 3. 5. XIX, 8. 10. 13.
*Hesiodus.* XVIII.
*Hippocrates.* M. 8. XIX, 12. 13.
*Homerus.* M. 3.
*Horatius.* M. 4.
*Thom. Hubnerus.* XV.
*Lucretius.* M. 1. 2. 4. 5. XIX. 2—9. 11. 12. 13.
*Maximilianus* II. Caesar. I. IV. XV.
*Hieron. Mercurialis.* XIX, 1. 2.
*Nemesius Emesenus.* M. 5.
*Nericius,* v. *Botuitus.*
*Plato.* M. 3.
*Plinius.* M. 4.
*Plutarchus.* M. 5.
*Iul. Pollux.* M. 3.
*Thom. Rehdiger.* II. VI. VII.
*Rufus Ephesius.* M. 2. 3.
*Io. Sambucus.* III. IX. XIII.
*Paulus Seghedeus.* XI. XIII.
*Thucydides.* M. 2—5. XIX, 3—8. 10. 12.
*Franciscus Victorius, Iacobi* filius, *Petri* nepos. XII. v. *dedic. orat.* et *epist.* edit. *Iunct.*
*Iacobus Victorius, Petri* filius, *Petri* junioris pater, ad epist. II. adnot. 3.
*Petrus Victorius.* M. 1. 5.
*Petrus Victorius, Iacobi* filius, *Petri* nepos, vid. avi ad eum epistola in orat. et epist. edit. *Iunct.* p. 188.
*Bellisarius Vintha.* V. VI. X.
*Virgilius.* XIX, 2.

# XXII.

## CARMINA LATINA.

NVPTIALIA SACRA *FRIDERICI GVILELMI* PRINCIPIS CELSISSIMI REGNI BORVSSICI NASCENDI IVRE HEREDIS ET *ELISABETHAE LVDOVICAE* PRINCIPIS CELSISSIMAE *MAXIMILIANI IOSEPHI* BAVARIAE REGIS FILIAE DIE IV. CAL. DEC. A. MDCCCXXIII. CELEBRATA.

---

Tandem sereno cessit ab aethere
Caliginosis quae modo nubibus
Terras patentes civiumque
Corda fidelia presserat nox.

Vides? Eoo sidere clarius,
Lucem reducens carminaque excitans
Floresque pandens, ecce! lumen
Emicuit novum *Elisabethae*.

Vindex tametsi justitia impiam
Concusserat vim dira minantium,
Glaucae et Minervae fronde cinctum
Extulerat caput aurea spes,

Quamvis triumphi *Te*, Patriae Pater,
Lauru perenni condecoraverant,
Nomenque mansurum per aevum
Gentibus addiderant Borussis:

Nec restitutus jam patriae decor,
Nec redditum jus, relligio aut redux
Mortalium antiquum dolorem
Sopierant placida quiete.

Matrem gemebant — nam meminisse fas —
Cui non ablatam: nec sine *Te* Tuis,
*Luisa*, quod vitae labores
Mitibus alloquiis levaret.

Divina nunquam semina purius
Refulserant, aut intemeratius
Demissa coelo rara virtus
*Te* sibi condiderat sacellum.

At *Fridericus*, tristia temperans
Laetis, *Elisam* Munychiis petens
De moenibus, desiderata
Gaudia jam revocare gestit

Patri ac paternis finibus ac sibi.
Quaecunque dura militia impiger
Idemque sollers consili auctor
Contulit in populi salutem,

Merces parata est: praemium adest amor
*Elisabethae*, perpete vinculo
Dulci in juventa copulatos
Arctius usque tenens beansque.

Ac *Tu Luisam* nunc referes Tuis,
Multo hoc sed uno dissimilis, diu
Sponsoque gentique ut Borussae
Incolumisque lubensque praesis.

Sic quicquid atri tempora viderint,
Deus benigna dissoluït manu,
Longaeque *Vos* felicitatis
Haud dubium dedit esse pignus.

## CARMEN SAECVLARE.

ILLVSTRI GYMNASIO GOTHANO DIE XXI. DECEMBRI A. P. C. N. MDCCCXXIV. QVARTVM SAECVLVM SOLENNITER AVSPICANTI DICAVIT *FRANCISCVS PASSOW*, MEGALOPOLITANVS, SELECTORVM ORDINI PER BIENNIVM OLIM ADSCRIPTVS.

---

Pinnas nitentes Vraniae sacras
Qua condidit mens principis optimi,
Camposque ridentes et arva
Leina rigat taciturnus amnis,

Thuringiarum et qua prope limites
Inter minores conspicuus procul,
Ab insula cui nomen esset,
Aerium caput extulit mons,

Illuc citato hinc adproperans gradu
Claram, novena o Castalidum cohors,
Gotham salutato, tuarum
Dulce decus columenque rerum.

Laetus sed ardor festaque carmina
Arcem et plateas templaque personant,
Ipsamque sub brumam novum ver
Floricomae pariunt corollae:

Instat viro vir, nulla senum mora,
Matrum pudicarum agmina per vias,
Sertisque odoratis decorae
En! tenerae trepidant puellae:

Currunt, adurgent: at studium omnium
Longe, juventus mascula, pone te
Linquis: tua est, sentin? tua est res,
Quam sonitus celebrant ovantes.

Nam saecularis lumine candido
Dies resurgit Tethye tertium,
Lustratque honoratis per orbem
Nominibus celebrem palaestram.

Obscura quamquam momine temporum
Inhorruerunt nubila, funditus
Raptura fatalem in ruinam
Rerum apices columenque vitae,

Quae cura avorum, provida posterûm,
Divinioris praesidia ingenî
Certae futurorum nepotum
Voverat haud sine Dîs saluti:

Tibi Camoenae a limine barbari
Manus tyranni sacrilegas procul
Absterruerunt: te benignus
Detinuit gremio ipse Apollo.

Testes magistri, fulgida sidera,
Germania omnis quos sibi vindicat:
Testes alumnorum corona,
Egregia genitrice digna.

Iamjam manebunt haud secus ac prius
Dicata Phoebo moenia, nec tibi
Nativa decrescent honores
Quos meruit peperitque virtus.

Florebis ergo, donec amabilem
Fundat loquelam libera ab impiis
Nuper tyrannis sancta tellus
Grajugenûm egregie rebellis: —

Fregit furorem, credite, posteri!
Vix una sospes navis ab ignibus,
Divosque formidare reges
Admonuit docilesque gentes. —

Donec viriles Romulidae sonos
Musae rotundent, latius imperî
Fines remotos proferentes
Quam timor aut valuit Gradivus:

Florebis, alma, atque innumerabiles
Vigens per annos civibus integris, —
Vere auguramur, — mater, addes
Progeniem generosiorem.

# XXIII.

# ALEXANDRI APHRODISIENSIS

## DE FEBRIBVS LIBELLVS.

GRAECE ET LATINE

IN GERMANIA NVNC PRIMVM EDITVS.

---

ANNO MDCCCXXII.

## ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΩΣ ΙΑΤΡΟΥ ΠΕΡΙ ΠΥΡΕΤΩΝ.

Ed. Ian- abr. 362 Ἠιτησας ἡμᾶς, Ἀσκληπιαδῶν ἄριστε, Ἀπολλώνιε, περὶ πυρετῶν σοι τοσαῦτα διὰ γραφῆς παραδοῦναι, ὅσα σχεδὸν παρ᾽ ἡμῖν φοιτῶντι διὰ γλώττης παρεδηλώσαμεν, ἵν᾽ ὥςπερ ὑπόμνημα τῆς ἡμῶν εἴη σοι διδασκαλίας, βουλομένῳ περὶ πυρετῶν θεωρεῖν, καὶ μάλιστα νυνὶ, ὅτε καὶ ἀποδημεῖν ἡμεῖς ἐβουλευσάμεθα, καὶ μακρὰν ἀφ᾽ ὑμῶν γενέσθαι, σὺ δὲ οὐκέτ᾽ ἴσως ἕξεις τὸν οὕτω σοι προθύμως τὰ τῆς ἰατρικῆς

## ALEXANDRI APHRODISIEI MEDICI CLARISSIMI DE FEBRIBVS. GEORGIO VALLA PLACENTINO INTERPRETE.

Postulasti a me, Asclepiadum clarissime Apolloni, ut quaecunque tibi, ad me frequenter eunti, lingua deprompseram de febribus, jam scribendo aperirem: quo quandocunque tibi liberet febrium causas indagare, id tanquam nostrae doctrinae foret commentarium, praesertim nunc, cum nobis sit longe a vobis peregre abeundum, nec tu porro quempiam, qui tam obvia voluntate tuo cognoscendae artis medicinae desiderio ista explicatu-

2 διασαφήσοντα ὄργια. Ἐγὼ μὲν οὖν ἕπεσθαί σοι
ῥᾴδιος, ἐφ' ἃ κελεύεις αὐτός· καὶ μὴ ὅτι περὶ
πυρετῶν, ἀλλὰ καὶ περὶ παντὸς ἄλλου θεωρή-
ματος ἰατρικοῦ ἕτοιμος ἂν ἦν, σοῦ χάριν καὶ
γλώττῃ καὶ γράμμασι διδασκαλίαν ποιήσασθαι,
εἴγε μὴ νῦν, ὅτε πρὸς ἄλλ' ἄττα, τῆς ἐξόδου
βιαζομένης, ἡμεῖς ἐπειγόμεθα, μὴ συγχωροῦντα
τὴν περὶ τὰ τοιαῦτα σπουδήν, ἀλλὰ πρὸ και-
ροῦ, ὅτε δηλονότι οἷόν τε ἦν καὶ χρόνον ἡμῖν
ἐγγενέσθαι μετὰ τὴν αἴτησιν πρὸς τὴν τοῦ θεω-
ρήματος ξυγγραφήν, τὸ περὶ τούτων ὤφθης
3 αἰτούμενος. Πολυσχιδὴς γάρ, ὡς οἶδας, καὶ
δυςθεώρητος ἡ περὶ πυρετῶν θεωρία καὶ πολ-
λοῦ δεομένη χρόνου πρὸς κατάληψίν τε καὶ
ξυγγραφήν· δεῖν δὲ καὶ αὐτὸς ἂν ξυμφαίης

2 rum forte sis habiturus. Ego igitur quae jubes
facile obsequi velim, tuoque parere desiderio, et
non modo quae de febribus poposcisti, sed
omnem aliam medicam praeceptionem animo
promtissimo, sive lingua, sive litteris, doctrina
gratificari concupisco: tametsi nunc festinamus
nos itineri faciundo committere, ob alia quaedam,
quae circa talia studium adhibere non permittunt:
verum ut oblata fere occasio in ipso temporis
articulo ut a nobis praestari potuerit, tuae de
hujusmodi praeceptione petitioni succurremus.
3 Multiplex namque, ut nosti, cognituque difficilis
est de febribus inspectio, nec brevi tempore com-
prehendi ac conscribi potest. Fateris ipse quoque,

σαυτοῦ τε καὶ ἡμῶν αὐτῶν ἄξιον εἶναι τὸ σπου-
δαζόμενον, εἰ μὴ μάτην αὐτὸς μὲν γράφειν, σὺ
δὲ ἀναγινώσκειν αἱρούμεθα. Καὶ εἴασα ἂν 4
τελέως τοὐγχείρημα διὰ ταῦτα, εἰ μή τις λόγος
παλαιῶν ἀνδρῶν καὶ καλῶς ἔχων ἐπῆλθε πείθων
με, ὡς ἀνάγκη φιλίαις εἴκειν, κἂν δέῃ συγκα-
τιέναι τὴν τέχνην, μηδ' αὐτοῦ δὴ τούτου γε
φείδεσθαι. Ἀμέλει καὶ ἔδοξέ μοι, ὡς παρενεισ- 5
αγωγῆς τρόπῳ, τὸ παρὸν συντάξασθαι σύγ-
γραμμα, καὶ ἄλλο ἐπαγγελλόμενον περὶ τῆς
p.363 ὅλης τῶν πυρετῶν θεωρίας, ἐν ἁρμόζοντι δῆθεν
ἐσόμενον χρόνῳ, νυνὶ τουτί σοι ὡς ἐν ὑποθήκης
ἐκδοῦναι λόγῳ, ἀκριβοῦς φιλίας ὑπόμνημα.
Καὶ δὴ λέγωμέν σοι πειθόμενοι, ἃ ἂν ὁ και- 6

et me et te digna quibus invigilem esse oportere:
alioqui mihi quidem scribendi, tibi vero legendi
laborem irritum fore. Hacque de causa id 4
omnino aggredi recusassem, nisi virorum anti-
quorum recte suadens me persuasisset oratio,
amicitiis esse prorsus obsequendum: ac si opus
fuerit per artem penetrare, ut rerum dignitas
poposcerit, nulli parcendum labori esse. Proinde 5
tergiversandum mihi non duxi, sed censui insti-
tuendi modo praesentem traditionem construen-
dam, aliamque de universa febrium inspectione
commodiore postea tempore conficere, nunc tibi
exactae hoc nostrae monumentum amicitiae ora-
tionis pignus exhibere. Promamus itaque tibi 6
obtemperantes, quae nobis ipsa obtulerit occa-

ρὸς διδῷ, μὴ τῷ τῆς τέχνης πλάτει, καὶ τῇ ἡμετέρᾳ περὶ τὸ λέγειν, εἴ τίς ἐστιν, εὐπορίᾳ, τοῦ χρόνου δὲ μᾶλλον χρησάμενοι τῇ βραχύτητι· ἀμφοτέροις δὲ παρ' ἀμφοτέρων ἔσται συγγνώμη, σοὶ μὲν μὴ πάλαι αἰτήσαντι, ὅτε μὴ εἰςαγωγὴν, ἀλλὰ βίβλον μακρὰν πυρετῶν εἰληφέναι ῥᾴδιον ἦν, ἐμοὶ δὲ φίλοις ἐφ' ὁποιῳδηποτοῦν οὐκ ἀντιβαίνειν ἐθέλοντι.

II. Πυρετὸν τοίνυν, ἵν' ἐντεῦθεν τοῦ λόγου ἄρξωμαι, ἄλλοι μὲν ἄλλως ὡρίσαντο, Ἐμπεδοκλῆς δὲ καὶ Ζήνων καὶ τῶν Ἱπποκρατείων οἱ πλείους θερμασίαν παρὰ φύσιν, ἀπὸ καρδίας μὲν ἀρχομένην, προϊοῦσαν δὲ ἐκ ταύτης δι' ἀρ-

sio, neutiquam hic per artis amplitudinem evagati, non si qua modo in nobis est dicendi copia usurpando, sed potius temporis oppressi angustiis uterque nostrum utrique debemus ignoscere, tibi quidem, non brevem institutionem sed ampla de febribus volumina jam diu postulanti, quod factu nequaquam fuerat difficile, mihi vero, quod amicis utcunque a me fieri potuit, adversari noluerim.

## II. FEBRIS DEFINITIO.

Febrem igitur, ut hinc traditionis nostrae sumamus exordium, alii aliter definierunt: at Empedocles et Zenon, nec non plerique Hippocratei calorem contra naturam corde sumentem principium, ex eoque per arterias ac venas in

τηριῶν καὶ φλεβῶν ἐφ' ἅπαν τὸ σῶμα, καὶ τὰς φυσικὰς αἰσθητῶς βλάπτουσαν ἐνεργείας, ἔφασαν εἶναι· καὶ εἰκότως. Δεῖ γὰρ παρὰ φύσιν 2
εἶναι τὴν ταῖς φυσικαῖς ἐνεργείαις ἀντιπράττουσαν θέρμην, καὶ ἀπὸ καρδίας ἄρχεσθαι, ὅθεν δήπου τὸ φυσικὸν ἀναβλύζει θερμὸν, καὶ δι' αὐτῶν ἐκείνων ἐφ' ἅπαν προϊέναι τὸ σῶμα, δι' ὧν ἐκεῖνο πρόεισι, τὰς φυσικὰς ἐνεργείας ἀποτελοῦν· εἰ γὰρ μὴ δι' ἐκείνων, αἷς τὸ φυσικὸν προϊὸν ἐνεργεῖ, πόθεν ἂν ἕξῃ τὰς διόδους ὥστ' ἐφ' ἅπαν ἐξαπλωθῆναι τὸ σῶμα; καλῶς οὖν ἀπεφήναντο οἱ οὕτω τὸν πυρετὸν ὁρισάμενοι. Ἵνα δ' ὁ λόγος ἡμῖν καὶ σαφέστερος ᾖ, δίκαιον ἂν εἴη καὶ τὸν ὅρον αὐτὸν, ὡς ἔχοι, κατὰ μέρος ἐπιστῆσαι, καὶ εἴ τοι ἐπιλύσασθαι οἷ ἐπορίας ἐχόμενον ἔνεστι. Παρὰ φύσιν μὲν 3
οὖν θερμασία γένος ἐστὶ τοῦ πυρετοῦ, δι' ἣν ὁ

corpus universum progredientem, naturalesque sensus offendentem actiones esse dixerunt: idque jure. Calorem enim naturalibus officientem actio- 2
nibus contra naturam esse necesse est, nec non a corde, unde naturalis scatet calor, sumere principium, indeque in universum diffundi corpus: hoc ergo modo definientes, recte pronunciarunt. At quo tota adhuc nobis sit apertior oratio, aequum fuerit ipsam particulatim ut habeat nosse definitionem, quo si quid modo prae se ferat ambiguitatis dissolvatur. Contra naturam igitur 3
calor, unde febris est aegritudo, ipsius est febris

*πυρετὸς νόσος, οὐκ ἐν διαπλάσει, ἀλλ' ἐν κράσει δυςκρασία θερμή τις οὖσα, μεθ' ἧς ξυνέρχεται καὶ ξηρά· ἡ γὰρ οὐσία τῶν πυρετῶν ἐν τῷ γένει τῆς παρὰ φύσιν θερμότητος, τὰ δ' ἄλλα πάντα διαφοραὶ, αἷς συνίσταταί τε καὶ τῶν ἄλλων θερμασιῶν διενήνοχεν· οὐ γὰρ εἴ τι παρὰ φύσιν θερμασία, τοῦτ' ἐστὶ πυρετός· πυρετός γε μὴν*
4 *ἅπας παρὰ φύσιν γε θερμασία. Αὐτίκα ἡ ἐν* p.3
*πνεύμασιν ἐξ ἡλιοκαΐας ἢ πυρὸς ἢ ἄλλου τοῦ τῶν προκαταρκτικῶν αἰτίων γινομένη παρὰ φύσιν θερμότης, οὔπω δ' εἰς τὴν καρδίαν ἰοῦσα, ἤτοι τὸ σῶμα αὐτῆς, ἢ τοὺς περιεχομένους ἐν ταῖς κοιλίαις αὐτοὺς χυμοὺς, ἢ τὴν ἀερώδη οὐσίαν κατειληφυῖά τε καὶ ἀνάψασα, πυρετὸς*

genus, non in effictione, sed in complexione distemperantia caliditas quaedam est, quam ariditas quoque comitatur. Febrium namque essentia in caliditatis contra naturam est genere: cetera vero sunt differentiae, quibus constat, ab aliisque differt caliditatibus: neque enim est idem contra naturam calor, quod febris: tametsi quaelibet
4 febris est contra naturam calor. Namque confestim in flatibus circumventi solis fervore incaluerunt aut ignis aliave quapiam procatarctica causa membri alicujus contra naturam subiere caliditatem, quae necdum in cor penetrarit, corpus aut in alvo humores comprehendens, essentiamve aërosam succendens, febris neque est,

οὔτ᾽ ἔστιν, οὔτε λέγεται· πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Δεῖ γὰρ ἐκ καρδίας ἄρχεσθαι, καὶ διὰ πνευ- 5
μάτων καὶ αἵματος ἀπὸ ταύτης ἐφ᾽ ἅπαν ἰέναι τὸ σῶμα τὸν πυρετόν· ὅπερ οὐκ ἐνῆν τῇ προῤῥηθείσῃ θερμότητι· ταῦτά τοι πρόςκειται ἐν τῷ ὅρῳ τὸ, ἀπὸ καρδίας μὲν ἀρχομένη. Κἂν γὰρ 6
ὁ πυρετὸς τοῦ ὅλου σώματος ᾖ νόσος, ἀλλ᾽ οὖν προηγουμένως μέν ἐστι τῆς καρδίας, ἑπομένως δέ γε τοῦ ὅλου σώματος· πῶς γὰρ ἂν ἡ παρὰ φύσιν θερμότης εἰς ὅλον ἰέναι τὸ σῶμα δυνήσαιτο, μὴ πρότερον τὴν καρδίαν ἀνάψασα; ἢ τί τῶν ἄλλων μορίων, θερμαινόμενον παρὰ φύσιν, οἷόν τέ ἐστι τὸ ὅλον σῶμα θερμᾶναι, καὶ τὴν, ἣν ἔχει, διάθεσιν τῷ παντὶ μεταδοῦναι, καθάπερ ἡ καρδία μόνη τῶν ἄλλων δύναται, μὴ

neque dicitur: pluribus siquidem aliis adhuc opus est. A corde enim sumat initium necesse est, 5
perque spiritus et sanguinem ab ipso in corpus universum diffusa febris, quod in jam memorata caliditate non fuit: haec nempe in definitione posita sunt, a corde sumens initium. Si namque 6
febris totius corporis est aegritudo, an non procedit, ut sit cordis, consequiturque, ut totius sit corporis? Quo pacto namque contra naturam caliditas in totum diffundi corpus potuerit, nisi prius cor succendatur? aut quod aliud membrum contra naturam calescens, totum potest corpus calefacere, et quam habet affectionem toti tribuere? sicut cor solum inter cetera potest circa

*διὰ μέσης τῆς καρδίας τοῦτο ποιῆσαν, πρῶτον μὲν ἐκείνην, ἔπειθ' ὅλον τὸ σῶμα διὰ ταύτης ἀνάψαν; οὐ πάντως αἴτιον τὸ μᾶλλον τῶν ἄλλων ἐκείνην χορηγεῖν τε καὶ διοικεῖν ὅλον τὸ σῶμα ταῖς ἰδίαις ἐπιῤῥοαῖς· ὥστε δῆλον ἐντεῦθεν, ὡς ἡ ἐν τῇ καρδίᾳ παρὰ φύσιν ἀναφθεῖσα*
7 *πρώτως θερμότης ἀληθὴς ἀρχὴ πυρετοῦ. Ἀρχὴν δὲ λέγω τὴν οἷα μεγέθους, οὐδὲ ταύτης τὴν ἀμερῆ, ἀλλὰ τὴν δυναμένην τῷ ὅλῳ μεγέθει συνδιαιρεῖσθαι· ἀληθὴς γὰρ τῷ ὄντι πυρετὸς ἡ ἐν τῇ καρδίᾳ παρὰ φύσιν ἀναφθεῖσα θερμότης, κἂν μήπω τῷ ὅλῳ μεταδοθῇ, τῷ ποσῷ μόνον τῆς ἐν τῷ παντὶ διαφέρουσα, ἐπεὶ καὶ τὸ ὅλον ἡ καρδία μόνη δυνάμει, οὐκ ἄλλο τῶν μορίων οὐθέν.*

medium ullum efficere, ut primo ipsum, dein totum corpus ab ipso succendatur, cujus est prorsus causa? quod totius sit potius principium cor, inde magis aliis suis profluxibus suppetit toti corpori atque administrat, et perinde hinc non dubium, quin in corde contra naturam primo suc-
7 censa caliditas verum sit febris initium. Principium autem, inquam, sicuti magnitudinis non hujusmodi sub partitionem non cadens, sed quod in potestatem veniat dividendi cum tota magnitudine. Vera namque febris in corde contra naturam succensa caliditas, tametsi etiam toti quodammodo non attribuatur, quantitate duntaxat in toto differens, quandoquidem totum corpus cor solum potest, non aliquod aliud membrum.

III. Ἀλλ' ἀπορῆσαι ἄξιον, διὰ τί καὶ τὸ παρὰ φύσιν γένος ἐστὶ τοῦ πυρετοῦ· δοκεῖ γάρ πως διαφορὰν αὐτὸ εἶναι, ᾗ διαφέρει θερμοῦ τοῦ κατὰ φύσιν ὁ πυρετὸς, μόνη δ' ἡ θερμασία
p.365 γένος· ὁ μὲν οὖν περὶ τοῦ τῶν ὁμωνύμων λόγος ἐκεῖνα χρὴ διορίσασθαι πρῶτον, περὶ οὗ αὐτῷ πρόκειται λέγειν, ἵνα σαφὴς γένηται, ὡς περὶ κυνὸς τῷ ἀστρῴῳ καὶ τῷ χερσαίῳ διοριζόμεθα λέγοντες. Ἐπειδὴ οὖν καὶ ἡ θερμασία 2
τῶν πολλαχῶς ἐστι λεγομένων, ἡ μὲν γάρ ἐστι συστατικὴ τοῦ ζώου, ἥτις καὶ κατὰ φύσιν λέγεται, ἡ δὲ φθαρτικὴ, ἥπερ καὶ παρὰ φύσιν καλεῖται, καὶ ἀμφοτέρων τὸ εἶναι ἐν τῷ παρὰ φύσιν ἢ τῷ κατὰ φύσιν ἐστίν· ἀνάγκη τὸν περὶ ταύτης λόγον διασημᾶναι πρῶτον περὶ ποίας οἱ

III. Ceterum aequum sit intueri, cur contra naturam genus est febris: videtur namque quodammodo esse differentia, qua febris differt ab ea caliditate, quae naturalis est, solaque genus caliditas: de hujusmodi itaque aequivocis habeatur oratio. Illud expedit primo definire, quo fit apertius de quo dicere propositum sit, sicuti de cane de coelestine an terrestri faciendo definitio. Quo- 2
niam igitur multipliciter dictorum est caliditas, una quidem, quae animal constituit, quae et naturalis nuncupatur, altera a corruptione proveniens, quae et contra naturam aut per naturam: quare de hac primo, cujus est intentio, explicabilem orationem

34*

3 ὁ σκοπός. Σημαίνεται δὲ τὰ ὁμώνυμα τῷ λόγῳ τῆς οὐσίας αὐτῶν, ὁ δὲ λόγος τῆς οὐσίας γενικὸς ἑκάστου, γένος αὐτοῦ ἐστιν· εἰκότως ἄρα καὶ τὸ παρὰ φύσιν γένος ἐστὶ τοῦ πυρετοῦ, ὡς λόγος ὑπάρχων γενικὸς τῆς οὐσίας αὐτοῦ, ᾧ σημαίνεται, καὶ τὸ εἶναι ἔχει, καὶ οὐχ ἡ θερμασία μόνη.

IV. Καλῶς δὲ τῷ ὅρῳ πρόςκειται καὶ τὸ, προϊοῦσα δ᾽ ἐκ ταύτης δι᾽ ἀρτηριῶν καὶ φλεβῶν ἐφ᾽ ἅπαν τὸ σῶμα. Δύναται μὲν γὰρ τὰ παρὰ φύσιν θερμανθέντα μόρια τῇ ἁφῇ τὰ πλησιέστερα τῶν μορίων θερμᾶναι, καὶ ταῦτα ἄλλα,
2 κἀκεῖνα ἕτερα. Ἐπεὶ δὲ πᾶν τὸ ἐκ τῆς καρδίας θερμὸν, εἰς ὅλον τὸ σῶμα παραπεμπόμενον, διὰ

3 habere necesse est. Exprimuntur namque aequivoca oratione, quaenam ipsorum sit essentia: oratio enim generalis uniuscujusque essentiae ipsius est genus: jure ergo etiam contra naturam genus est febris, utpote oratio, existens generalis essentiae ipsius, sicut significatur, habet ut sit, ac non sola caliditas.

IV. Recte quoque positum est in definitione illud, ex ipso procedens per arterias et venas in universum corpus: possunt siquidem contra naturam quae incaluere membra tactu proxima calefacere membra, et ea rursum alia, et illa porro
2 alia ad extrema usque. Cum vero omnis ex corde calor distribuitur, in corpus universum per medium

μέσων ἴεται τοῦ πνεύματος καὶ τοῦ αἵματος, ἃ παντὶ πρόςεστι μορίῳ τοῦ σώματος, ἐκ τῆς αὐτῆς ἰόντα καρδίας, εἰκότως τὴν παρὰ φύσιν θέρμην, ἐκ τῆς καρδίας ἀρχομένην, δι᾽ ἀρτηριῶν καὶ φλεβῶν εἰς ἅπαν ἰέναι τὸ σῶμά φαμεν. Τοῖς γὰρ αὐτοῖς, οἷς τὸ φυσικὸν θερμὸν παντὶ μορίῳ τοῦ σώματος μεταδίδωσιν ἡ καρδία, καὶ τὸ παρὰ φύσιν θερμὸν παραπέμψει, καὶ μάλισθ᾽ ὅτε καὶ ὁ πυρετὸς δοκεῖ τὸ φυσικὸν θερμὸν εἶναι, εἰς τὸ πυρῶδες μεταβληθέν.

V. Τό γε μὴν καὶ τὰς φυσικὰς αἰσθητῶς βλάπτουσα ἐνεργείας, ὅπερ ἐστὶ τὸ τελευταῖον τοῦ ὅρου, χωρίζει τὸν πυρετὸν ἀπὸ θυμοῦ τε καὶ τῶν ὁμοίων· ὁ γὰρ θυμὸς οὐ βλάπτει τὰς
p.366 ἐνεργείας αἰσθητῇ τινι βλάβῃ, ἐφ᾽ ᾗ πυρετὸς
γένοιτο. Βουλόμεθα δὴ τὸν πυρετὸν διὰ τού- 2

ierit, spiritum et sanguinem ex ipso corde in omne corporis membrum jure calorem contra naturam, ex corde ortum habentem, per arterias et venas in totum corpus dicimus diffluere. Eisdem enim, quibus naturalem calorem in omne corporis membrum cor transfundit, contra naturam quoque calorem videtur naturalem in flagrantiam permutasse.

V. Dein illud naturales sensus offendens actiones, qui est finis definitionis, febrem separat a furore atque similibus. Furor namque aliquo sensibili nocumento non offendit, nisi febris adsit. Ob hoc volumus febrem non omnem 2

του οὐ πᾶσαν εἶναι τὴν παρὰ φύσιν θερμασίαν, κἂν δι' ἀρτηριῶν καὶ φλεβῶν ἐκ καρδίας τῷ ὅλῳ μεταδοθῇ σώματι, ἀλλ' ἐκείνην μόνην, ἥ ἐστι νόσος· νόσος γὰρ ἡ παρὰ φύσιν διάθεσις, τὰς ἐνεργείας βλάπτουσα.

VI. Ἐνεργείας δέ φαμεν φυσικὰς τὰς τῆς φυσικῆς ψυχῆς δυνάμεως ἐνεργείας, αἳ μάλιστα τῇ παρὰ φύσιν βλάπτονται θερμασίᾳ διὰ τὸ γίνεσθαί τε καὶ τελεῖσθαι τῶν ἄλλων μᾶλλον ὥςπερ δι' ὀργάνου τοῦ φυσικοῦ θερμοῦ· τὸ γὰρ τῶν φυσικῶν δυνάμεων ὄργανον ἡ τῶν μορίων ἐστὶ κρᾶσις, ὥςπερ αὖ πάλιν τῶν ζωτικῶν ἡ τῶν
2 αὐτῶν τούτων ἰδία διάπλασις. Τὸ δὲ φυσικὸν θερμὸν μὴ τῶν ἁπλῶν, ἀλλὰ τῶν κεκραμένων εἶναι τίς ὅλως ἀμφαγνοεῖ; ἢ καὶ φυσικὰς ἐνερ-

esse contra naturam caliditatem, tametsi per arterias et venas corque in totum corpus transfundatur, sed illa tantum, quae est morbus: nam morbus, contra naturam affectio, offendit sensus actiones.

VI. Actiones autem dicimus naturales potestatis naturalis animae actiones, quae caliditate imprimis contra naturam offenduntur: ob hoc malarum potestatum instrumentum est membrorum complexio, quemadmodum porro vitalium
2 horum ipsorum sua effectio. Atqui naturalis calor non simplicium, sed mixtorum esse, prorsus a quoquam non ambigitur, licet naturales actiones

γείας ἐστὶν εἰπεῖν ἁπάσας τὰς τῆς ψυχῆς ἐνεργείας τῷ τε φύσει ταύτας τελεῖσθαί τε καὶ γίγνεσθαι, καὶ τῷ μήτε τὸ αἰσθάνεσθαι, μήτε τὸ κινεῖσθαι, μήτε μὴν τὸ τρέφεσθαι καὶ αὔξεσθαι καὶ γεννᾶν ἄνευ τοῦ φυσικοῦ καὶ ἐμφύτου θερμοῦ μὴ δύνασθαι γίγνεσθαι· ἡ γὰρ τῶν ὁμοιομερῶν κρᾶσις τῆς διαπλάσεως βάσις ἐστὶ καὶ θεμέλιος.

VII. Ταῦτά τοι τῇ παρὰ φύσιν θερμότητι πάσας ὁρῶμεν βλάπτεσθαι τὰς τῆς ψυχῆς ἐνεργείας, καὶ μᾶλλον ἐκείνας, ἃς φυσικὰς ἰατρῶν παῖδες καλοῦσιν· ἐξ οὗ δῆλον, ἁπάντων τῶν ἄλλων νοσημάτων τὸν πυρετὸν δεινότερον καὶ ἐπαχθέστερον εἶναι, ἀρχόμενον μὲν ἀπὸ τῆς ἀρχοειδεστάτης ἀρχῆς, τῆς καρδίας, εἰς ὅλον δὲ προϊόντα

dicamus omnes animae actiones, quod eae a natura fiant atque perficiantur, quodque neque sentiantur, neque moveantur, neque alantur, neque augeantur ac generent, et absque naturali insitoque calore fieri non possint: similium namque partium complexio effictionis sedes est atque fundamentum.

VII. Et perinde contra naturam caliditate cunctas intuemur animales offendi actiones: praecipue eas, quas naturales medici solent appellare, unde dubium non relinquitur, quin omnium aliarum aegritudinum febris sit gravissima atque infestissima, a totius corporis arce eminentissima, cordis principio, in totum profusa corpus omnes

*τὸ σῶμα καὶ πάσας τὰς ἐν ἐκείνῳ βλάπτοντα*
2 *ἐνεργείας. Οὕτω μὲν οὖν καὶ διὰ ταῦτα πυρετός*
*ἐστι παρὰ φύσιν θερμασία, ἀπὸ καρδίας μὲν*
*ἀρχομένη, προϊοῦσα δ' ἐκ ταύτης δι' ἀρτηριῶν*
*καὶ φλεβῶν ἐφ' ὅλον τὸ σῶμα καὶ τὰς φυσικὰς*
*αἰσθητῶς βλάπτουσα ἐνεργείας, καθάπερ εἴρη-*
3 *ται. Ἐπεὶ δὲ παρὰ φύσιν αὐτὸν λέγομεν θερ-*
*μασίαν, δίκαιον ἂν εἴη φάναι τίς τε φυσικὴ*
*πρῶτον, τίς τε παρὰ φύσιν θερμασία· τοῦ γὰρ* p.367
*γένους ἐκδήλου γεγονότος, τάχα καὶ τὸ οὗ ἐστι*
*γένος οὐκ ἀγνοηθήσεται.*

VIII. *Φυσικὴ τοίνυν ἐστὶ θερμότης, τὴν αὐτὴν δέ φημι καὶ ἔμφυτον δήπου θερμόν, ἧς ἡ ἀρχὴ τοῦ ζώου ἡ φύσις· συμφύεται γὰρ τῷ ζώῳ, καὶ διὰ τοῦτο λέγεται φυσική, ὄργανον*

2 in eo offendit actiones. Ita igitur et hac de
causa febris est contra naturam caliditas, a corde
sumens initium, ex eoque procedens per arte-
rias et venas in totum corpus, naturales, ut jam
3 dictum est, sensus offendit actiones. At quo-
niam contra naturam ipsam dicimus esse calidita-
tem, par erit primo quid sit naturalis aperire,
quidque contra naturam caliditas, genere namque
manifestato, fortassis etiam cujus sit genus non
ignorabitur.

VIII. Naturalis itaque est caliditas, talis, inquam, est et insitus calor, cujus natura est animalis, principium cum animali namque nascitur, et ob hoc dicitur naturalis, instrumentum

οὖσα καθόλου τῶν τῆς ψυχῆς δυνάμεων· οὐδὲ γὰρ οἷόν τε τὴν ψυχὴν ἄνευ τοῦ τοιούτου θερμοῦ παράξαι τινὰ τὴν τυχοῦσαν ἐνέργειαν. Ἅπαν 2
γε μὴν ὄργανον ἀνάλογόν τε ἐκείνῳ δεῖ εἶναι, οὗ ἐστιν ὄργανον, καὶ τὸν προςήκοντα λόγον πρὸς τὸ ἔργον καὶ τὸ ἀποτέλεσμα σώζειν· ἄλλως γὰρ τό τε ὄργανον τότε οὐ ἐστιν ὄργανον, καὶ τὸ δι᾽ ὃ τὸ ὄργανον, μάτην ἂν εἴη, καὶ οὕτως ἐν τοῖς οὖσι καθ᾽ αὑτὸ δήπου τι μάτην συνειςαχθείη. Δεῖ ἄρα καὶ τὴν ἔμφυτον θερμασίαν, 3
ὄργανον οὖσαν ψυχῆς, ὥςπερ εἴρηται, μὴ ἀπολελυμένην τε καὶ ἁπλῆν ἔχειν τὴν κρᾶσιν, ἀλλ᾽ ἀναφερομένην πρός τε τὰς τῆς ψυχῆς δυνάμεις, πρός τε τὰ ἔργα τούτων, κἀκείνοις ἀνάλογον εἶναι, καὶ διὰ ταῦτα ξυγκεκραμένην ψυχρῷ τε καὶ ὑγρῷ καὶ ξηρῷ, καὶ εὔκρατόν τε καὶ σύμ-

existens in totum animalis potentiae. Neque enim possibile est, animam citra ejusmodi calorem in aliquod agendi munus descendere. Omne nempe 2
instrumentum proportionale cum eo cujus instrumentum esse necesse est. Id nimirum fuerit si secus frustra instrumentum atque ita in auribus per se aliquid frustra conjectum fuerit. Oportet 3
ergo et insitam caliditatem animae, ut dictum est, esse instrumentum, ac indissolubilem simplicemque habet complexionem. Ceterum sublata in animae potentias et in earum opera, etiam illis erit proportionalis, et perinde remixta frigido et humido et arido et temperata et moderata

μετρον· καὶ καλοῖτ᾽ ἂν διὰ ταῦτα δικαίως φυσική τε καὶ ἔμφυτος κρᾶσις, μᾶλλον δὲ ἀπὸ ταύτης ἡ φυσικὴ καὶ ἔμφυτος κρᾶσις θερμὴ λέγοιτ᾽ ἄν, τοῦτο μὲν, διὰ τὸ ἐν τῇ τῶν λόγων κράσει τὸ θερμὸν τὰς ἄλλας νικᾶν καὶ ὑπερβάλλειν ποιότητας· τὰ γὰρ ζῶα θερμὰ δήπου διὰ τὴν ἐν αὐτοῖς ὑπερβάλλουσαν θέρμην καὶ τὰς λοιπὰς νικῶσαν ποιότητας· τοῦτο δὲ, διὰ τὸ τὸ θερμὸν δραστικώτατον εἶναι τῶν ἄλλων ἁπασῶν ποιοτήτων· οὐδεμία γάρ τε γειτνιῶντα
4 αὐτῇ μεταβάλλει ποιότης, ὡς τὸ θερμόν. Τοιαύτη μὲν οὖν ἡ φυσικὴ καὶ ἔμφυτος θερμασία· ἡ δὲ παρὰ φύσιν ἐστὶν ἡ ἔκ τινος ἐξωτερικῆς αἰτίας, ἥτις ποτ᾽ ἂν εἴῃ, μήτε οἰκείας τῇ φύσει,

jureque ob id fuerit appellata naturalis et insita complexio, sed magis ob ea naturalis et insita complexio dicta fuerit caliditas. Haec ipsa ob id in rationum complexione caliditas, ceteras superat exceditque qualitates. Animalia namque calida perhibentur, ob eamque in ipsis excedit caliditatem reliquas vincentem qualitates, hoc nimirum ob eam quae in ipsis excellens est caliditatem, reliquas superantem qualitates, idque quod omnium aliarum qualitatum caliditas sit efficacissima. Nulla siquidem ei vicina ipsam
4 qualitas comitarit, ut ea ipsa alias. Haec igitur naturalis atque insita caliditas. Quae contra naturam est, ea ex aliqua extrinseca causa, quae sit

*μήτε μὴν ἀπὸ ταύτης τὴν ἀρχὴν εἰληφυίας, ἐπερχομένη τῷ σώματι, οὐκ ἀνάλογον ὄργανον οὖσα τῶν φυσικῶν δυνάμεων, οὐδὲ τὸν ἁρμόζοντα πρὸς τὰ ἔργα, σώζουσα λόγον, τοῦτο μὲν,*
p.368 *τῷ ἐπείσακτον καὶ ἀλλοτρίαν εἶναι, τοῦτο δ' αὖ πάλιν, τῇ ἑαυτῆς δυσκρασίᾳ μὴ σώζουσα τὴν πρὸς τὰς δυνάμεις καὶ τὰ ἔργα ἀναλογίαν· λέγοιτο δ' ἂν ἡ τοιαύτη καὶ παρὰ φύσιν κρᾶσις, πρὸς τὸ θερμότερον ἀποκλίνουσα, κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον τῆς ἐμφύτου θερμότητος.*

IX. *Ἰστέον δὲ, ὅτι, ὥσπερ ἔμφυτον, οὕτω καὶ ἐπείσακτον θερμὸν λέγομεν, οὐ μὴν δὲ, ὥσπερ ἐπείσακτον, οὕτω καὶ ἔμφυτον ψυχρὸν λέγομεν· οὗ πάντως αἴτιον τὸ μὴ ἁπλῶς τε καὶ*

neque familiaris naturae, neque ab ipsa capiens principium corpori adveniens, non proportionale existens instrumentum naturalium potestatum, neque custodiens ad congrua opera rationem, haec acquisititia et aliena est: quae porro sua distemperantia neutiquam conservans ad potentias et opera proportionem, ejusmodi etiam diceretur contra naturam complexio, ad majorem calorem declinantem, juxta eam rationem, qua insita cognataque caliditas.

IX. Nos autem ne praetereat, quod quemadmodum insitam, ita et adventitiam dicimus caliditatem, nec tamen ut adventitiam ascititiamque ita et cognatam dicimus frigiditatem cujus omnino causa non simpliciter, ac per se frigiditas naturae

καθ' αὑτὸ τὸ ψυχρὸν τὸ τῆς φύσεως ἔργον εἰςδύεσθαι, καθάπερ καὶ τὸ θερμόν· ἀλλότριον γὰρ καὶ φθαρτικὸν τῆς τῶν ἐμψύχων, καὶ μάλιστα τῆς τῶν ζώων φύσεως τὸ ψυχρὸν, καὶ ἀκινησίας μᾶλλον ἢ κινήσεως αἴτιον. Εἰ γάρ που καὶ γίνεται τῇ φύσει γε συμπαρομαρτοῦν, οὐ καθ' αὑτό γε μὴν, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός.

X. Φανερὸν οὖν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι ἡ φυσικὴ καὶ ἔμφυτος θερμότης παρὰ φύσιν θερμότητος διενήνοχε πρῶτον μὲν τοῖς αἰτίοις, ἔπειτα τῷ εὐκράτῳ τε καὶ δυςκράτῳ, καὶ ὅλως ὥςπερ τὸ ἄκρον τοῦ μέσου· ὡς γὰρ ἀρετὴ πρὸς κακίαν, οὕτως εὐκρασία πρὸς δυςκρασίαν· κἀντεῦθεν ἑπομένως τῷ τε εἴδει καὶ τῇ μορφῇ, καθάπερ τὸ ὑγιεινὸν τοῦ νοσώδους διενήνοχε

opus induit, sicut et caliditas, extrarium enim et corruptorium animatorum et imprimis animalium frigiditas, atque incommobilitatis potius quam motus causa, nam quamvis naturam comitari quodammodo videatur, non utique per se, sed per accidens.

X. Ex eis igitur quae dicta sunt non dubium quando naturalis et insita caliditas ab ea quae contra naturam differat. Primo quidem causis, dein bona temperie, ac mala temperie, ac omnino ut extremum medio. Nam quemadmodum virtus ad vitium, ita bona temperies ad malam temperiem; hinc quoque consequenter specie ac forma tanquam sanum ab aegroto corpore differt

σώματος περί γε μὴν τὸ αὐτὸ ὑποκείμενον ἄμφω, ὡς πρὸς τρόπου τοῖς ἐναντίοις, εἰώθασι γίγνεσθαι, εἴτε πνεῦμα, εἴτε χυμὸς, εἴτε μόριον τοῦτ᾽ ἂν εἴη, ἐν ᾧ πρὸς ἀλλήλας καὶ ποιοῦσι καὶ πάσχουσι. Τὸ γὰρ ἔμφυτον θερμὸν ἢ εὔκρα- 2
τον τῷ παρὰ φύσιν θερμῷ, καθάπερ ἄκρῳ μέσον, ἀντίκειται, καὶ ἐναντία ἡ ἔμφυτος θέρμη τῇ παρὰ φύσιν θερμότητι· καθάπερ γὰρ ἀρετὴ κακία, ὡς μικρῷ πρόσθεν ἐλέγομεν. Τοιαύτη μὲν οὖν ἥ τε κατὰ φύσιν, εἴτε παρὰ φύσιν θερμότης, καὶ τοιαύταις ἀλλήλων διαφοραῖς, ὡς ἐκ πολλῶν ὀλίγα λέγειν, διενηνόχασι.

XI. Ἐπεὶ δ᾽ ὁ πυρετὸς δοκεῖ τε καὶ λέγεται τὸ φυσικὸν θερμὸν εἶναι πρὸς τὸ πυρῶδες μετάβαλον, φέρε θεωρήσωμεν, εἰ καλῶς δοκεῖ τὰ καὶ λέγεται· ἔχει γάρ πως φυσικωτέραν θεωρίαν ἡ σκέψις.

Nempe ambo circa idem subjectum, veluti contrariis esse consuevit, sive flatus, sive humor, sive aliqua portio fuerit, in qua inter se invicem faciunt et patiuntur, sicut virtus vitiumque, veluti paulo ante dicebamus. Hujusmodi itaque natu- 2
ralis et contra naturam caliditas, talibus inter se invicem differentiis, ut multa paucis absolvam, differunt.

XI. At quoniam febris videtur ac dicitur naturalis esse caliditas in flagrantiam commutata, age inspiciamus rectene putetur ac dicatur: habet enim haec conjectatio inspectionem magis naturalem.

XII. *Φημὶ δὴ, δυοῖν ἐναντίων πρὸς ἄλληλα
δρώντων τε καὶ πασχόντων ἐν τῇ αὐτῇ ὕλῃ, θά-
τερον μὲν ἐκβάλλεσθαί τε καὶ φθείρεσθαι,
θάτερον δὲ ἀντεισάγεσθαι· οὐδὲ γὰρ καὶ ἄμφω
δυνατὸν ἐντελεχείᾳ ἐν τῷ αὐτῷ παρεῖναι ὑποκει-
μένῳ, οὐδ' αὖ τοῦ αὐτοῦ ἀπεῖναι ὑποκειμένου,
ἀλλὰ θατέρῳ μὲν ἐπερχομένῳ θάτερον ἀνάγκη
τῆς ὕλης παραχωρῆσαι, θατέρου δὲ παραχω-
ροῦντος, θάτερον αὖθις εἰσιέναι, καὶ τὴν ὕλην
2 εἰδοποιεῖν. Οὐδέποτε γὰρ, οὐδ' ἐν αὐτῷ τῷ νῦν
τοῦ χρόνου τῷ ἀμερεῖ, τὴν δεκτικὴν τῶν ἐναν-
τίων ὕλην τε καὶ οὐσίαν ὑπὸ μηδετέραν, οἷόν τε,
φύσει τῶν ἐναντίων, εἶναι μορφὴν, οὐδ' αὖ τὰ
πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα, κἂν ὑπὸ τὸ αὐτὸ
γένος ᾖ, τὴν ἐν τῷ αὐτῷ φέρει δίαιταν, ἄλλως*

XII. Duorum inquam contrariorum in se
invicem agentium ac patientium in eadem materia.
Alterum quidem ejectatur ac corrumpitur. Alte-
rum autem insistit et urget, neque enim amborum
entelechiam in eodem subjecto esse possibile est:
neque porro ab eodem abesse subjecto, sed alte-
rius quidem accessu alterum a materia secedere
necesse est. Alterutrius autem secessu alterum
2 rursus subire materiam informando. Nunquam
enim eodem temporis momento indivisibili mate-
ria essentiaque contrariorum est susceptrix, neu-
traque potest a natura contrariorum esse forma:
neque rursum plurimum inter se invicem differen-
tia, tametsi sub eodem sint genere, in eodem ali

ὑπ' ἄλλῳ τεταγμένῳ τε καὶ διακειμένῳ· οὐδὲ γὰρ πρὸς τὸν λόγον, καὶ εἰ τὰ μὲν ἔμμεσα, τὰ δ' ἄμεσα εἴη τῶν ἐναντίων. Καὶ περὶ ἀμφοτέ- 3
ρων γὰρ ὁ αὐτὸς ἁρμόζει λόγος, ὅσα γε πρὸς τὴν ὕλην τε καὶ μεταβολήν· καὶ ἄλλως δὲ, τὰ μέσα τοῖς ἄκροις πῶς τὰ αὐτά; Ἐπεὶ δὲ πᾶσα 4
φυσικὴ δρᾶσις ἢ πεῖσις, ἡ ἐν τῷ γίγνεσθαι τὸ εἶναι ἔχουσα κίνησις, κίνησις δὲ ἐν χρόνῳ, τοῦ δὲ χρόνου τὸ μὲν ἀρχὴ, τὸ δὲ μέσον, τὸ δ' ἄκρον καὶ ἔσχατον, ἔτι δὲ καὶ τἀναντία, ἐν οἷς ἡ κίνησις, ἔμμεσα, πολλῶν ὄντων μεταξὺ τοῖν δυοῖν εἰδῶν τε καὶ ὑποστάσεων, ἀνάγκη μήτ' ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς κινήσεως θάτερον μὲν τῶν ἐναντίων φθαρῆναι, θάτερον δὲ ἀντειςαχθῆναι, μήτε μὴν ἐν τῷ μέσῳ· μάτην γὰρ ἂν ἦν ἡ ἀπὸ τῆς

possunt, alio sub alio instructo atque disposito. Neque enim si haec medium obtinentia illa sine medio fuerit contraria. De ambobus namque ea- 3
dem congruit oratio, haec ita quae ad materiam mutationemque pertinent: alioqui media quomodo extremis eadem. At quoniam omnis naturalis 4
actio factiove in eo, quod fit, habens ut sit, motus est, at motus in tempore, temporis porro principium mediumque et extremum ac ultimum est, itidem etiam contraria in quibus motus in medio posita, multis inter duo existentibus speciebus ac distantiis: necesse non est in ipso motus principio alterutrum quidem contrariorum corrumpi. Alterum autem in contrarium agi ne quidem in medio.

ἀρχῆς ἄχρι τοῦ μέσου καὶ τελευταίου, καὶ ἡ ἀπὸ τοῦ μέσου πάλιν ἐπὶ τὸ ἔσχατον κίνησις. Λείπεται τοίνυν μόνον ἐν τῷ τῆς κινήσεως ἄκρῳ τε καὶ ἐσχάτῳ τὸ μὲν τῶν ἐναντίων πάντη φθαρῆναι καὶ μηκέτι εἶναι, τὸ δὲ ἀντειςαχθῆναι κατὰ τὸ αὐτὸ νῦν τοῦ χρόνου, ὃ καὶ ὅρος ἐστὶ τῆς κινήσεως ὃ εἰς ὅ· καὶ μεταξὺ δὲ τοῖν δυοῖν ὅροιν, τοῦ τ' ἐξ οὗ, τοῦ τ' εἰς ὅ, πολλὰ τῶν μέσων εἰδῶν ἀνάγκη γίγνεσθαι δήπου, τοῦ μὲν προηγούμενα, τοῦ εἰς ὅ, τῷ δ' ἑπόμενα, τῷ ἐξ οὗ, ἃ οὐδέτερον τῶν ἄκρων οὔτ' ἔστιν, οὔτε λέγεται, οἷον φαιὸν, ὠχρὸν, ἐρυθρὸν καὶ τἄλλα τῶν μέσων, εἰς ἃ πρῶτον μεταβάλλει τὸ ἐκ τοῦ

Incassum siquidem est a principio ad medium ac finem, et rursus a medio ad ultimum motus. Relinquitur itaque solum in motus extremo ac ultimo unum quidem contrariorum omnifariam absumi et neutiquam esse. Alterum autem in diversum agi eodem temporis momento, qui etiam motus est terminus, qui ad quod, et inter eum qui agant in diversum eodem temporis momento, qui terminus est etiam motus, qui ad quod et inter duos terminos, hoc ex quo hoc in quod, mediarum specierum multas fieri necesse est, hujus quidem praecedentes in quod, consequentes autem id quod est ex quo, quorum neutrum extremorum est, neque dicitur, ut fulgens, pallidum, rubrum: cetera quae media in quae primum mu-

μέλανος εἰς λευκὰ μεταβάλλον, ὃ οὔτ' ἔστιν, οὔτε λέγεται λευκὸν ἢ μέλαν ἁπλῶς, εἰ μήπου τοῖν δυοῖν ἄκροιν παραβαλλόμενον, πρὸς ἐκεῖνο μὲν μέλαν, πρὸς δὲ τοῦτο λευκὸν λέγοιτ' ἄν, ἁπλῶς δὲ οὐκ ἔστιν, εἰ μή τις τὰ εἴδη συγχέειν βούλοιτο. Τὰ αὐτὰ δ' ἂν φαίη τις καὶ περὶ τῶν 6
ἀποστάσεων τῶν αὐτῶν καὶ τῶν ἄκρων πλὴν ὅτι τῶν ἄκρων μὲν ἐκεῖνα τῷ εἴδει, αἱ δ' ἀποστάσεις τῶν αὐτῶν τῷ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον καὶ τῇ αὐτομάτητι διαφέρουσι. Τὰ αὐτά δὴ πάντα κἂν τῷ 7
πυρετῷ νοῶν, οὐκ ἂν ἁμάρτοις. Τοῦ γὰρ ἐπεισάκτου καὶ ἀλλοτρίου θερμοῦ τὸ ἐν ἡμῖν πνεῦμα, ἢ χυμὸν, ἢ μόριον, ἅπερ εὔκρατά ἐστι τῇ τοῦ θερμοῦ, ἣν ἐλέγομεν, εὐκρασίᾳ, θερμαίνοντός τε καὶ ἀλλοιοῦντος, ἀνάγκη θερμό-

tatur, quod ex nigro in alba mutando, quod neque est, neque dicitur album, aut nigrum simpliciter, nisi duobus extremis comparatum ad illud quidem nigrum, ad hoc autem album diceretur, at simpliciter non est, nisi quispiam species velit confund ere. Eadem dixeris de ipsorum distantiis 6
atque extremis, nisi quod extremorum quidem illa specie, per distantias suas magis et minus, et in secabilitate differunt haec omnia, febrim intelligens, non fuerit hallucinatus. Nam ascititii et 7
extrarii caloris qui in nobis est spiritus, aut humor aut portio quae moderata sunt calore, quam dicimus in moderantiam calefacientis et alterantis quodlibet se calidius evadere necesse est; quem-

τερον ἑαυτοῦ γίγνεσθαι ἕκαστον, ὥςπερεὶ ἐκ
ψυχροῦ ἢ χλιαροῦ μετέβαλλεν εἰς θερμόν· ἐπεὶ
δὲ τὸ θερμαινόμενον οὔπω τεθέρμασται, τὸ δὲ
τεθερμάσθαι ὅ εἰς ὅ τῆς θερμάνσεως ὅρος, δεῖ
πάντως τὸ ἐξ εὐκράτου θερμαινόμενον ἄχρι τοῦ
τεθερμάσθαι διὰ μέσων ὅτιπλείστων εἰδῶν τε καὶ
ἀποστάσεων ἰέναι τῆς παρὰ φύσιν θερμότητος,
ὧν οὐδεμία τῷ ἄκρῳ πάντη παρόμοιος, οὐδ' ἕξις
8 ἔστιν, οὐδὲ λέγεται. Τὸ δὲ τοιοῦτον μέσον, τὸ
δὴ τοῦ σώματος ἀλλοιώσεων, εἴτε θέρμανσις, εἴτε
ψύχρανσις εἴη, εἴτε καὶ ἄλλη τις τῶν ἐκ τῶν
πρώτων ποιοτήτων παρωνύμως γε λεγομένων,
παρ' ἰατροῖς δυςκρασία λέγεται διὰ τὸ τὴν τῶν
ἐναντίων ἐν αὐτῇ μάχην ἐνεστάναι· δυςκρασία
μὲν τῷ μὴ ἀνάλογος εἶναι ταῖς φυσικαῖς ἐνερ-

admodum si ex frigido vel tepido mutarit in cali-
dum. At quoniam incalescens necdum concaluisse,
at concaluisse, qui ad quod: calefactionis termi-
nus oportet omnino ex moderato concalescens,
quo ad calefactum fuerit per medias plurimas
species atque distantias ire contra naturam cali-
ditatis: quarum nulla extremo prorsus persimilis,
8 neque habitus est, neque dicitur. Hujusmodi
autem medium corporis alterationum sive cale-
factio, sive refrigeratio sit, sive quaepiam alia
ex primis qualitatibus denominanter dictis, a
medicis differens distemperantia dicitur, ob con-
trariorum in ipsa pugnam insidentem. Distempe-
rantia quidem quatenus naturalibus actionibus

γείαις, διάφορος δὲ τῇ πρὸς τὴν φυσικὴν αὐτῆς
σχέσει. Ἐν τῷ τοιούτῳ τοίνυν μέσῳ καὶ τὰ τοῦ 9
σώματος μόριά φαμεν εἶναι, ὅτε τὸ σῶμα πυρέτ-
τει τὸν ἐπὶ πνεύμασιν ἢ χυμοῖς σηπομένοις ἀνα-
71 πτόμενον πυρετὸν, ὡς ἐκ τῶν ἔμπροσθεν ῥηθέν-
των ἐστὶν ἰδεῖν. Τῆς δ' ἀλλοιώσεως ἤδη πρὸς τὸ 10
τέλος ἡκούσης, καὶ τῆς τῶν ἐναντίων πρὸς ἄλληλα
μάχης γε παυσαμένης, ἥ τ' ἐπιγινομένη κρᾶσις
ἴση λέγεται, θατέρου τῶν ἐναντίων ὅλου φθα-
ρέντος, καὶ τὰ μόρια ὑπὸ τὴν τοιαύτην κρᾶσιν
εἶναι καὶ ὑπὸ τὸ τεθερμάσθαι φαμέν. Παυσα- 11
μένης δὲ τῆς ἀλλοιώσεως, καὶ τῆς ἴσης ἐκείνης
καλουμένης κράσεως ἐπιγενομένης, ἐπεὶ τὸ αἰ-
σθάνεσθαι ἀλλοιώσει τινὶ τῶν αἰσθήσεων γίγνε-
ται, οὐκ ἔσται τῆς ἴσης ἐκείνης, ὥςπερ οὐδὲ τῆς

proportionalis non est, differens vero ad ipsius
naturalem habitudinem. In tali itaque medio, 9
etiam corporis esse dicimus portiones, quando
corpus febricitat, in spiritibus aut humoribus
putrefactis succensa febri, ut ex eis, quae ante
dicta sunt, est videre. Alteratione autem jam ad 10
finem tendente, et contrariorum ad se invicem
pugna quiescente adveniens, complexio dicitur,
5 Προκαταρκτικὰ μὲν οὖν τὰ τοιαδὶ τῶν αἰτίων,
ἐξ ἀνάγκης τε ἐπερχόμενα καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης,
ὡς εἴρηται· προηγούμενα δὲ καὶ συνεζευγμένα
τὰ κατὰ τὸ αὐτὸ σῶμα, οἷον ἐμφράξεις, χυμοὶ
6 καὶ κράσεις καὶ διαπλάσεις. Διαφέρουσι δὲ ἀλ-
λήλων τῷ τὰ μὲν ἀμέσως ἀποτελεῖν τὴν διάθεσιν,
ὡς ἡ σῆψις τὸν πυρετὸν, τὰ συνεζευγμένα· τὰ
δὲ ἐμμέσως, ὡς ἡ στέγνωσις ἢ καὶ ἡ ἔμφραξις τὸν

minem, si modo vivere procuret, in aëre versari
et moveri particulatim, et quiescere aut toto cor-
pore aut per partes, et dormire similiter et vigi-
lare, et comesse et bibere, et impleri et evacuari,
et laetari vel tristari, et irasci vel terreri, et alia
5 pati, quae animae sunt perturbationes. Praecipue
igitur causae sunt tales necessario advenientes,
et non ex necessitate dictae sunt. Praecedentes
autem et conjugatae, quae in eodem corpore, ut
oppilationes, humores et complexiones et effictio-
6 nes. Differunt inter se invicem, quod aliae qui-
dem statim sine medio compleant, affectionem,
ut putredo febrem: conjugatae aliae medio ali-
quo, velut astrictio, vel etiam oppilatio febrem

πυρετὸν διὰ μέσης τῆς σηπεδόνος, τὰ προηγούμενα. Τά γε μὴν προκατάρχοντα τῶν αἰτίων 7
ἐνίοτε μὲν ἀμέσως ἀποτελεῖ τὴν ἣν ἀποτελοῦσι διάθεσιν, κἂν τούτῳ τοῖς συνεζευγμένοις αἰτίοις ξυνέρχεται, ὥςπερ ἡ τοῦ περιέχοντος θέρμη ἢ καὶ ὑπερβάλλουσά τις κίνησις, ἔστιν ὅτε μηδενὸς μεσολαβοῦντος τοῦ δι᾽ οὗ, πυρετὸν ἀφ᾽ ἑαυτῶν ἀνῆψαν καὶ ἀπετέλεσαν, ὡς ἐπί τινων ἐστὶν ἰδεῖν σπανιώτατα γινόμενον πυρετῶν· ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἐμμέσως ἢ μόνου μεσολαβοῦντος τοῦ συνεζευγμένου αἰτίου, ἐν ᾧ καὶ προηγουμένου τόπον ἐπέχει, ὡς ἐπὶ τῶν πλείστων ἐφημέρων ἐστὶν ἰδεῖν καὶ ἐπ᾽ ὀλίγων τῶν ἐπὶ χυμοῖς πυρετῶν, ἢ καὶ ἀμφοτέρων τοῦ τε προηγουμένου καὶ τοῦ συνεζευγμένου μεσολαβούντων, ὡς ἐπί τινων ἐφημέ-

media putredine. Praecedentes aliae praedomi- 7
nantes causae, quandoque etiam sine medio absolvunt, quam perficiunt affectionem, et si hoc conjugatas causas comitatur, quemadmodum thermae circumfusi aëris, aut etiam excedens motus aliquis est nullo in medio, assumpto eo per quod febrem ex se succenderunt ac profecerunt, ut rarissime est videre in quibusdam hecticis fieri febribus. Est ubi etiam cum medio, vel sola in medio assumpta conjugata causa, in quo et praecedentis locum cohibet, ut plurimum in quotidianis est videre, et paucis in humoribus febribus, aut etiam utrisque praecedente et conjugata in medio assumptis, ut in quibusdam quo-

ρων καὶ ἐφ' ὁτιπλείστων τῶν ἐπὶ χυμοῖς γίνεται
8 πυρετῶν. Παράδειγμα τοῦ προτέρου ἐπὶ μὲν τῶν ἐφημέρων, ὅθ' ἡ τοῦ ἡλίου θερμότης ἢ κίνησις ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων τὸ ἐν ἡμῖν ἀμέσως πνεῦμα ἀνάψει, τούτου δὲ μεσολαβοῦντος, τὴν ἐφήμερον ἀποτελέσει διάθεσιν, ἐπὶ δὲ τῶν ἐπὶ χυμοῖς πυρετῶν, ὅθ' ἡ τοῦ ἡλίου θερμότης ἢ σφόδρα κίνησις ἢ τροφὴ φαύλη καὶ τὰ τοιαῦτα τὸν χυμὸν μὲν ἀλλοιώσει καὶ διαφθείρει, καὶ ἁπλῶς ἢ τὴν κρᾶσιν ἢ τὴν διάπλασιν, ἑνὸς δὲ τούτων μεσολαβοῦντος, ἔπειτα τὸν ἐπὶ χυμοῖς
9 ἀνῆψε καὶ ἀπετέλεσε. Παράδειγμα τοῦ δευτέρου ἐπὶ μὲν τῶν ἐφημέρων, ὅθ' ἡ τοῦ περιέχοντος οὑτινοσοῦν ψύξις πυκνώσει μὲν τὸ δέρμα, διὰ δὲ τῆς τούτου πυκνώσεως τὸ πνεῦμα ἀνάψει, καὶ

tidianis et plurimum fit febribus prioris exem-
8 plum. In quotidianis quidem solis caliditas, aut motus, aut aliud aliquid talium in nobis sine medio spiritum succenderit, hoc autem in medio assumpto quotidianam absolvet affectionem. At in humoribus febribus solis caliditas vel vehemens motus, aut nutrimentum malum taliaque humorem quidem alterabunt primo et corrumpent: et simpliciter aut complexionem aut effictionem: horum uno in medium assumpto, dein
9 in humoribus succendit et absolvit. Exemplum secundi in quotidianis quidem circumfusi aëris, cujuscunque frigiditas cutem quidem densefaciet, perque ejus densitatem spiritus conflagrabit, ac

διὰ τῆς τούτου πάλιν ἀνάψεως τὴν ἐφήμερον ἀποτελέσει διάθεσιν· ἐπὶ δὲ τῶν ἐπὶ χυμοῖς πυρετῶν, οἰκεῖον μὲν καὶ τὸ ἐπὶ τοῦ ἐφημέρου ῥηθὲν προςεχῶς, εἰ διὰ τῆς τοῦ δέρματος πυκνώσεως καὶ τῆς τοῦ χυμοῦ ἀνάψεως ἢ τοῦ περιέχοντος ψύξις τῶν τοιούτων τινὰ πυρετῶν ἀποτελέσει,
.385 οἰκεῖα δὲ καὶ ἐν οἷς οὐχ ἓν μόνον, ἀλλὰ καὶ πλείω τῶν προηγουμένων λάβοις ἂν αἰτίων. Ἐν γὰρ τοῖς τοιούτοις τῶν πυρετῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐμπίπτει προηγούμενα αἴτια. Εἰσὶ δὲ οἱ τῶν ἰατρῶν προκατάρχουσαν μὲν καὶ προκαταρκτικὴν αἰτίαν φασὶ τοῦ νοσήματος τὴν διὰ μέσων ἄλλων προηγουμένων αἰτίων ἀποτελέσασαν τὸ νόσημα, τὴν δὲ διὰ μέσης τῆς συνεζευγμένης μόνης, κἂν ἐξωτερική τις ᾖ, κἂν

porro per ipsius succensionem quotidianam absolvet affectionem. At in humoribus febribus peculiare etiam in quotidiana continue dictum, per cutem densitatis et humoris succensionis, circumfusi aëris frigiditas, talium quampiam febrium absolvet: sed propria etiam, in quibus non unam modo, sed etiam plures praecedentium causarum capias, in talibus namque febribus ut plurimum multae tales incidunt praecedentes causae. Sunt vero ex medicis, qui dicant praecellentem causam aegritudinis per medias alias praecedentes causam conficientem aegritudinem. At per mediam conjugatam solam, tametsi extraria aliqua fit, et extrinsecus corpori incidit, praecedentem

ἔξωθεν πρὸς τῷ πίπτει σώματι, προηγουμένην, ἀλλ' οὐ προκαταρκτικὴν αἰτίαν εἶναί φασιν, ὥςπερ καὶ τὴν ἀμέσως ἡντιναοῦν ἀποτελοῦσαν τὸ νόσημα συνεζευγμένην ἀεὶ, διαφέρουσαν δ' ὅμως τῆς κυρίως προηγουμένης τε καὶ συνεζευγ-
μένης τῷ τὰς μὲν ἐν τῷ σώματι εἶναι, τὴν δ'
11 ἔξωθεν προςπίπτειν τῷ σώματι. Καλῶς δ' ἂν
καὶ ἀμφότεροι λέγοιεν, εἴπερ οἱ μὲν τὴν τῶν αἰτίων φύσιν πρὸς ἄλληλα, οἱ δὲ τὴν τῶν αὐτῶν πρὸς τὸ νόσημα σχέσιν τε καὶ ἀπόστασιν θεω-
12 ροῦντες, διῄρουν τὰ αἴτια. Τοσαῦτα μὲν οὖν
καὶ τοιαῦτα τὰ αἴτια, προκαταρκτικά τε ὄντα καὶ προηγούμενα καὶ συνεζευγμένα, καθάπερ εἴπομεν. Σὺ δέ μοι νόει, καὶ ὅτι τούτων πάλιν τὰ μὲν καθ' αὑτὸ, τὰ δὲ κατὰ συμβεβηκός ἐστιν

vocent, sed non praecellentem esse causam dicunt, sicut et quae sine medio quamcunque perficientem aegritudinem semper conjugatam, veruntamen differentem ab ea, quae proprie praecedens et conjugata nominatur, hanc quidem in corpore esse, hanc vero extrinsecus corpori incidere.
11 At recte ambas dixeris causarum ad se invicem
naturam, verum earundem ad aegritudinem ha-
12 bitudinem et distantiam inspicientes causas. Di-
viserunt tantas nimirum ac tales causas praecellentes, existentes et praecedentes et conjugatas esse, ut diximus. Noris tu quoque quod earum rursus quaedam per se, quaedam per accidens

αἴτια τῶν ὧν ἐστιν αἴτια· καθ' αὑτὸ μὲν, ὅσα τὴν ποιητικὴν ἐν ἑαυτοῖς ἔχοντα δύναμιν, ἢ δυνάμει, ἢ ἐνεργείᾳ, κατ' ἐκείνην ἀεὶ καθ' αὑτὸ τὴν αὐτὴν ἀποτελεῖ διάθεσιν ἐν τῷ σώματι· οἷον, εἰ βούλει, τὸ πέπερι καὶ τὸ ὄπιον, τὸ μὲν ἀεὶ θερμαῖνον καθ' ἣν ἔχει δυνάμει θερμότητα, τὸ δὲ ψυχραῖνον τῇ ἣν καὶ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ κέκτηται ψύξει· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ, ὅσα μὴ καθ' ἣν ἔχει δύναμιν, ὅπως ἂν ἔχοι, ἀλλὰ κατ' ἄλλο τι τῶν ἐπισυμβαινόντων ταῖς ἐνεργείαις, τὰς διαθέσεις ἐργάζονται· ὥςπερ τὸ ψυχρὸν ὕδωρ θερμαίνει μὲν τὸ σῶμα, ἀλλ' οὐ καθ' αὑτό· οὐδὲ γὰρ ψυχρότητος καθ' αὑτὸ τὸ θερμαίνειν, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ, ὅτι τοὺς πόρους καὶ τὰς ὁδοὺς κατα-

sunt causae, quorum sunt causae. Per se quidem quaecunque efficientem in se habentes potentiam aut potestate aut actu, per illam semper, per se eandem absolvunt affectionem in corpore, ut si velis piper et opium, hoc quidem semper calefaciens, quatenus habet etiam potestate caliditatem, hoc autem refrigerans, quam pariter potestate et actu adipiscitur frigiditatem. Caliditatis namque est calefacere, sicut frigiditatis semper per se refrigerare. At per accidens quaecunque, non per quam habet vim, ut habeat, sed per aliud aliquid, quod actionibus adveniat, affectiones exercent: quemadmodum aqua frigida calefacit quidem corpus, sed non per se. Nec enim

πυκνῶσαν τοῦ σώματος, ὡς πρὸς τρόπου ψυχρῷ, δι' ὧν διαπνεῖται τὸ σῶμα, καὶ διαφορεῖται τὸ ἐν ἡμῖν ἐμφωλεῦον θερμόν, ἐκώλυσε τὴν τοῦ θερμοῦ πρὸς τὰ ἔξω πτῆσίν τε καὶ φορὰν, κἀντεῦθεν τὸ σῶμα θερμότερον ἀπετέλεσεν ἑαυτοῦ.

13 Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ θερμὸν ὕδωρ ψύχει μὲν, ἀλλ' οὐ καθ' αὑτό· ἐπεὶ καὶ οὐ θερμότητος καθ' αὑτὸ τὸ ψυχραίνειν, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ, ὅτι τοὺς πόρους καὶ τὰς ὁδοὺς ἀραιῶσαν τοῦ σώματος, ὡς πρὸς τρόπου θερμῷ, δι' ὧν τὸ ἐν ἡμῖν ἔμφυτον διαφορεῖται καὶ διαπνεῖται θερμὸν, ῥᾳδίαν τὴν ἐκείνου πρὸς τὰ ἔξω φορὰν εἰργάσατο, κἀντεῦθεν τὸ σῶμα τῇ τοῦ θερμοῦ διαφορήσει ψυχρότερον ἑαυτοῦ ἀπετέλεσεν.

frigiditatis est per se calefacere, sed per accidens, ideo autem per accidens, quod meatus et vias corporis densas effecerunt, ut pro modo frigiditatis per quas difflat corpus, et diffluit qui in nobis recumbens calor impedivit caloris ad exteriora volatum ac meatum: hinc se calidius effecit corpus.

13 Itidem vero calida aqua refrigerat quidem, sed non per se, quandoquidem caliditatis non est per se refrigerare, sed per accidens: at per accidens, quod meatus ac vias rarefaciens corporis, ut modus fert caliditatis, ideo qui in nobis insitus distrahitur et difflatur calor, facilem illius ad exteriora meatum effecit, hincque corpus caloris distractione frigidius effecit, quam esse consuevit.

XXVIII. Ἐπιστῆσαι δὲ ἄξιον, ὅτι οὐ μόνον ταῦτα τὰ ῥηθέντα αἴτια τῶν νοσημάτων γίνεται αἴτια, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ τὰ νοσήματα νοσημάτων ἑτέρων ἔστιν ὅτε γένοιτ᾽ ἂν αἴτια. Ἐκ γὰρ τοῦ ἐφημέρου, ὥςπερ τινὸς αἰτίου, πυρετὸς ἔστιν ὅτε γίγνεται καὶ σηπεδονώδης ἀμέσως καὶ ἐκτικός, καὶ ἐκ σηπεδονώδους αὖ πάλιν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ὁ ἐκτικός. Εἰ δ᾽ ἐξ ἑκτικοῦ κατὰ τὸ ἀνάπαλιν δυνατὸν γενέσθαι ποτὲ σηπεδονώδη τε καὶ ἐφήμερον, καὶ ἐκ σηπεδονώδους πάλιν ἐφήμερον, ἴσως ἐν τοῖς ἑξῆς θεωρήσομεν. Τοσαῦτα 2 μὲν οὖν ἐν τῷ παρόντι περὶ τῶν αἰτίων ἐν γένει τε καὶ καθόλου. Ἑξῆς δὲ περὶ τῶν αἰτίων εἰπεῖν ἀνάγκη, δι᾽ ὧν οἱ πυρετοὶ γίγνονται· ἀγνοουμένων γὰρ τῶν αἰτίων, ἐξ ὧν οἱ πυρετοὶ γένοιντ᾽

XXVIII. At cognitu dignum, quod non solum hae quae dictae sunt causae, languorum fiunt causae: sed etiam ipsi languores languorum aliorum sunt, quod fiant causae. Ex quotidiana siquidem veluti aliqua causa est febris, quae fit et tabida sine medio et hectica et ex tabida rursus, ut plurimum, hectica. Si ex hectica e contrario possibile fieri aliquando tabida et quotidiana, et ex tabida rursus quotidiana, fortassis deinceps inspiciemus. Tanta fuere igitur in prae- 2 sentia, quae de causis diceremus in genere et in universum: deinceps de causis dicendum nobis est, per quas gignuntur febres. Ignoratis namque causis, ex quibus febres fiant, ut ex

ἂν, ὅς τ᾽ ἀκριβῶς οἰδείη τίς ποτ᾽ ἐστὶν ὁ πρ ὀφθαλμῶν πυρετὸς, οὔτε τὰ συνοίσοντα φάρμακα· ποιητικὰ δὲ ταῦτα ὑγείας, καὶ φθαρτικὰ πυρετοῦ καὶ τῶν αἰτίων ἐκείνου· οὔθ᾽ εὑρεῖν οὔτ᾽ εἰςηγήσασθαι τέχνῃ τινὶ καὶ μεθόδῳ δυνήσαιτ᾽ ἄν, ὃς δὴ τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου σκοπός ἐστιν ἐξοχώτατός τε καὶ τιμιώτατος.

XXIX. Λέγωμεν τοίνυν, ὅτι τῶν πυρετῶν ἅπαντες, καὶ οἱ ἐφήμεροι, καὶ οἱ ἐπὶ χυμοῖς ἀναπτόμενοι σηπομένοις, προςέτι δὲ καὶ οἱ ἑκτικοὶ, τοῖς προκαταρκτικοῖς αἰτίοις ἀποτελοῦνται καὶ γίγνονται, κἂν οἱ μὲν ἀμέσως, οἱ δ᾽ ἐμμέσως, καὶ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον, ὡς δειχθήσονται, p.38
2 γίγνωνται. Ἐφήμεροι μὲν γὰρ ἀμέσως μᾶλλον ὑπὸ τῶν προκαταρχόντων γίγνονται, ὡς ἐπὶ πολὺ

amussim norit quispiam, quaenam sit quae ab oculis emersit febris, neque conferentia medicamina sciet efficientia sanitatem, et corruptoria febris et causas ipsius neque invenire, neque ulla arte rimari disciplinaque investigare poterit, quae curandi est disciplinae intentio excellentissima ac honoratissima.

XXIX. Dicamus itaque quod febres omnes et quotidianae et in humoribus succensae putridis, insuper et hecticae praecellentibus causis consummantur et fiunt, et si aliae sine medio, aliae cum medio, magisque ac minus fiunt, ut ostendetur.
2 Quotidianae enim sine medio magis ab praecellentibus fiunt, ut plurimum quidem ut prae-

*μὲν οἷον προηγουμένου μόνου ἐπεχόντων τόπον,
ὅθ᾽ ὑπὸ ἡλιοκαΐας ἢ κινήσεως ἢ θυμοῦ ἢ ἄλλου
τοῦ τῶν τοιούτων, πρώτως τὸ ἐν ἡμῖν ἀναφθὲν
πνεῦμα διὰ μέσης καρδίας κατὰ τὸ συνεχὲς παν-
τὶ μορίῳ τοῦ σώματος τὴν παρὰ φύσιν ἐκείνην
διαδώσει θέρμην. Ἔστι γὰρ πρῶτον ἡ ἡλιοκαΐα* 3
*ἢ κίνησις προηγουμένου τόπον ἐπέχουσα, εἶτα τὸ
ἀναφθὲν πνεῦμα τὸ συνεζευγμένον αἴτιον τοῦ
ἐφημέρου, καὶ τρίτον αὐτὸς ὁ ἐφήμερος πυρετὸς
τὸ ἀποτέλεσμα τῶν αἰτίων· ἔστι δὲ ὅτε, μεταξὺ
τῶν προκαταρχόντων αἰτίων καὶ τοῦ συνεζευγ-
μένου, προηγουμένου παρεμπίπτοντος αἰτίου,
ὅταν τὸ μὲν περιέχον ψυχρὸν τὸ δέρμα πυκνώσῃ,
ἡ δὲ τοῦ δέρματος πύκνωσις τὸ πνεῦμα ἀνάψῃ,
μὴ ἑλκομένης εἴσω τῆς ἐμψυχούσης τε καὶ ῥιπι-*

cedente sola causa continente modum, cum ex
solari aestu aut motu aut furore aut alia hujusmodi
aliqua causa, primo qui in nobis est succensum
spiritum per cor medium continue omni corporis
membro contra naturam illam distribuet calidi-
tatem. Est namque primo quidem solis ardor aut 3
motus, praecedentem occupans locum, deinde
succensus spiritus conjugata quotidianae causa, ter-
tiaque ipsa quotidiana febris causarum perfectio.
Est etiam quando inter praecellentes causas et con-
jugatam praecedens intervenit causa, cum aër
circumfluens frigidam cutem densam fecerit: cutis
autem densitas spiritum succenderit, non tracta
introrsum refrigerante et rigorem gignente natu-

ζούσης τὸ κατὰ φύσιν θερμὸν ἀερώδους οὐσίας· διαπνεῖται γὰρ ὅσαι ὧραι τὰ τῶν ζώων σώματα, τῶν μὲν ἀτμωδῶν καὶ λιγνοωδῶν περιττωμάτων εἰς τὰ ἐκτὸς ἀποχεομένων, ἀντεισερχομένης δὲ τῆς ἀερώδους οὐσίας καὶ τὸ ἔμφυτον ῥιπιζούσης θερμόν. Πυκνωθέντος δὲ τῇ τοῦ περιέχοντος ψύξει καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα πυκνοῦν εἴωθε, τοῦ δέρματος, ἀνάγκη τὸ πνεῦμα ἀνάπτεσθαι κατὰ τὸν λόγον, ὃν εἴπομεν, κἀντεῦθεν τὸν ἐφήμερον
4 γίνεσθαι πυρετόν. Ἔσται γὰρ οὕτω πρῶτον μὲν αἴτιον ἡ τοῦ ὕδατος ἢ τοῦ ἀέρος ψυχρότης προκαταρκτικὸν οὖσα αἴτιον, εἶθ' ἡ τοῦ δέρματος πύκνωσις προηγούμενον αἴτιον, τρίτον δὲ τὸ ἀναφθέντα πνεῦμα τῆς ἐφημέρου διαθέσεως αἴτιον, καὶ τέταρτον αὐτὸς ὁ ἐφήμερος πυρετὸς τὸ

ralem calorem aërosa essentia. Difflant enim cunctae horae ac diducunt animalium corpora, vaporosis et fumidis superfluitatibus foras effusis. At contra subeunte aërosa essentia et insitum calorem impellente densata comprehensionem refrigerabit, aliisque quaecunque cutem densare consueverunt, spiritum, qua diximus ratione, succendi necesse est, hincque quotidianam gigni
4 febrem. Erit namque ita prima causa aut aquae aut aëris frigiditas, quae praecellens causa nominatur: inde cutis densitas praecedens causa, tertia succensus spiritus, conjugata quotidianae affectionis causa, et quarta ipsa quotidiana febris

ἀποτέλεσμα τῶν αἰτίων. Διαφέρει δὲ οὐδὲν, 5
εἴτε, τῆς στεγνώσεως καὶ πυκνώσεως φαύλης οὔσης καὶ ῥᾷστα διαλυθείσης, ὁ ἐφήμερος γένοιτο μόνος καὶ ἀπογένοιτο πυρετὸς, μηδεμιᾶς ἑτέρας ἐπιγενομένης ἐν τῷ σώματι διαθέσεως· εἴτε, καὶ μὴ διαλυθείσης, ἢ πρώτως ἢ καὶ μετὰ τὸ πνεῦμα
388 οἱ ἐν ἡμῖν ἀναφθῶσι χυμοὶ ἢ καὶ τὰ μόρια, καὶ τοὺς σηπεδονώδεις ἢ καὶ ἑκτικοὺς ἀποτελέσωσι πυρετούς· οὐδὲν γὰρ τοῦτο πρὸς τὸν λόγον, ὃς τὸν ἐφήμερον ἐκ τοῦ περιέχοντος ἐστιν ὅτε διὰ μέσης τῆς τοῦ δέρματος στεγνώσεως ἢ πυκνώσεως λέγει γίγνεσθαι.
Οἱ δ' ἐπὶ χυμοῖς ἀναπτόμενοι 6
σηπομένοις γίνονται μὲν καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν προκαταρκτικῶν αἰτίων ἀεὶ, οὐ μὲν ὡς προηγουμένων αἰτίων τῶν προκαταρχόντων ποτὲ, καθάπερ

causarum absolutio. Neque refert, si adstrictione 5
et densitate mala existente etiam facillime dissoluta, quotidiana fiet sola et aberit febris, nulla alia subeunte in corpore affectione, sive etiam non dissoluta, aut primo, aut etiam post spiritus, qui in nobis succensi fuerint humores, aut etiam membra, vel tabidas, vel etiam hecticas conficient febres. Nihil enim hoc ad rationem, quae quotidianam ex comprehendente facit, est quando per mediam cutis adstrictionem aut densitatem fieri dicitur.
Sed in humoribus succensae putri- 6
dis fiunt et ipsae a praecellentibus causis semper, non utique ut praecedentium causarum aliquando praecellentibus, ut in quibusdam quo-

ἐπί τινων ἐφημέρων, ἀλλὰ διά τινος ἢ τινῶν τῶν
αἰτίων τῶν προηγουμένων τε καὶ συνεζευγμένων
γίνονται γὰρ ὑπὸ προςεχῶν καὶ συνεζευγμένων
αἰτίων ἀεὶ, τῶν χυμῶν καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς σή-
ψεων· οὐδέποτε δὲ ὡς ὑπὸ προηγουμένων τῶν
7 προκαταρκτικῶν. Καὶ τούτῳ διαφέρουσιν οἱ
ἐφήμεροι τῶν ἐπὶ χυμοῖς πυρετῶν, ὅσον ἐν τοῖς
αἰτίοις, τῷ τοὺς μὲν καὶ ὑπὸ τῶν προκαταρχόν-
των αἰτίων, ὡς προηγουμένων, γίγνεσθαι, τοὺς
ἐφημέρους· τοὺς δὲ ὑπὸ τῶν αὐτῶν μὲν ἀεὶ, οὐ-
δέποτε δὲ ὡς προηγουμένων, ἀλλὰ διὰ μέσων
τινὸς ἢ τινῶν τῶν προηγουμένων αἰτίων, τοὺς
ἐπὶ χυμοῖς πυρετούς.

XXX. *Παραιτοῦμαι δὲ ἐνταῦθα τὸν Ἀρε-
ταῖον καὶ ἑτέρους, ἰδίαν εἰπόντας διάγνωσιν τῶν*

tidianis, aut per aliquam aliquasve medias causas
praecedentes et conjugatas: fiunt enim sub con-
tinuatis et conjugatis causis semper humorum et
in ipsis putredinibus: nunquam vero ut ab prae-
7 cedentibus praecellentium. Et catenus differunt
quotidianae ab eis, quae in humoribus febres,
quantum in causis hae quidem ex praecellentibus
causis ut praecedentibus fiunt quotidianae, hae
autem ab eisdem semper, nunquam ut praece-
dentibus, sed per medium alicujus aut aliquarum
praecedentium in humoribus febres.

XXX. Adstipulor equidem Hippocrati et
aliis peculiarem asserentibus cognitionem febrium

ἐπὶ χυμοῖς πυρετῶν καὶ οὐκ ἀχώριστον τὸ μηδὲν τῶν προκαταρκτικῶν αἰτίων ἡγήσασθαι τῶν τοιούτων πυρετῶν, ὅτι καὶ οὐδετέρῳ τῶν ἄλλων γενῶν ταῦθ᾽ ὑπάρχει, διὰ τὸ τοὺς μὲν ἐφημέρους ἅπαντας ἐπὶ ταῖς προκαταρκτικαῖς αἰτίαις συνίστασθαι, τοὺς δὲ ἑκτικοὺς, ὅταν ἄνευ τούτων γεννῶνται, μηδὲ ἐξ ἀρχῆς εἰςβάλλειν, καίτοι μηδενὸς οἵου τε ὄντος, οὐ πυρετοῦ μόνον, ἀλλ᾽ οὐδὲ νοσήματος οὑτινοςοῦν, ἄνευ τινὸς τῶν προκαταρχόντων ἄρξασθαι. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν 2 ἀκριβέστερον ἴσως κἀν τοῖς ἑξῆς θεωρήσομεν. Νῦν δ᾽ ἐπειδὴ οὐχὶ περὶ ἑνὸς εἴδους, ἀλλὰ περὶ πολλῶν τε καὶ διαφερόντων λέγομεν πυρετῶν, δίκαιον ἂν εἴη φάναι πρῶτον περὶ τῆς διαφορᾶς αὐτῶν, εἶθ᾽ οὕτω καὶ περὶ τῶν ἄλλων, καθ᾽ εἱρμόν τινα προβαινούσης τῆς ὑποθέσεως.

in humoribus, nec separabilem nullam praecellentium causarum putantes talium febrium, quod neutrarum aliorum generum id sit quod omnes quotidianae in praecellentibus causis consistant. Hecticas vero censent, cum sine his factae fuerint, neque a principio injiciantur, ut nullius sint alterius non febris modo, sed nequidem ulla quaevis aegritudo incipiet absque aliqua praecellente. Sed 2 haec quidem fortassis examinatius deinceps inspiciemus. Nunc autem, quoniam non de una specie, sed de multis ac differentibus loquimur febribus, aequum fuerit ostendere primo de ipsarum differentia, deinde eo modo de aliis per ordinem aliquem procedente argumento.

XXXI. Διαφορὰ τοίνυν πυρετῶν ἡ μὲν οὐ-
σιώδης, ἡ δὲ ἐπουσιώδης· καὶ οὐσιώδης μὲν ἡ ἐκ
τῆς οὐσίας αὐτῆς τῶν πυρετῶν γινομένη, ἐπου- p.3
σιώδης δὲ ἡ ἐκ τῶν ἐπισυμβαινόντων τῇ οὐσίᾳ
τῶν αὐτῶν, προσεχῶς τε καὶ πόῤῥω λαμβανο-
2 μένη. Οὐσία μὲν γὰρ πυρετῶν ἡ παρὰ φύσιν
θερμότης, καθάπερ εἴρηται· ἡ γὰρ οὐσία τού-
των τὸ μᾶλλον ἐπιδέχεται καὶ τὸ ἧττον· ἔστι δὲ
καὶ ἐν ὑποκειμένῳ συμβεβηκός τι οὖσα, καὶ μὴ
δυναμένη καθ' αὑτὴν εἶναι ἢ καὶ ἐν τῷ ποιητικῷ
3 ταύτης αἰτίῳ. Πρὸς δὲ καὶ τρόπον ἔχει κινήσεως
τῇ τοῦ, ἐν ᾧ ἐστι, φύσει τε καὶ ποιότητι, εἴθ'
ὑποκείμενον, εἴτε αἴτιον εἴη. Ἔτι δὲ καὶ συμ-
4 πτώματά τινα ἀπεργάζεται. Εἰκότως αἱ μὲν
τῶν διαφορῶν οὐσιώδεις εἰσί τε καὶ λέγονται, οὐ

XXXI. Febrium igitur differentia una qui-
dem essentialis, altera vero qualitatis essentialis:
et essentialis quidem, quae ex ipsa fit essentia,
qualitatis vero essentialis, quae ex ipsarum acci-
dentibus essentiae perpetuo ac longe assumpta.
2 Essentia namque febrium contra naturam caliditas,
sicut dictum est. Harum siquidem essentia magis
suscipit et minus. Est autem etiam in subjecto
accidens quiddam existens, quae per se esse non
3 potest, vel etiam ut in efficiente ejus causa. Insu-
per et modum habet motus natura, in quo est et
qualitate, sive subjectum, sive causa sit. Item
4 concidentia quaedam efficiunt jure. Hae qui-
dem differentiae essentiales sunt ac dicuntur:

παρὰ τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον τῆς παρὰ φύσιν θερμότητος λαμβανόμεναι, καθ' ἃς μικρούς τε καὶ μεγάλους ὀνομάζομεν πυρετοὺς, οὐ κυρίως μὲν ἐπὶ πολλοῦ πράγματος ὄνομα ποσότητος ἐπιφέροντες, ὅμως δ' οὖν εἰθισμένοι τοῦτο ποιεῖν οὐκ ἐπὶ πυρετῶν μόνων, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἄλλων μορίων, ἐν ποιότητι μὲν ἐχόντων τὴν ὕπαρξιν, ὀνομαζομένων δὲ μεγάλων καὶ μικρῶν· αἱ δὲ ἐπουσιώδεις αἱ λοιπαὶ πᾶσαι διαφοραὶ, αἵ τε παρὰ τὴν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον, ἐν ᾧ ἡ παρὰ φύσιν θερμότης καὶ αἱ παρὰ τὸν τῆς κινήσεως τρόπον, ἔτι δὲ καὶ παρὰ τὰ ξυμπτώματα τῆς παρὰ φύσιν θερμότητος· ταῦτα γὰρ, ἥ τε ὕλη, οἵ τε τῆς κινήσεως τρόπος, καὶ τὰ ξυμπτώματα ἐπισυμβέβηκε τῇ παρὰ φύσιν θερμότητι, καὶ οὐ

hae juxta magis et minus contra naturam caliditatis assumentes, per quas parvas et magnas febres appellamus, non quidem proprie: in quali re qualitatis nomen inferentes, cum soleant tamen hoc facere non in febribus solum, sed etiam in aliis particulis, in qualitate quidem habentibus ut sint, nominatis vero magnis et parvis. Quae vero qualitate essentiales reliquae omnes differentiae, quae praeter materiam et subjectum, in quo contra naturam caliditas, et quae contra motus modum. Iterum vero et quae praeter concidentia caliditatis, quae contra naturam est. Haec siquidem materia sunt, cum est ipsius motus modus, et concidentia evenerunt caliditati, quae contra natu-

*κατ᾽ οὐσίαν ὑπάρχει ταύτῃ. Διὰ τοῦτο καὶ τὰς ἐκ τούτων λαμβανομένας τῶν πυρετῶν διαφορὰς ἐπουσιώδεις εἶναί φαμεν καὶ οὐ κατ᾽ οὐσίαν, κατ᾽ οὐσίαν οὔσης τῆς πρώτης διαφορᾶς ἢ κατὰ τὸ μᾶλλόν τε καὶ τὸ ἧττον τῆς παρὰ φύσιν θερμότητος λαμβάνεταί τε καὶ λέγεται, καθ᾽ ἣν μεγάλους καὶ μικροὺς φαμὲν πυρετοὺς, ὥςπερ εἴρηται· πάσας δὲ ταύτας τῶν πυρετῶν τὰς διαφορὰς τῶν πρὸ ἡμῶν τις ἀκριβῶς τε ἅμα καὶ σαφῶς ἐδήλωσε λέγων.*

ram, et non per essentiam existit hoc modo. Ob hoc et ex his sumptas febrium differentias essentialis qualitatis esse dicimus, ac non per essentiam, per essentiam existente prima differentia vel per magis et minus caliditatis, quae contra naturam est, capitur ac dicitur, per quam magnas et parvas febres dicimus, quemadmodum jam dictum est. Cunctas autem has febrium differentias quidam ante nos ex amussi simulque perspicue exposuit inquiens.

Inter homines, ingenio et eruditione claros, qui de libris Aristotelicis jam antiquitus praeclare meruerunt, insignem sibi locum jure vindicat *Alexander*, ab Aphrodisiade, Cariae urbe, *Aphrodisiensis* cognominatus. Hic enim, saeculo post Christum secundo exeunte, tertio ineunte florens, non solum philosophiam Peripateticam Septimii Severi et Caracallae Imperatorum jussu Athenis, deinde Alexandriae tanta cum auctoritate docuit, ut discipuli, qui frequentes ad eum confluebant, *Alexandreorum* nomine insignirentur, sed plurima quoque Aristotelis opera tam docte et subtiliter est interpretatus, ut a Peripateticis illius aevi philosophis peculiari veluti nomine ἐξηγητής vocaretur, numerusque horum commentariorum haud exiguus cum in alias linguas, Orientales potissimum, diligenter converteretur, tum iterum iterumque descriptus multorum in manus veniret, et ab interitu vindicaretur, de quibus praeter *Io. Alb. Fabricii* Bibl. Graec. T. V. p. 652. sqq. *Harl.* consulendi sunt *Bruckerus* in hist. crit. philos. T. II. p. 480. *Buhlius* in edit. opp. *Aristot.* T. I. p. 287. *Tennemannus* in hist. philos. T. V. p. 186. et *Casirus* in Bibl. Arabico - Hispan. T. I. pag. 243. sqq.

At qui sub ejusdem *Aphrodisiensis Alexandri* nomine circumferebantur Problematum medico-

rum et physicorum libri duo, quamvis non sine medicae artis peritia conscripti, huic tamen auctori dudum sunt abjudicati. Signum dedit *Theodorus Gaza*, qui *Nicolao* V. pontifice jubente problemata Latine vertit: neque enim genuinam *Aristotelis* doctrinam, neque sermonem *Alexandro* ejusque saeculo satis dignum, et medicum potius eumque multo recentiorem quam philosophum in iis deprehendisse sibi visus est. Nec defuit eruditorum assensus: mox enim sequuti sunt *Hieronymus Mercurialis* et *Thomas Gatakerus*, nostra vero memoria *Curtius Sprengelius* in hist. pragm. medicinae T. II. p. 219. et in encycl. univ. ab *Erschio* et *Grubero* edi coeptae T. III. p. 32. qui problematum libros uno ore ad *Trallianum Alexandrum*, medicum tribus fere saeculis *Aphrodisiensi* philosopho juniorem, retulerunt: neque nunc habemus, quod horum talium triumvirorum judicio opponamus.

Alius tamen eidem *Alexandro Aphrodisiensi* adscriptus libellus medicus de febribus, neque horum neque aliorum diligentiorem censuram expertus, praejudicio quodam pro foetu subditítio habitus est, quod minus mirandum, quum opusculum, tenui volumine comprehensum, Graece lucem nondum adspexisset, *Georgii* vero *Vallae Placentini* interpretatio Latina, in syntagmate medicorum veterum Graecorum, Arabum et Latinorum Venetiis a. 1489 primum edita, nec fida satis, neque elegans, paucissimos tantum ad legen-

dum invitare posset. Interea compertum est, Graeca libelli exemplaria non prorsus periisse: unum certe *Vindobonae* in bibliotheca Caesarea latere testatus erat *Lambecius* comment. T. VI. p. 232. alterum postea Florentiae in bibliotheca Medicea exstare significavit *Bandinius* in catal. codd. Graec. T. III. p. 161. Ex hoc igitur codice Mediceo descriptum et in Musei critici Cantabrigiensis fasc. VII. p. 362. sqq. sub finem a. 1821. primum evulgatum libellum debemus *Demetrio Georgiadae Schinae*, medico Byzantino, cujus praefatiunculam Graece scriptam, ne quicquam desideraretur, jam typis repetendam curavimus:

*ΤΟΙΣ ΤΟ ΚΡΙΤΙΚΟΝ ΕΚΔΙΔΟΥΣΙ ΜΟΥΣΕΙΟΝ ΦΙΛΟΜΟΥΣΟΙΣ ΕΛΛΗΝΙΣΤΑΙΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΓΕΩΡΓΙΑΔΗΣ ΣΧΙΝΑΣ Ο ΒΥΖΑΝΤΙΟΣ.*

*Ταῖς Φλωρεντιναῖς ἤδη ποτὲ προςδιατρίβων βιβλιοθήκαις, καὶ τὰ πατρῷα ἐκεῖνα καὶ προγονικὰ ἀνελίττων χειρόγραφα, πρὸς ἄλλοις πολλοῖς μέχρι νῦν ἀνεκδότοις καὶ τῷ περὶ πυρετῶν τῷδ' ἐνέτυχον ἐν τῇ ἀπὸ Μεδίκων Λαυρεντινῇ. Ἴστε δὲ δήπου, οὓς μὲν ἀπό γε τῆς ἐπιγραφῆς εἰς Ἀλέξανδρον τὸν Ἀφροδισιέα, τινὰς δ' οὐκ οἶδ' ὅθεν εἰς Ἀλέξανδρον τὸν Τραλλιανὸν, καὶ ἄλλους εἰς ἄλλους τὸ σύγγραμμ' ἀνάγοντας· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῦτο μὲν Γεώργιον ἴστε Οὐάλλαν ἐκ τῶν Ἑλληνικῶν εἰς τὰ Λατινικὰ, οἷα ἐν ἐκδόσεσι φέρεται, μεταγραψάμενον γράμματα,*

αὐτὸν δ' Οὐάλλαν, εἰ μή γε ἄγροικον ὅλως, φαῦλον γοῦν τὰ πολλὰ τῶν ἀρχετύπων μεθερμενευτὴν μηδ' ἀξιόχρεων ὄντα. Ὅπως ἄρα τό τ' ἀνέκδοτον, λόγου ἄλλως καὶ σπουδῆς καί τοι τῆς ἐκ Περιπάτου ὄζον περιεργίας, παρὰ τοῖς τὰ τοιαῦτα σοφοῖς ἥκιστ', οἶμαι, ἀνάξιον, τύποις προΐῃ ἐς τὸ δημόσιον, ἥ τε Οὐαλλεία μετάφρας τῶν ἀδικημάτων παράσχῃ ἐν παραθέσει τὸν ἔλεγχον, ὑμῖν νῦν, τοῖς καὶ θεραπείᾳ πάσῃ τὰς Ἑλληνικὰς θεραπεύουσι Μούσας, καὶ Μουσεῖον αὐταῖς, ὡς ὁρῶ, ἀνιδρυκόσιν ὡς ἄριστα, πέμπω· ἔστι δ', ἵνα τῶν ἄλλων Φαβρικίῳ τε τῷ βιβλιακωτάτῳ καὶ οἷς μὴ ἐκ καιροῦ μόνον ταῦτα μεμέληκεν, ὑπεκστῶ, τὸ περὶ πυρετῶν τοῦτο πέμπτης καὶ δεκάτης ἑκατονταετηρίδος διαφθερῶν ἀπόγραφον, χειρὶ μὲν Ἰωάννου γεγραμμένων Ῥώσου Κρητὸς, ἀναλώμασι δ', ὡς αὐτὸς αὐτογράφως ὁ ἀντιγραφεὺς μαρτυρεῖ, τοῦ μεγίστου Λαυρεντίου Δεμεδέζη. Ἀλλ' ἦν μὲν καλλιγράφου, ὀρθογράφου δ' οὐκ ἦν ἡ τοῦ Ῥώσου χεὶρ, καί μ' ἔστιν ὧν, ὡς κατιδεῖν διεξιοῦσι παρέσται, εἰς ἐπανόρθωσιν κατηνάγκασεν. Εἰ μὲν οὖν, τὸ σύγγραμμά ποτ' ἀποδεχόμενοι, μὴ ἀπάξι', ἃ ὑπέρ τε προσῳδίας ὑπέρ τε λέξεως προὐθέμην ἐγὼ, τῇ ὑμῶν αὐτῶν εὕροιτε κρίσει· εἰ δὲ μὴ, καὶ χαρίσαισθε ἄν μοι νὴ Δία, ἣν ἐξ ἀρχῆς καταλύσαντες, κρείττω ἀντικατασκευάσητε· οὕτω γὰρ ἄν με καί τι ἀπολαῦσαι τῆς ὑμετέρας περὶ τὰ τοιαῦτα δεινότητος.

Ἔρρωσθε· Ἐγράφη ἐν Λονδίνῳ ἀπὸ τοῦ

*Γυιλφορδείου Οἴκου ͵αωιθ, ὀγδόῃ ἐπὶ εἰκάδι μηνὸς Ἰανουαρίου.*

Et justum quidem opellae pretium statuisse, et *Alexandro Aphrodisiensi*, quae perversus ei critices usus eripuerat, postliminio feliciter restituisse videtur *Schinas.* Sermo enim haud inconcinnus, vocabula quae technica vocantur ex Aristotelica disciplina petita: praeterea omnia auctorem redolent, non tam medicae artis experientia et usu tritum, quam logica Peripateticorum philosophorum *ἀκριβείᾳ* probe subactum et perpolitum, ita ut satius ei videretur, ipsa febrium cura et sanatione peritioribus relicta, in earum naturam, genera, differentias et causas, neque in *θεραπείαν*, sed quod ipse statim ab initio profitetur, in *θεωρίαν τῶν πυρετῶν* inquisivisse, quale consilium in physicis quoque scholiis atque in libro de corporum mixtione et temperantia tenuit, in commentario de generatione et corruptione Graece nondum edito tenuisse putandus est.

Haud aeque probanda est ratio, quam in *Alexandro* edendo sequutum esse videmus *Schinam:* quamquam enim ad scriptorem illustrandum nihil plane attulit, emendationes tamen, quibus textui subinde graviter laboranti succurrendum visum erat, ad unam omnes in ordinem recipere haud dubitavit, qua in re ne tunc quidem assentientes nos haberet, si, quod secus interdum evenit, ulcera ubique feliciter deprehendisset et aptissimam

singulis adhibuisset medicinam. Vere enim monitum est a *G. Hermanno* in praef. ad Draconem Stratonicensem p. VII., cui nuper accessit *Frid. Osannus* in eruditis ad Philemonem grammaticum prolegomenis p. XXXI. longe aliud ejus esse officium, qui scriptorem antiquum primum ederet, quique editum jam librum ac diu evulgatum novis curis sibi tractandum eligeret: ab illius enim fide ipsa auctoris verba, qualia legerentur in codice, ab hujus demum industria et ingenio textum correctum, emendatum erroribusque librariorum repurgatum exspectari.

Quum igitur accuratius medicorum Graecorum studium *Adamantii Corais*, *Gruneri*, *Sprengelii*, *Harlesii* et aliorum, maxime vero *Caroli Theaeni Kühnii* beneficio his nostris temporibus resuscitatum quasi et praeclaro successu promotum, videremus, hoc nostro de febribus libello in Germania nunc primum typis descripto nihil praeter rem suscepisse et nonnullis fortasse grati quid praestitisse speravimus.

Fecimus vero quod noluerat editor Graecus: textum talem exhibuimus, qualem eum codex Florentinus repraesentat, *Schinae* emendationibus integris, nostro interdum judicio interposito, una cum nostris observatiunculis pro re paucissimis sub calcem libelli in annotationem criticam rejectis. Praeterea editionis Cantabrigiensis paginas in margine indicavimus, capitum et sectionum numeros induximus, et Latinam *Georgii Vallae*

interpretationem, paucis certe visam et quum e libro manuscripto confecta sit inter subsidia critica referendam, ex editione Veneta a. 1498. quae in bibliotheca Vratislaviensi Regia et Vniversitatis asservatur, — alteram enim a. 1489. frustra quaesivimus — religiose descriptam addidimus. In una tantum re judicio nostro indulgendum esse putavimus: nam quum editionem principem, ceterum elegantem et nitidam, mendis aperte typographicis, in apicibus potissimum vocabulorum, mirum quantum foedatam experiremur, haec omnia, levissima per se nec quaquam vestigia codicis referentia, tacite emendare, quam singula enumerando et nobis et aliis taedium creare maluimus. Hac in acanthologia instituenda si minuscula quaedam oculorum aciem effugerint sive in nostram demum editionem irrepserint, ignoscant judices aequi cum editori, speciminum corrigendorum molestiis parum adsueto, tum officinae Vratislaviensi, ex qua primum hoc integrum opus Graeci cujusdam auctoris faustis ominibus emittitur.

---

## ANNOTATIO CRITICA.

I. *Ἀπολλώνιε*] Apollonius medicus, cui libellum inscripsit Alexander, quis fuerit, in tanta hujus nominis frequentia vix poterit effici: quot inter cognomines semper fluctuabit suspicio docet *Fabric. bibl. Graec.* T. IV. p. 273. sq. ed. *Harl.*

et T. XIII. p. 74. ed. a. 1726. 5. ὡς παρενειαγωγῆς τρόπῳ] haeremus in vocabulo παρενειαγωγή: hanc enim praepositionum sibi invicem adversantium ἐν et εἰς conjunctionem nec sibi permiserunt Graeci, nec poterant permittere: litteris igitur transpositis scribendum videri possit, ὡς ἐν παρειςαγωγῆς τρόπῳ, ut paulo infra, ὡς ἐν ὑποθήκης λόγῳ: sed possit quoque, ὥςπερ ἐν εἰςαγωγῆς τρόπῳ, et ita statim ab initio, ὥςπερ ὑπόμνημα: nec diffitendum, hoc magis placere: nam neque vocabulum παρειςαγωγή apte quadraret ad sententiam, et auctor ipse eandem quam hic introductionem in fine capitis εἰςαγωγήν, non παρειςαγωγήν vocavit: ipsius igitur codicis lectionem, etsi perperam intellectam, exhibuisse videtur *Schinas*, ὡς παρενειςαγωγῆς τρόπῳ. 6. Χρησάμενοι] χρησόμενοι, *Schinas*, sed frustra.

II. 2. πόθεν ἂν ἕξῃ] πόθεν ἕξει, *Schinas*: sed rariorem illum aoristum, veteribus plane incognitum, recentiores in usum intromittere non respuerunt, quod cxemplis confirmavit *Lobeckius* post *Phrynichi ecl.* p. 721. 2. Καὶ εἴ τοι ἐπιλύσασθαι οἱ ἐπορίας ἐχόμενον ἔνεστι] καὶ ἐπιλύσασθαι εἴ τι οἱ, ἀπορίας ἐχόμενον, ἔνεστιν, *Schinas*: rectius fortasse, καὶ εἴ τι ἐπιλύσασθαι οἱ, ἀπορίας ἐχόμενον, ἔνεστι. 4. Αὐτίκα] Αὐτίκα γάρ, *Schinas*. 4. αὐτοὺς χυμοὺς] αὐτῆς χυμοὺς, *Schinas*, male. 6. ἑπομένως δέ γε τοῦ ὅλου σώματος] post haec verba interrogandi signum collocandum. 6. δυνήσαιτο] δύναιτο,

*Schinas:* sed aoristus δυνήσασθαι, non in *Homericis* tantum, sed apud *Demosthenem* quoque observatus, ab hujus aevi sermone minime abhorret, v. *Lobeck.* post *Phrynich.* p. 719. 7. δυνάμει] legendum videtur δυνατεῖ. III. ὁ μὲν οὖν περὶ τοῦ τῶν ὁμωνύμων λόγος] ὡς μὲν οὖν περὶ τῶν ὁμωνύμων ὁ λόγος, *Schinas:* nos, commate tantum post λόγος deleto, nihil amplius novamus: nam periphrasticum dicendi genus, τὸ τῶν ὁμωνύμων, de quo in Lexici Graeci T. II. p. 213. b. monuimus, editorem Cantabrigiensem non debebat offendere: ita enim assolet noster, conf. ad XII. 2. 8. XIII. 3. neque ideo XII. 12. τὰ ὀνόματος in τοῦ ὀνόματος mutaverimus, nisi verbo τυχεῖν ibi genitivum suadente, conf. XII. 16. 3. ὑπάρχων] ὑπάρχον, *Schinas.* V. 2. διὰ τούτου] διὰ τοῦτο, *Schinas*, recte. VI. φυσικὰς τὰς τῆς φυσικῆς ψυχῆς δυνάμεως ἐνεργείας] φυσικὰς τὰς τῆς φυσικῆς τῆς ψυχῆς δυνάμεως ἐνεργείας, *Schinas*, ut facilius intellectu, ita minime necessarium. 2. ἢ καὶ φυσ.] εἰ καὶ φυσ. *Schinas*, recte, nec aliter legit Valla. VIII. παράξαι] πρᾶξαι, *Schinas*, praeter necessitatem. 2. τότε οὐ ἔστιν ὄργανον] τό τε οὐ ἔστιν ὄργανον, *Schinas*, praeeunte Valla, recte. 3. καὶ καλοῖτ' ἂν διὰ ταῦτα] καὶ καλοῖτ' ἂν διὰ τοῦτον, *Schinas*, pessime. 3. οὐδεμία γάρ τε γειτνιῶντα] οὐδεμία γὰρ γειτνιῶσα, *Schinas*, quantum ad participium vere, Vallaque assentiente, τε vero non ejiciendum, sed τοι reponendum erat. X. 2. κα-

θάπερ γὰρ ἀρετὴ κακία] καθάπερ ἀρετῇ κακίᾳ scribendum, deleto commate post θερμότητι.

XII. 2. ἐν αὐτῷ τῷ νῦν τοῦ χρόνου] ἐν αὐτῷ νῦν τοῦ χρόνου, *Schinas*, ab eadem qua supra III. 1. aberrans chorda. 2. φέρει] φέρειν, *Schinas*, frustra. 5. τῷ ὧν οὗ] τῷ ἐξ οὗ, *Schinas*, recte. 5. ὃ οὔτ' ἔστιν] relativum perperam omisit *Schinas*. 6. τῇ αὐτομάτητι] τῇ εὐτομότητι rescripsit *Schinas*, quod idem Valla expressit: fluctuat tamen ille inter εὐτομότητι, συντομότητι et αὐτομάτῃ τι. Paulo ante τῶν αὐτῶν τῷ in τῶν αὐτῶν τῳ corrigere debebat. 8. τὸ δὴ τοῦ σώματος ἀλλοιώσεων] τῶν τοῦ σώματος ἀλλοιώσεων, *Schinas*, eodem errore quem ad III. 1. et XII. 2. notavimus. 12. τὸ ὀνόματος] τοῦ ὀνόματος scribendum, v. quae diximus ad III. 1. 14. καὶ θερμότητα καὶ δυνάμει] utramque copulam loco movit *Schinas*, quae utique erant servandae.

XIII. 3. πάθη τῶν τοῦ ἐμψύχου] πάθη τῶν ἐμψύχων, *Schinas*, quod quo jure fecerit colligas ex nostris ad III. 1. 4. τῶτο τὸ μόριον] ἐκεῖνο τὸ μόριον, *Schinas*: facilior certe foret correctio τὸ μόριον sive τοῦτο τὸ μόριον, quod verum putamus. XV. 2. γέγονε μὲν ἤδη] γέγονεν ἤδη, *Schinas*, quo non erat opus. 3. ἀνέδειξα] ἀνέδειξε scribendum esse patet. XVI. Ἱπποκράτει τῷ Ἀρεταίῳ] Ἱπποκράτει καὶ Ἀρεταίῳ vere emendavit *Schinas*. 2. ὅσα ἔχει] ὅσας ἔχει, *Schinas*, et recte quidem. 3. μηδενὸς ἄλλου τοῦ τῶν

*ῥηθέντων ἐκείνῳ τε συνθερμαινομένου*] haec bene restituit *Schinas*, *μηδενὸς ἄλλου τοῦ τῶν ῥηθέντων ἐκείνῳ συνθερμαινομένου*. 3. *ᾗ περ ὁ τοῖχος*] *ἥπερ ὁ τοῖχος* cum Valla scribendum. 4. *φορᾶς*] *διαφορᾶς*, *Schinas*, Valla consentiente, recte.

XIX. 3. *ποσότητα*] quod aperte falsum et in *ποιότητα* mutandum esse nemo non videt, et Valla quoque ita legerat. XX. *Ἀπιστῆσαι*] hic ut XXVIII. *ἐπιστῆσαι* Alexandro reddendum, conf. XIII. idem expressit Valla. XX. 3. *καὶ ἐκ διαφορῶν γένηται*] veram scriptoris manum, *κἂν ἐκ διαφορῶν γένηται*, feliciter restituit *Schinas*.

XXIII. *ἢ οὔρου*] *ἢ νόσου*, *Schinas*: idem statim post *οὐχ ἡ ὕλη*, ubi codex *οὐχ ᾗ ὕλη*, neque id spernendum: quod sequitur *ἐκεῖνον* pro *ἐκείνου* typi nostri peccarunt. 2. *οὕτω γὰρ ἂν εἰς ἄπειρον ἐκπεσούμεθα*] conjunctionem *ἄν* imperite delendam censet *Schinas*. XXIV. *δυνάμει τὰ χρώματα*] *τὰ δυνάμει χρώματα*, *Schinas*. 3. *τὸ εἶδος ἐκεῖνο*] *τὸ εἶδος ἐκείνου*, *Schinas*, vere. 4. *μεταβάλλει γ' ἄν*] *μεταβάλλοι γ' ἄν*, *Schinas*. 4. *ἑξῆς θήσεται*] *ἔξω θήσεται* sagaciter emendavit *Schinas*. 5. *ἐπανορθωτικὰ γάρ τε τύχῃ μὲν ὄντα*] haud cunctanter corrigimus *ἐπανορθωτικὰ γὰρ τετύχηκεν ὄντα*. XXV. *πῶς το παρ' ἰατροῖς αἴτιον, τὸ ποιητικόν ἐστι*] *πῶς τῶν παρ' ἰατροῖς αἰτίων, ὧν τὸ ποιητικόν ἐστι*, *Schinas*, male et satis audacter: idem in proxime sequentibus *τὰ δὲ ποιητικὰ* expunxit. 3. *Διὸ*

καλῶς] διὸ οὐ καλῶς, *Schinas:* quidni, quod magis in promptu, διὸ κακῶς. 6. νόσου τε καὶ ἑαυτῶν] νόσου τε καὶ ὑγιείας, *Schinas*, Vallae interpretationem jure sequutus. 7. τροφὴ γενόμενα] τροφὴ γενόμενος, *Schinas*. 9. διαπλάσεις εἴδη ὑλικά πως] διαπλάσεις εἰδικά πως, *Schinas*. 9. καὶ ξυμμετρία καὶ ἀμετρία] καὶ ξυμμετρία ἢ ἀμετρία, *Schinas:* sed lectio codicis nulla eget medicina, conf. XXVII, 4. XXVI. 4. ἐξ ἧς δ' ἂν εἴη λέγειν] ἑξῆς δ' ἂν εἴη λέγειν, facili, sed minus necessaria conjectura *Schinas*. XXVII. 2. ἁπλῆς] ἁπλῶς correxit *Schinas*. 4. ἄφυκτά γε μὴν καὶ τὰ ἐξ ἀ.] καὶ nulla idionea ratione ductus delevit *Schinas*. 7. ἀποτελοῦσι διάθεσιν] ἀποτελεῖ διάθεσιν, *Schinas*, sed auctorem, non librarium castigasse videtur. 8. ἀλλοιώσει καὶ διαφθείρει] quod falso concinnitatis studio abreptus exhibuit *Schinas*, ἀλλοιώσει καὶ διαφθερεῖ, refellit similis praesentis et futuri copulatio IV, 2. extr. 9. ἐπὶ τοῦ ἐφημέρου] ἐπὶ τῶν ἐφημέρων, *Schinas*. 10. κἂν ἐξωτερική τις ᾖ] κἂν ἐσωτερική τις ᾖ, *Schinas*. 10. πρὸς τῷ πίπτει σώματι] προςπίπτῃ τῷ σώματι, *Schinas*. 11. λέγομεν] corrige γέγονεν. 12. δυνάμει θερμότητα] *Schinas* temeraria interpolatione, δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ θερμότητα. XXVIII. 2. ὅς τ' ἀκριβῶς οἶδεν τίς ποτ' ἐστὶν] οὔτ' ἀκριβῶς ἂν εἰδείη τις, τίς ποτ' ἐστίν —, *Schinae* debetur ingenio. XXIX. ὡς δειχθήσονται] ὡς δειχθήσεται, *Schinas*, bene. 3. λιγνοωδῶν περιπτωμάτων] λιγνυω-

δῶν περιττωμάτων, *Schinas*, ex parte certe recte. 4. τὸ ἀναφθέντα] τὸ ἀναφθὲν, *Schinas*. 7. διὰ μέσων] διὰ μέσου, *Schinas*. XXX. οὐκ ἀχώριστον] negationem rejecit *Schinas*. XXXI. 4. εἰκότως αἱ μὲν] εἰκότως οὖν αἱ μὲν, *Schinas*. 4. ἐπὶ πόλλου πράγματος] ἐπὶ τοῦ πράγματος, *Schinas*, male. 4. ποσότητος] *Schinas* ποιότητος, recte. 5. ἢ κατὰ τὸ μᾶλλον] ἣ κατὰ τὸ μᾶλλον, *Schinas*.

# XXIV.

# INDEX SCRIPTORVM.

*Aelianus* . . . . . . . . . . . . p. 218
*Aeschylus* Eumenid. 140 sqq. . . . . . . . 140
— Persae 849 sqq. . . . . . . . . [illegible]
— Sept. c. Theb. 104 sqq. . . . . . 94
*Aristophanes* Equit. 163. . . . . . . . . 156
— Pax 56 sq. . . . . . . . . . 153
— — 83 sq. . . . . . . . . . 154
— — 224 sqq. . . . . . . . . 155
— — 238 sq. . . . . . . . . 156
— — 268 sqq. . . . . . . . . 156
— — 366 sq. . . . . . . . . 157
— — 473. . . . . . . . . . 159
— — 490. . . . . . . . . . 161
— — 690. . . . . . . . . . 164
— Ran. 1136. . . . . . . . . 156
*Aristoteles* (*Pseudo-*) de mirab. auscult. 22. . 223
*Cicero* N. D. . . . . . . . . . . . . 275
— orat. Marcell. . . . . . . . . . . 309
*Dicaearchi* *Τριπολιτικός* . . . . . . . . . 167
*Diogenes* *Laert.* II, 63. . . . . . . . . . 223
*Euripides* Orest. 1263 sq. . . . . . . . . 160
*Harpocration* . . . . . . . . . . . . 270
*Homeri* Iliad. II, 344. . . . . . . . . . 129
— — II, 802. . . . . . . . . . 130
— — VII, 327. . . . . . . . . . 130
— Odyss. X, 174. . . . . . . . . . 130
— hymn. Cer. 122. . . . . . . . . . 114
*Horatii* carm. III, 11, 1. . . . . . . . . . 131

*Lycophron* 525. . . . . . . . . . . . . p. 145
*Lycurgus* orat. . . . . . . . . . . . . . 267
*Manilius* IV, 218. . . . . . . . . . . . . 326
*Meleager* . . . . . . . . . . . . . . . 176
*Metagenes* . . . . . . . . . . . . . . . 58
*Orion* Theb. Ἀνθολόγιον . . . . . . . . . . 198
*Pherecrates* . . . . . . . . . . . . . . 57
*Philippus Thess.* . . . . . . . . . . . . 177
*Plato* legg. IV. p. 706. . . . . . . . . . 17
*Plinii* argum. lib. XII. XIII. . . . . . . . 223
*Plutarchi* Alex. 46. . . . . . . . . . . . 223
*Propertius* IV, 11, 23. . . . . . . . . . . 301
Schol. ad *Aeschyl.* Sept. c. Theb. 1. . . . . . 106
*Sophocles* Antig. 106. . . . . . . . . . . 109
— — 781 sqq. . . . . . . . . . 116
— Oed. Col. 280. . . . . . . . . 62
— — — 669. . . . . . . . . 63
— — — 1436. . . . . . . . . 61
— — — 1494. . . . . . . . . 70
— Trachin. 971 sqq. . . . . . . . . 136
*Stephanus Byz.* . . . . . . . . . . . . . 233
*Suetonius* Tib. 20. . . . . . . . . . . . 324
*Theocritus* 2, 3. . . . . . . . . . . . . 56
*Theodorides* . . . . . . . . . . . . . . 183
*Theognis* 15 sq. . . . . . . . . . . . . 130
— 100. . . . . . . . . . . . . . 59
— 1087 sqq. . . . . . . . . . . . 130
*Theopompus* Τρικάρανος . . . . . . . . . . 170
*Tibullus* . . . . . . . . . . . . . . . 280
*Timotheus* Milesius . . . . . . . . . . . . 183
*Tyrtaeus* 1 (6), 7. . . . . . . . . . . . 266
— — 27 sq. . . . . . . . . . . 267
*Xenophon* conviv. III, 12. . . . . . . . . . 158

# CORRIGENDA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Pag. 27 | versu 2 | lege | *numine.* | |
| — 143 | — 9 | post | *ἄπλετον* | commate distinguendum. |
| — 158 | — 13 | corrige | *reddiderit.* | |
| — 175 | — 4 | — | *unum.* | |
| — 237 | — 24 | — | *homoeoteleuton.* | |
| — 269 | — 8 | — | *quam.* | |
| — 302 | — 9 | — | *quam.* | |